110

M Sintzel

12/6 1840



Inſpice, et fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratũ eſt Ex. 25.

EXERCITIA SPIRITVALIA.

APPROBATIONES.

DUcem viæ ad vitam *per* R. P. JACOBUM MASENIUM *è Soc. Jeſu, juxta normam Exercitiorum ſpiritualium* D. IGNATII *piè conceptum, ſcriptumque, magno ſpiritualis vitæ emolumento, tam Secularibus, quàm Eccleſiaſticis, Religioſiſque viris, typo publico communicari, ac commendari poſſe cenſemus. Videant, legant, ſequantur. Ita optat, & bene Lectoribus precatur, Treviris 24. Decembris* 1666.

JOANNES HOLLER Epiſcopus Azotenſis Vicarius Generalis & Suffraganeus Trevir.

EGo *infraſcriptus Societatis* JESU *per inferioris Rheni tractum præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi facta ab* Admodum R. P. JOANNE PAULO *Oliva Societatis noſtræ Vicario Generali permitto, ut* Dux Viæ ad Vitam per ſpiritualia exercitia, *à* P. JACOBO MASENIO *ejuſdem Societatis Religioſo conſcriptus, & à conſtitutis Cenſoribus lectus probatuſque, ad communis boni utilitatem vulgetur. In cujus rei fidem haſce manu mea ſubſcriptas, conſuetoque officii Sigillo munitas dedi. Anno* 1665. *10. Mart. Coloniæ.*

GODEFRIDUS OTTERSTEDT. mp.

REVEREN-

REVERENDISSIMO ATQUE EMINENTISSIMO
DOMINO,
D. CAROLO CASPARO
à PETRA,
ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI,
S. ROM. IMPERII PER GALLIAM ET REGNUM
Arelatenſe Archicancellario, ac Principi Electori,
Adminiſtratori Prümienſi perpetuo, &c.

Domino ſuo Clementiſſimo.

EMINENTISSIME PRINCEPS

E*Piſcoporum grandis eſt honor, ſed & grande pondus hujus honoris*, ait præcipuum lumen Magnus Gregorius. (*a*) Tot enim animarũ ſalus, quot numerantur in Clero populoque ſubditi, illorum curæ eſt commiſſa. Unde, *qui epiſcopatum deſiderat bonum*, hoc eſt, nobile ſimul & ingens, *opus deſiderat*. (*b*) Vigilandum illi utiq; qui non tantùm pro ſua, ſed tot millibus animarum ſibi creditarum Deo rationem debet. Hæc cum *Tuam* minimè *Eminentiam* lateant, noveriſque, quantum illi ſolicitudinis laboriſq; incumbat, qui unâ manu pedum ad animarũ regimen, alterâ gladium ad juſtitiæ publicam adminiſtrationẽ ſuſtinet: in utroque, ut par eſt, foro egregiâ vigilantiâ ac ſedulitate verſaris, nec minus de Eccleſiaſtica, quàm politica diſciplina ſolicitus, facilè animadvertis, illam eſſe præcipuum Chriſtianæ reip. decus atq; ornamentũ, quâ rectè ſapienterq; inſtitutâ ac ſtabilitâ, religio atq; obſervantia divini Numinis vigeat, quies & tranquillitas publi-

(a) *In Evang. hom.* 34. (b) 1. *Tim*, 3.

ea conſequatur. quam Te impensè diligere, placidum tranquillũmque tot annis, quibus præes, imperiũ abundè teſtatur. quod Marte ut potes damnato, Pace quantũ licet ſuſtentatâ, domi foriſque egregiè tueris; facilè turbandũ, niſi pietatis religioniſque curam, quâ ſubditorum animos Deo Tibique devinctos tenes, omni ſtudio proſequereris. Hac cura impulſus, illũ hunc meum *Sacrorum Exercitiorum* laborem, quo Chriſtianis quidem omnibus, inprimis tamen Eccleſiaſticis, ad piè ſanctéq; inſtituendam vitam, dux autorque eſſe conatus ſum, non perfunctoriâ lectione decurſum, magnopere approbaſti, æquumq; eſſe ſtatuiſti, ut quotquot ad majorum in ſacris ordinum dignitatem aſpirant, ante piis ejuſmodi cõmentationibus, vitæ ſuæ rationes, ſublimemque hujus ſtatus finem, ac divinæ vocationis momẽta explorent, ne ſerius, incorrigibili errore, inde pedes referre deſiderent, unde redire eſt nefas; aut corruptæ vitæ exemplo ſe alioſque in præcipitium ſalutis devolvant. Et ſanè quantopere Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Clerique & Paſtorum laudabilem inſtitutionẽ deſideres, oſtendit præclara illa cogitatio & cura, quâ Seminarii Archiepiſcopalis, ab Anteceſſoribus in hac ſede Principibus deſtinati ſæpius animo, opere nunquam perfecti, abſolutionem mente ſimul manuq; urgendam ſuſcepiſti. Ex quo deinde, nõ niſi longo expe-

experimento doctrinæ virtutumque probati, ad præcipuas Eccleſiæ Trevericæ functiones dignitateſque admittantur. Bonum factum, Deoque gratiſſimum; aptiſſimumque ad hujus Eccleſiæ antiquiſſimam, nulliſq; poſt Apoſtolos temporibus violatam everſamq; hactenus, religionem fidemq, ſtabili ratione fundandam. Eſt hæc ſanè manebitq; æternùm hujus Archiepiſcopalis Eccleſiæ, Præſulumque, illam ab Apoſtolis uſque moderantium laus ac cõmendatio, quam nulla fortaſſe, ſi Romanã exceperis Eccleſiam, æquare poterit; quòd hæreſi tentata quidem, ſed nunquam everſa, ad hanc uſq; ætatem ſuorum Epiſcoporũ vigilantia, & pietate ſteterit incorrupta. Quorum nemo unquam defeciſſe manifeſta diſceſſione compertus eſt, nemo Trevirorum ſedẽ à Romana Apoſtolicaq; fide avertit. Quod cum Tibi *Eminentiſſime Princeps*, Tuiq; ſanguinis Majoribus, quos ante Te, in hac eadem ſede eximiâ religione claruiſſe non ignoras, omnino glorioſum; tum verò optandum ſperandumq;, ut quæ excelſa mente indefeſſoque ſtudio pro rep. atq; Eccleſia tua moliris, hæc faventibus Superis, ætatemq; Tibi, atque opportuna media ſufficientibus, exequi, pro Tuo aliorumque voto poſſis. ut fides, & religio per Archidiœceſin hanc tuam ſtabiliatur, & efflореſcat pietas; ad quam tot monumentis Martyrum, tot Sanctorum hujus loci Epiſco-

Epiſcoporum exemplis, tantâ Majorum curâ, tantâ hominum Eccleſiaſticorum & religioſorum hiſce locis frequentiâ, tanto etiam exterorum huc religionis gratiâ affluentium concurſu excitamur. Huic verò utcunque fovendæ promovendæq; hunc quantulumcumque laborem meum impenſum, in his ſacris Exercitationibus, *Eminentia Tua*, ut confido, non aſpernabitur. Sed illâ, quâ ſolet, libellos ſpirituales gratiâ, affectúque dignabitur, ac ſuis per Archidiœceſin Prælatis, Clero, Religioſiſque (quibus hæc ab antiquiſſimis retro temporibus egregiè floruit) exemplo hortatúque Principali, ad fidei pietatiſq; fovendæ atque amplificandæ emolumentum, impensè commodabit. Ita propitio Numine ſperandum exſpectandumque erit; ut non ſpiritualium tantummodo bonorũ, verùm & temporaliũ incremento tam familia Archiepiſcopalis, quàm Archidiœceſis tota, jam ſuperiorum annorum difficultatibus haud leviter afflicta, ac ſub pacifico dominatu Tuo ſenſim reſpirans, magis magiſque proficiat; illâ Dei non fallentis promiſſione fretâ: *Quærite primùm regnum Dei, & cetera omnia adjicientur vobis.* (c)

(c) *Luc.* 12.

Ita vovet ſperatque

EMINENTIÆ TUÆ

Cliens devotiſſimus humillimuſque J. M.

INTRO-

INTRODUCTIO

Ad pium ſanctúmque harum Exercitationum uſum.

Exponitur ſcriptionis hujus occaſio, methodus, ejúſque partes, finis, uſúſque, tam in meditando, quàm orando legendóque ſervandus, ut fructus ex ea multiplex percipiatur.

SI quantùm utilitatis ad ſalutem generis humani adfert divinarum rerum Meditatio, tantùm quoque in mortalibus ſtudii eſſet, ad illam rectè frequenterque uſurpandam, jam longè major ipſius inter doctos indoctóſque cognitio floreret atque æſtimatio; certarent pro illius uſu plures, fervèrent aſceteria, pietas in omni Chriſtianorum ſtatu effloreſceret, arderet rediviva charitas, & prima Apoſtolicæ Eccleſiæ facies renovaretur, quando multitudinis credentium erat cor unum & anima una. *Uti enim pia Meditatio hominem Deo Chriſtóque Redemptori intimè jungit, ita univerſis ſub hoc capite membris conſociat. Nunc quando in vita hac mortali ſenſuum magis, quàm ſpiritualibus animi oblectamentis capimur, & temporalibus affixi, ægrè ad cœleſtia ac divina mentem attollimus; præſentia*

Meditationis ſacræ ingens, ſed paucis cognita, utilitas.

Act. 4. 32.

æſtimamus, & futura negligimus; hinc tantus, prô dolor! eſt ſacri hujus exercitii, etiam, quod magis deplorandum, inter homines Deo Eccleſiæque conſecratos, neglectus; ut nonnulli ex his, quid ſit rectè piéque meditari divina, vix ſatis aſſequantur, & qui aliis ad ſalutem perfectionemque duces eſſe deberent, expeditam ipſi, quæ à tali Meditatione eſt, viam ignorent.

Cauſa & origo hujus ſcriptionis.

Eſt & cuilibet hominum generi in arduis hujus vitæ negotiis, aut capeſcendis, aut expediendis (præſertim cùm de toto vitæ genere, ac ſtatu aliquo ſuſcipiendo deliberatur) nihil conſultius, ad præcipua ſalutis diſcrimina evitanda, quàm in ſeceſſu quopiam meditatè coram Deo conſilium capere, & per rectæ electionis regulas, rationes ultro citróque oblatas excutere, ac denique quod ſaluti propriæ, divinæque gloriæ propius congruentiúsque videtur, conſtituere. Quibus me rationibus ad hoc ſcriptionis argumentum, eâ quâ inſtitui methodo tractandum, inprimis flexit, pro ſuo pietatis zelo, Reverendiſſimus D. ADRIANUS de WALENBURG *Epiſcopus Adrianopol. Sereniſſimi Electoris Colon. in Pontificalibus Suffraganeus; aliique deinde ſpectatæ autoritatis viri pii doctique, reſtitantem impulerunt. Cenſerunt tamen ab ea quam* S. IGNATIUS SOC. JESU *Fundator inſtituit methodo, tot mortalibus probata ſalutiferáque, non eſſe deflectendum: ſuis tantùm Exercitia illa diſcurſibus ad clariorem faciliorémque, tam meditantium, quàm legentium uſum videri aptanda En obſequentem me, ac prodeſſe cupientem quamplurimis. Et ſi facultas defuerit, non defuit voluntas.*

Quia

Quia verò, ut varia Meditantium ingenia ſunt, alii ſterili diſcurſu, in punctis diſcutiendis brevi exhauriuntur: alii vagâ lubricâque mente repentè extra orbitam ad diverſa efferuntur: alii licet in diſcurſibus non infecundi (ut doctioribus ferè evenit) ad affectus tamen voluntatémque inflammandam languidiores ſunt; quòd pleraque, jam ante cognitione perſpecta, animum minus feriant: nonnulli etiam ſiquid novæ lucis hauriant, magis cognitionem ſuam admirando ament, quàm veritatem amando ſequantur: paucique ſatis reperiantur, qui perfecti Meditatoris partes exequantur; & tam novas veritates inveniant, quàm inventas promptâ voluntate affectúque complectantur. Hinc, ut pluribus, iisque debilioribus, hoc meo labore ſervirem, nec tamen promptis deeſſem, viâ aliquantulum diverſâ, quàm plures hactenus in Exercitia Ignatiana commentatores, inceſſi. Variis Meditantium ingeniis conſulendum eſt.

Et I. quidem veritatem, de qua eſſet inſtituenda Meditatio, brevi ſynopſi complexus, principio ſtrictim expoſui. per margines etiam Meditationis cujúſque membra aliquantò diſtinctius diſtribui. Et hæc ſola promptioribus ingeniis ſufficere poterunt. quibus tamen, cum impedita hæſerint, prolixior quoque explicatio noſtra inſerviet. Aliis etiam hæc ſynopſis opportuna erit, ad rem totam memoriâ facilius comprehendendam. Quo fine eandem quoque breviſſimè diſticho ſubjecto ſtrinxi. Methodus hujus ſcripti. 1. Veritas cōpendio traditur.

II. Veritatem in tria diſtributam puncta (ne multitudo confunderet) diſcurſu aliquo expoſitam, magis oculis animiſque, velut in tabula ima- 2. Explicatius per diſcurſum.

ginem ſuis membris diſtinctius formatam, ſubjeci; ut ſic altius illorum infigeretur mentibus, qui in diſcurſu, vel aridi hærent, vel cogitatione vagi circumferuntur. His enim vix aliâ ſubveniri arte poterit, quàm ſi propoſita ante oculos, & meditatè lectâ, expensâque ordine veritate, aut ſterilitati eorum expoſitione fuſiori conſulatur, aut vagæ mentis licentia adſtringatur. Deinde faciamus noviter inventis quoſdam capi: quid intererit, ſi amorem proprii ingenii (parum hac in re laudabilem) ſubmoveris; utrum ex inventione ſua, an ſcripto alterius veritatem novam hauriant, modò ſeriâ altâque cogitatione in animum contemplantem ſatiantémque illâ ſeſe defigatur? Malui igitur nimium hac in re ſollicitus, quàm minus accuratus videri: cùm noſtra in diſſertatione copia, nulli obeſſe; inopia pluribus queat. Nam dum ſuo Meditator abundabit ingenio, prudenter hæc relinquet: dum indigebit, conſultò admittet.

3. Affectus idonei ſubjiciuntur.

III. Rarioris exempli eſt, quod affectus ipſos, piæque voluntatis, in virtutum deſiderio, aut exercitio motiones, non indicaverim ſolùm (ut plerique conſuevêre) ſed explicatè etiam ſubjecerim. Et hoc à me nec temere, nec infructuosè factum intelliges. Primò enim, non omnes ad pios ejuſmodi motus promptos inclinatóſque deprehendimus. Deinde, ut ſint; aliquando tamen languidiores torpeſcunt, aut etiam in certos tantum affectus, pluribus ad ſalutem utilioribus neglectis, feruntur. Poſtremò alii diſcurſibus ita ſuis immorantur, ut quod præcipuum in Meditatione eſt, & quò omnis hæc commentatio ſpectat, affectum ad

vitio-

vitiorum deteſtationem, virtutúmque ac Dei amorem non ſatis impellant. Hæc igitur, ut inculcarem, efficacius, quàm exemplis affectuum nonnihil diductis, fieri non poſſe exiſtimavi. Auctor tamen omnibus ſum, ut ſolum, notatis in margine quibus dirigantur affectibus, ſuis ipſimet animi motibus ferantur, quo divinus rapit ſpiritus: qui in bene inſtituta Meditatione optimus Doctor ductórque eſſe ſolet: nec niſi in defectu proprio, ad meas haſce affectiones ſenſim meditatèque evolvendas recurrant. Meus hic labor, ut mox dicam, non tam meditaturos, quàm lecturos oraturóſque concernit.

IV. Propoſita emendationis triplici Meditantium via accommoda plerúmque formavi. hiſce enim affectus pii concludendi firmandique ſunt. Sed non niſi generalia hæc eſſe potuêre, quæ in via purgativa (ut vocant) vitiorum deteſtationem, in illuminativa virtutum ſtudium, in unitiva gloriam & amorem Dei ſpectarent, quibus particularia quiſque, pro vitæ ſuæ ſtatu, morúmque defectu & emendatione requiſita, adjungere tenebitur. Novit enim quiſque, quibus vitiis potiſſimùm, praviſque inclinationibus adhæreſcat; quibus virtutibus ad ſtatus ſui perfectionem indigeat; quantum in familiaritate, aut conjunctione cum Deo profecerit. ut tamen nonnullis ſtatus ſui rationem non ſatis perſpicientibus ſubveniam, in fine hujus Tractatus, quid homini libero ſuæque vocationis adhuc incerto, quid Eccleſiaſtico, quid Religioſo, quid denique in matrimonio conſtitute expendendum proponendúmque inprimis ſit, inquiram.

4. Propoſita emendationis vitæ formantur.

5. Meditationes diſtribuuntur, Repetitionibus & Applicationibus ſenſuũ cuilibet liberè relictis.

V. Singulis diebus attribui Meditationes quatuor, binas manè, & totidem à prandio expendendas, omiſsâ quintâ, quam S. IGNATIUS *media nocte conſtituerat habendam; quòd multis hæc ſomni interpellatio non uſitata, diem pariat ſomnolentum minúſque ad reliquas Meditationes expeditum animum relinquat. Omiſi & Repetitiones atque Applicationes ſenſuum à S. Patre aſſignatas, quòd has quiſque pro ſuo arbitratu, ex conſilio Directoris, ab iiſdem Meditationibus poſſit ſumere, relictâ unâ alterâve ex aliis ſibi minus profuturis. Neque enim neceſſarium erit, ut omnes Meditationes à me præſcriptæ habeantur; nec quidem, ut ſingulis horis abſolvantur propoſita à me puncta; at ſufficiet reperiſſe in quibus & intellectus convictus ſatietur, & voluntas ad propoſitum ſibi finem per affectum impellatur. quod ſi in unico etiam puncto impetraveris, ad alia non erit tranſeundum. Et ſi Meditatio unica ad quaternas unius diei horas cum fructu impendendas ſat copioſa fuerit: reliquæ, quantùm tempus feret, cogitatè legantur. Non enim quàm multum, ſed quàm bene ſpectandum eſt. Quæ ſupererunt ex Meditationibus noſtris fragmenta, alio etiam tempore, ad paſcendum piè animum, eſſe poterunt opportuna. Abundare Meditatorem cupio, non egere. In his tamen, niſi ſolus agas, Directoris conſilio rectè uteris.*

6. Meditandi ordo & materia ex S. IGNATII Exerc. deſumpta.

VI. Methodum & materiæ diſtributionem à S. IGNATIO *præſcriptam ſecutus, intra octiduum hanc fere ſtrinxi, quam ille per hebdomades quatuor partitus eſt. Hanc enim jure reverentiam iſti libello habendam duxi; quòd hic non niſi divi-*

na

na inſpiratione, ab homine omnis adhuc eruditionis, & literaturæ cultioris experte, conceptus traditúſque aliis fuerit, & ſingulari commendatione à ſede Apoſtolica An. 1548. juxta Bullam Pauli III. Pont. approbatus, plurimos mortalium admirando virtutis & perfectionis ſtudio accenderit; ut non ita pridem, hiſce quondam Coloniæ exercitiis uſus, Illuſtriſſimus Fabius Chiſius tunc legatus Apoſt. nunc Romanus Pontifex ALEXANDER VII. *plenariam peccatorum omnium Indulgentiam iis conceſſerit, qui per octiduum his in domo Soc. Noſtræ exculti Sacramenta divina percepiſſent.*

VII. Quia verò Libellus varia, tam in diverſis locis Exercitiorum, quàm ſuis Annotationibus complectitur, quæ ad rectè meditandum faciunt, adeóque operæ pretium eſt cognoſcere: generalem quandam de recto Meditandi uſu inſtructionem, ex hoc præcipuè libello collectam & illuſtratam, præmiſi. Et hanc quidem uno antè die legendam expendendámque, quàm ipſa quiſque exercitia ſacra aggrediatur, ſuaderem: ne velut in rem peregrinam veniat, & quem in ſcopum, quâ arte collimandum ſit, non ſatis aſſequatur. ubi tamen hoc tempus & facultas Meditaturo defuerit, Directoris munus erit, ex prævia hac inſtructione cognita, ignorantem erudire. 7. Rectè meditandi ratio ex eodem tradita.

Quod ſi aliquibus vacet, decem hiſce Exercitationibus dies impendere; quòd Paulus V. Pontifex ſpectaſſe viſus eſt, cum decem dierum Meditatori plenam quoque peccatorum pœnarúmque remiſſionem deferret: is primum utiliter diem, idoneæ, per cognitionem rerum ad Meditationem requiſitarum, diſpoſitioni; ultimum verò recollectio- Non ſoli octiduo, ſed & pluribus diebus hæ Meditationes accommodæ.

ni generali, & ordinationi Propoſitorum ad executionem pro futura vita, impendet: adeóque ex hoc eodem Meditationum ordine ſatis dirigetur. Denique ad menſem integrum ſufficere poterunt, ſi cum Repetitionibus & Applicationibus ordo in libello Exercit. S. IGNATII *obſervetur.*

Lectioni ſacræ hæ Exercitationes etiam ſerviunt.

Verùm quod ſatis non ſit homini ad ſalutem perfectionémque contendenti, uno ſeſe octiduo ad illius ſtudium amorémque inflammaſſe; ſed hic identidem ignis, velut iſte ſacer olim in templo, aliis aliiſque nutrimentis fovendus ſit: ne animus priſtino rurſum frigore intepeſcat, diſcurſus prolixius formatos, & ſacris literis, aut etiam Patrum ſententiis, firmatos meditatæ etiam lectioni volui inſervire. Et ne frigida tantùm lectio, ſoli menti erudiendæ, ſed & voluntati inflammandæ faceret affectus pios ſuis rationibus fulcitos adjeci, propoſitiſque idoneis ad perfectionem direxi, ne ſterilis & infructuoſa lectio tam facilè, ut experimur, difflueret, ſed agrum hunc fecundis veluti aquis irrigaret.

Ratio hujus lectionis utiliter inſtituendæ.

Lectio igitur hujus libri, quam meditatam eſſe cupio, ita penè inſtituenda erit, ut alter orandi modus, qui à S. IGNATIO *traditus in* Prolegomenis cap. 9. *à me exponitur. Hoc eſt, legenda erit aliqua quæ proponitur veritas, & ut primum apprehenditur, vivâ, ex verbo Dei per Eccleſiam propoſito, fide, & confirmanda, & intellectui, quidquid ultro ad hujus veritatis elucidationem ſuggeſſerit, indulgendum; donec voluntas in aliquem affectum propenſa, ultro quæ ſequuntur de affectibus amplectatur, & his, vel perlectis gaudeat, vel ſimilibus occurrentibus delectetur. Quare præcipua*

pua motiva ad vitam ſpiritualem ritè ſanctéque inſtituendam hiſce materiis potiſſimùm, juxta S. IGNATII *ductum, complexus ſum. Deinde omnes præcipuarum virtutum affectus, ita per totum hunc Tractatum diſtribui, ut vix quiſquam ſit, qui prætereatur, certè illuſtriores omnes locum habeant. ut ſi frigida nonnunquam mens & affectio ſit, his fomentis calefacta exardeſcat.*

Affectus præcipuarum virtutum propoſiti.

Quiſquis ergo ſalutem propriam Deique gloriam ardenti ſtudio proſecutus fuerit, hæc opinor animi exercitamenta non ſubterfugiet. ſive enim illa Meditatione quondam piâ ruminaverit, non injucundum erit, eadem minutatim recolere, & uno aliquo indies puncto revoluto animum erigere: ſive inexpertus manu apprehenderit, parvam aliquam meditatámque lectionem haud gravatè admiſſurus eſt.

Ut verò lectionem non qualemcunque, ſed tardam, & ſingula membra vivaci fide penetrantem cunctantémque dum cor incaleſcat, probo: ſic ad affectuum deinde conſiderationem pari legendi morâ tranſeundum, guſtúmque ex ſingulis aliquem ſententiis, pro cujuſque capacitate ac ſtudio, cenſeo captandum. Cujuſmodi lectio ſine fructu ſingulari abſolvi non poterit, & anno penè toto ſerviet, cum puncta ſingula ad lectionem integram ſufficiant.

Ad affectus hoſce utiliter perlegendos mora & inhæſione opus eſt.

Ita & frigentem in oratione animum haud difficili molimine erigendum exiſtimo. Sive enim ille ad ſeriam peccatorum deteſtationem contritionémque ſit excitandus, ſive ad virtutis alicujus ſtudium permovendus, ſeu denique ad familiaritatem amorémque Dei inflammandus, ex Indice,

aut prænotatis abs ſe locis, reperiet in hoc Tractatu Lector, quod ad deſiderium facilius explendum poſſit eſſe adjumento; cum præter motiva, affectus ipſi pleriſque locis explicatius ſubjecti ſint. Quod orationis piè ſanctéque inſtituendæ ſtudium nequaquam vulgare ac contemnendum eſt. Sic accenſæ preces cœlum penetrant, & ſæpe plus horâ unicâ, quam languidæ annis integris à Deo conſequuntur.

Jaculatoriæ preces, & pia ſuſpiria uſurpanda.

Denique pro jaculatoriis precibus & ſuſpiriis ſparſi opportunas per Meditationes ſacrarum literarum ſententias, quas memoriæ infigi, volvique animo per diem ſæpius cupiam, ac per has etiam propoſitorum piè conceptorum recordationem ſubjici. Vigilantem enim habemus hoſtem telis hiſce configendum, qui tanquam leo circuit, quærens quem devoret; *ſed & ſuis nos caro illecebris, mundúſque vanitate oppugnare non deſinit; ut niſi his armis probè muniti incedamus, innumera pericula immineant; quæ ut liceat ſubterfugere, ad Deum confugere neceſſe eſt.*

PRO-

PROLEGOMENA
De rectè Meditandi, Orandi, & legendi ratione.

PRiuſquam Meditationes cujuſque diei proprias aggrediamur, operæ pretium erit, univerſim de Meditatione pium Lectorem ac Commentatorem nonnullis præceptionibus, ad facilem rectúmque illius uſum, erudire. ut, quid illa ſit, quibuſque à communi lectione ſit legibus diſcernenda, quâ viâ & arte inſtituenda, quibus rationibus diducenda, ac terminanda, antè conſtet, quàm exercenda ſuſcipiatur: ne res, quæ magni omnino æſtimanda eſt, ſummíque ad perfectionem & ſalutem eſt momenti, aut negligenter à nobis pertractata, aut ab aliis ſine illius ſufficienti cognitione temerè ſuſcepta videatur.

Quid ſit Meditatio, & quæ illius partes.

Qui Meditationem rerum divinarum deſcribunt Aſcetici, hanc eſſe aſſerunt: *Applicationem mentis noſtræ,* hoc eſt, *memoriæ, intellectus, & voluntatis, ad myſteria fidei, cum pio ad Deum affectu & familiari collocutione, conſideranda.* Ad hanc rectè inſtituendam S. IGNATIUS tria potiſſimum requirit. 1. Præparationem; quæ, præter cetera, orationem, & præludia, rem meditandam repræſentantia, complectitur. 2. Rem meditandam; quam plerumque in tria, nonnunquam in plura puncta diſtinguit. 3. Colloquium: quod ad Deum ac Chriſtum ſæpius, aliquando etiam ad ſanctos, imprimíſque Deiparam, inſtituit. cui emendandæ vitæ Propoſitum, cum gratiæ divinæ imploratione, conjungitur. Nos ordine de ſingulis agemus, ac ſubinde pauca, de ſingulari quadam

dam contemplandi orandíque ratione ſubjiciemus, quæque ipſe per totum ſparſit Tractatum exercitiorum, brevi methodo, clarius digeſta, ſignatis in margine locis, proponemus.

CAPUT I.

De Præparatione ad Meditationem requiſita.

Cap. 18. 23. PRæparatio ante orationem neceſſaria eſt, monente Eccleſiaſtico: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Ad Principum virorum conſpectum, & alloquium, non niſi probè compoſiti præparatâque mente accedimus; & ad Deum alloquendum vagi & imparati non vereamur accedere? Planè hic nos attentos ad rem tantam adeſſe conveniet: ne ſe contemni, & ludibrio nobis eſſe, potiori jure Deus, quàm terrenus aliquis Princeps, tam viliter neglectímque in alloquio habitus, queri poſſit, ac dicere: *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum procul eſt à me:*

Præparatio ad Meditationem triplex eſt.

Mat. 15.

Quocirca ad Meditationem ſedulò utilitérque inſtituendam, triplicem quandam præparationem D. IGNATIUS in ſuis Exercit. requirit.

Remota.

Ex Addit. 1. & 2. tum ex Hebd. 4. Not. 3.

I. Remota eſt præparatio, quâ meditaturus materiam ſuæ Meditationis antè præleget, eámque in certa puncta, ſeu capita partietur; finem denique, quem intendit, proſpiciet. Ut verò manè præſentem expergefactus ad hanc animum adferat, veſperi poſtquam incubuerit, breviter ſuo cum animo recolet exercitium poſtero die aſſumendum.

Ex Addit. 2.

Et in via quidem purgativa, majoris verecundiæ & confuſionis gratia cogitare poterit, quo vultu & animo ſubditus conſpectum Regis ſui, ſubditurus ſit, quem graviter offendiſſe convictus eſſet, quamvis plurimis ab illo beneficiis affectus. Séque multarum offenſionum in beneficentiſſimum Dominum ſuum reum eſſe, & jam mox eidem Judici ſiſtendum eſſe cogitabit.

Ex Hebd. 3. Not. 4.

In via autem illuminativa, aut unitiva, me amanter à Deo,

Deo, Chriſto, aut Angelis ſanctiſque invitari ad propoſitum myſterium exiſtimabo, excitatóque ingenti deſiderio coram Deo dignè comparendi, myſteriaque divina cognoſcendi, me ad piè meditandum diſponam.

II. Propinqua eſt præparatio, ſi à loco Meditationis futuræ uno alteróve paſſu diſtans, tantillo tempore, quo oratio Dominica percurri queat, animo ad Deum erecto, conſiderem Dominum meum præſentem, & ſpectantem quidnam acturus ſim, cui reverentiam cum humili geſtu exhibebo. *Propinqua.* Ex Addit. 3.

III. Proxima præparatio, orationem & præludia complectitur. Oratione gratiam petimus, ut vires atque operationes noſtræ omnes ſyncerè ad ejus gloriam & cultum dirigantur. Hæc eadem ubique, qualis in prima noſtra Medit. proponitur, eſſe poterit. *Proxima.* Ex I: Exerc. S. Ign.

In præludiis 1. res meditanda per idoneam loci, vel etiam rei geſtæ imaginationem, velut ante oculos ponitur, ut animus tantò facilius in ejus contemplatione, à diſtractionibus liber, defigatur.

2. Petitur gratia, ut finem in meditatione propoſitum aſſequi poſſim, e. g. in via purgativa, turpitudinem peccati, malitiæque gravitatem agnoſcere, de eodem admiſſo dolere ſeriò, confuſione mei & contritione excitatá, tum verò impoſterum forti animi propoſito idem devitare.

In via igitur purgativa duo tantùm præludia ſunt. Sed in aliis viis, tum quando hiſtoria aliqua, aut myſterium vitæ Chriſti expenditur, tria adhibentur. Quia in primo præludio ſumma rei geſtæ eſt, in altero loci imaginatio & compoſitio formatur, in tertio gratia petitur, ut in exemplis infra patebit. Ex 2. 3. & 4. Hebd.

CAPUT II.

De Meditationis ingreſſu, applicationis modo, & materiæ diverſitate.

UBi ſic præparatus acceſſeris, ipſam deinde contemplationem aggredieris: nunc proſtratus humi, & pronus, aut ſupinus jacens; nunc ſedens, aut ſtans, & eo te componens modo, quo facilius ſperes, te id quod optas conſe- *De compoſitione ad meditandum.* Ex Addit. 4.

conſecuturũ. Quod ſi flexis genibus, vel alio ſitu aſſequaris, nihil ultra requires. Deinde in puncto, quo aſſecutus quæſitam devotionem fueris, acquieſcendum erit, ſine tranſcurrendi anxietate, donec tibi ſatisfeceris.

De applicatione mentis. Ex 1. Hebd. Exerc. 1. & 2. Et 2. Hebd. Exerc. 5.

In ſingulis verò punctis tres animæ potentiæ ita exercentur, ut *Memoriâ* recolatur quidquid ad præſentem ſpectat materiæ partem (aliis omnibus ſepoſitis) *phantaſiâ* eidem ſubveniente, ut perſonarum vultus, motus animorum, rerum ſitus, & atrocitas vel gratia, aliáque, quibus velut ad vivum res depingitur, adjuncta repræſententur. Ex his deinde *intellectus* per diſcurſum à cauſis, exemplis, ſimilibus, aut diſſimilibus, præteritis etiam futuriſque adhibitis, varia colligit ac concludit, quibus poſtremò incitata *voluntas* in varios fugæ, aut proſecutionis affectus ſolvitur, & ſtatuit facienda.

De materiæ diverſitate, & via triplici.

Materia rerum meditandarum triplex potiſſimum ab effectu & operatione ſua cenſetur, vel enim ad hominem à peccatis praviſque affectionibus purgandum ſervit; ut ſunt omnia, quæ timorem Dei dolorémque de peccatis incutiunt. Quemadmodum noviſſima ſunt hominis, mors, judicium, infernus; tum ipſorum peccatorum fæditas, gravitáſque pœnarum illis imminentium. Et hæc ad perfectionem *via, purgativa* vocatur. Vel illuminat in virtutis gratiæque divinæ æſtimatione hominem; ut Chriſti & Sanctorum exemplo ductus ac ſtimulatus, ejus imitandi in omni virtutum genere flagret deſiderio & amore; ceterarum verò in terris rerum faſtidio & averſione capiatur, Et huc tota Chriſti vita, ſive in agendo, ſive in patiendo, quæ nobis in exemplum ſanctitatis propoſita eſt, ſpectat, dicitúrque *via illuminativa.* Vel denique purgatum jam à vitiis, illuminatum in virtutum exercitatione hominem, cum Deo per intellectum, affectúmque in contemplatione & amore Dei, ceterarúmque rerum propter Deum, conjungit, & diverſis affectibus circa Deum verſantibus, ut gratiarum actione, admiratione, gaudio, gratulatione de tanta ipſius bonitate ceteriſque perfectionibus, zelo animarum, & divinæ gloriæ, reſignatione in voluntatem ipſius intimè unit; unde & *via unitiva* appellatur. Non tamen exiſtimandum, quod hæ viæ affectuſque ita diſtinguantur, quaſi non ſoleant permiſceri,

Purgativa. *Illuminativa.* *Unitiva.*

miſceri, cùm peccatum vitari ſine virtutis ſtudio non queat; & hoc peccator, non ſolùm ex metu inferni, ſed amore etiam Dei averſari poſſit, & meritò debeat. Ex præcipuo igitur effectu, ac fine & veluti gradu quodam perfectionis, hæc diſtinctio naſcitur Juxta quam D. IGNATIUS Exercitia ſua ita partitus eſt in hebdomades quatuor; ut viæ Purgativæ hebdomas prima, Illuminativæ tanquam ampliſſimæ ſecunda & tertia, Unitivæ quarta reſponderet.

CAPUT III.

De exercitio intellectus inter meditandum.

NUnc de exercitio intellectus, ſive diſcurſu ex propoſita materia formando, paucis agendum eſt. Certum eſt, moveri quemlibet inventis abs ſe rationibus argumentíſque potius, quàm ab aliis traditis; quòd illa plerúmque magis penetrentur, altiúſque animo inſideant. Quare cum à Meditationum ſcriptoribus materia ſubjicitur, & indicantur tantùm puncta: Rationes, & argumenta à meditantibus inveſtiganda ſunt, ne inveniendi opportunitas capacibus præripatur; quibus proderit ad generales aliquos inventionis fontes recurrere, ut his meditatio ad fecundiorem diſcurſum irrigetur.

Meditantes inventis magis, quàm diductis ſcripto rationibus moventur.

Universè *quid res ſit*, ſive natura rei, tum ejus *cauſæ*, & *effectus*, *proprietates*, denique & *adjuncta*, ſive *circumſtantiæ* expenduntur. Tum hæc eadem, per *contraria* vel *paria*, *teſtimonia*, *leges*, *judicia*, & *famam* ſeu exiſtimationem latiùs diducuntur. Illa locos proprios; hæc communes continent, quos his verſibus in mea *Oratoria Palæſtra* complexus ſum.

Quædam igitur inventionis principia his nota eſſe convenit.

Quid? per quæ? quale eſt? effecta, adjunctaq; poſcas;
Contra, par, teſtes, leges, cum Judice, famam.

Sola adjuncta, quia magis in ſenſus notitiamque incurrunt, ſufficere multis poterunt, quæ vulgaris verſus indicat,

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo quando?

Ex adjunctis, vulgo notioribus.

Quibus illa etiam continentur, quæ D. IGNATIUS in

res facilè diducitur.

Exerc. 2. Hebd. 1.

via Purgativâ adhibet. ut *quæ* fuerit *perſona peccans*, quam vilis, cum tot aliis hominibus, Angelis ipſóque Deo comparata. *quæ læſa* per peccatum, quanta ejus ſapientia, bonitas, majeſtas, cum peccatoris abjectione compoſita. *quanta* peccati fœditas, gravitáſque. *quomodo* creaturæ ceteræ, ipſique Angeli tantam Deo illatam injuriam non vindicârint, cùm peccator adverſus Deum tam protervè

Exerc. 2. Hebd. 2.

inſurgeret. Sic & illa continentur, quæ in via Illuminativa ſpectanda exemplo tradit, ut *quis* ſive quæ fuerit *perſona* operans, *quid* dixerit, *quid* fecerit, vel quæ *verba* ipſius, quæ *opera* fuerint? Et vult, ut hæc Meditator cum ſuâ perſonâ, verbis, operibúſque expenſis ita componat;

Exerc. 1. Hebd. 4.

ut fructum ex iis percipiat. In via denique unitiva iiſdem nos jubet conſiderandis inſiſtere. Unde apparet, quod duo prima adjuncta *quis*, & *quid*, bene expenſa præcipuam meditandi copiam ſuggerant.

Perſona & res geſtæ inprimis juxta ſuas proprietates expendenda ſunt.

Quis enim perſonas deſignat, in quibus ſexus, ætas, conditio, dignitas, officia, affectus, virtutes, ſcientiæ & vitia, præſens etiam præteritus ac futurus ſtatus conſiderari poſſunt. Et hæc ſingula per locos communes, id eſt contraria, ſimilia, teſtimonia, &c. magis illuſtrari.

Quid ſubjicit illa, quæ quiſque *dixit, fecit, omiſit*, aut *perpeſſus* eſt. Hoc eſt, verba, opera, perpeſſiones, omiſſionéſque. quò & *commoda* neglecta, & *damna* tolerata poterunt revocari; tum deinde *obligationes* ob accepta beneficia, vel munus ſuſceptum, quibus quiſque tenebatur facere, aut omittere. Ac poſtremo *motiva* ſeu *cauſæ moventes* ex *neceſſitate, facilitate, jucunditate, utilitate* ac *honeſtate* operis, quæ potuerunt impellere. Et hæc præcipuè cum jam movenda voluntas eſt, adhibentur.

Vbi locum ejuſque attributa conſideranda ſpectat, ut privatímne an publicè, ſacro an profano, alto an humili, &c. loco res facta ſit?

Quibus auxiliis oſtendit, quas ab aliis & ſeipſo ad rem perficiendam *vires* animi & corporis, quas *opes*, vel ſuas, vel alienas adhibuerit. Quid Deus, aut homines contulerint.

Cur hoc eſt, quo *fine* aut intentione operantis. (Nam finis intrinſecus operis ad cauſas ſpectat) ſeu quibus rationibus ad operandum inductus ſit, & an honeſtum utili præpoſuerit, æterna caducis?

Quomo-

Quomodo, hoc eſt, quàm *rectè,* prudenter, commodè, fructuosè, honeſtè, celeriter, aut laudabiliter, vel *contrà iniquè,* &c. rem egerit.

Quando ad *tempus* ejuſque attributa refertur; ut hieme an æſtate? die an nocte? brevi an longo, pacis an belli tempore res acta ſit?

Hæc illis, qui naturam rerum, ejúſque proprietates, tum cauſas effectúſque earum minùs penetrant, ſervire ad diſcurſum facilè poterunt, cùm adjuncta plerúmque rebus ipſis notiora ſint, & ad illarum naturam facilius penetrandam deducant. Videndum tamen inprimis eſt, ut diſcurſus noſter, qui de rebus fidei eſt, in ſacris inprimis literis fundetur, intellectúmque manifeſta veritate convincat; ita enim facilius voluntas in obſequium affectúmque trahetur, quò omnis noſter diſcurſus referendus eſt. *Adjuncta ad rerum etiam naturam penetrandam nos ducunt.*

Ad excitandum verò nonnunquam in frigidiori diſcurſu animum, faciet, ſi expendat. I. Quid aliis in malo pertinacibus, aut etiam amico hac in re conſulenti ſuaſurus, quibúſque rationibus ad virtutis e. g. & honeſtatis curam inducturus eſſet. II. Quid in morte, atque ipſo æternitatis felicis aut infelicis aditu ſe velit feciſſe. III. Quàm beati nunc ſancti viri ſint, & in æternum futuri ſint, qui exiguo tempore, his ſuperatis difficultatibus Deo ſerviêrunt; contrà infelices illi, qui breviculæ voluptati æternam poſthabuêre. IV. Quid Deus ipſe ultro hujus vitæ calamitatibus, noſtri gratiâ ſubjectus, fecerit ac perpeſſus ſit. Quámque ſtultum & væcors ſit, hoc nolle pro propria ſalute hominem, quod Deus homo præſtitit pro aliena. V. Quot beneficia à Deo in te collata, hoc ſaltem gratitudinis nomine exigant. VI. Quàm glorioſum ſit Deo amicum eſſe, atque agere quæ illi placeant; Chriſto verò dilecto ejus filio, & hic & in æternum eſſe quàm ſimillimum. Hæc aliáque ad excitandum universè diſcurſum affectúmque facilius promovendum facere poterunt.

Pro affectu concitando juvat conſiderare.
1. Quid aliis ſuaſurus ſit.
2. Quid in morte factū velis.
3. Quàm felices pii!
4. Quid fecerit Deus ipſe.
5. Quot beneficiis provoceris.
6. Quantum bonum Deo jungi.

(†)

CAPUT IV.

De piis affectibus in genere, & quibuſdam in particulari.

Affectibus proſecutionis bonum petimus: fuga malum declinamus.

RELiquum eſt, ut de piis inflammati cordis affectibus videamus. Horum duplex genus eſt, proſecutionis, quibus appetimus bonum: & fugæ, quibus devitamus malum. Illa ſunt *amor, deſiderium, gaudium, ſpes, audacia.* quibus opponuntur *odium, abominatio, triſtitia:* vel *dolor, deſperatio & timor. Amore* rem proſequimur, ut bona videtur; *odio* fugimus, ut apparet mala. *Deſideramus* bona abſentia, *abominamur* mala inſtantia. Præſentibus bonis *gaudemus*: malis *dolemus. Speramus* bonum abſens, quod obtentu videtur poſſibile; ſecus *deſperamus. Audemus* cum periculum in bonis deſideratis apparet ſuperabile; *timemus*, cùm videmur ſuperandi, aut certè periculum fugimus.

Amor & odium ſimplicis affectus eſt, vel efficacis.

Amor autem & odium, vel in ſimplici tantum complacentia boni, aut diſplicentia mali conſiſtit: vel in affectu ad bonum aut malum efficaci. Et hic amor ad conſenſum mediorumque electionem ac uſum deducit, atque in meditatione potiſſimùm ſpectandus eſt, cùm ceteri ex hoc uno affectu dependeant, ac regantur. Et in *via* quidem *purgativa* per actus fugæ, hoc eſt timorem noviſſimorum, abominationem & dolorem de peccatis, animam virtuti præparat: ut in *via illuminativa*, deſiderium, ſpem, audaciámque ad Chriſtum ſequendum acuit; in *unitiva* gaudium, cum plena charitate & quiete in Deo, accendit. His tamen affectibus pia voluntas, credendi Deo in omnibus, per fidem ſubſervit.

Mixti ferè virtutum affectus ſunt.

Mixti ex iiſdem quoque affectus naſcuntur; ut admirationis, condolentiæ, ſeu compaſſionis, fiduciæ, contritionis, gratitudinis, reſignationis, humilitatis, patientiæ, caſtitatis, obedientiæ, zeli animarum & gloriæ Dei, &c. Porrò de præcipuis Meditationis affectibus, quemadmodum exerceri ac diduci poſſint, breviter diſſeremus.

Affectus fidei fundamentum

Affectus fidei ſummè neceſſarius eſt: cùm viva fide nitatur tota religio noſtra, & meditatio affectúſque omnis. Excitabis hunc 1. conſiderando, quod Deus ſit ſumma ve-

ritas.

ritas, qui fallere non poſſit, & ſumma ſapientia, qui falli nequeat, ac ſumma bonitas, qui fallere non velit. Quòd autem ſumma veritas illa dixerit, quæ in S. Literis propoſita, & ab Eccleſia Catholica hucuſque cuſtodita, atque hoc ſenſu nobis expoſita ſunt: quodque ſumma Dei bonitas ad noſtram inſtitutionem & ſalutem hæc nobis relinquere voluerit, his nihil poteſt eſſe credibilius, ideóque teneris prudenter admittere. Verè David: *teſtimonia tua* ô Domine, *credibilia facta ſunt nimis*: Et Paulus, *quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Hoc fine nobis etiam omnis creatura, ipſique de cœlo Angeli ſerviunt, totque beneficiis Deus opt. max. excitat, ut piè credentes, monitíſque ejus obſequentes vitam habeamus æternam. II. Expendes, quàm ſtulti, vilis animi, & infelices ſint, qui hæc non credunt Deo, nec ſenſum conſenſúmque Eccleſiæ, à Chriſto ad nos uſque deductæ, ſequuntur; cùm nihil illo poſſit eſſe ſecurius. quod autem maximè ſecurum, hoc utique in æternæ ſalutis negotio prudenter nequit repudiari. III. Vide, quænam illa ſint, quæ in vera fide retardant homines. ut ſolent eſſe illecebræ carnis, mundi, ac Dæmonis, ad liberiorem vitam provocantes à jugo Chriſti & viâ anguſta crucis: tum deinde proprii judicii in ſenſibus ſcripturarum interpretandis æſtimatio, & nimius amor ſui: poſtremò etiam gravia incommoda, aut tormenta, quæ perſtanti in fide eſſent ſuſtinenda; contrà emolumenta & honores temporales, qui deficienti afferrentur. & hæc univerſa, cum pia ſubjectione judicii tui, rejectione illecebrarum & commodorum, pœnarum etiam contemptu, ex amore veritatis, ſalutis, & reverentia ſupremæ autoritatis Dei amplectere, millies mori, quam ab his diſcedere paratior: ut à tot ſanctis Martyribus factum eſt. Hujus fidei exercitium in omni ferè Meditatione locum habet, præcipuè tamen in via purgativa uſurpandum eſt, ut quæ de judicio, infernóque, &c. proponuntur, firma perſuaſione teneas.

[Margin: rectè meditandi eſt. Nititur prima veritate. — Pſ. 92. Rom. 15. — Quæ per univerſalis Eccleſiæ conſenſum nobis proponi debet. — Retardantia ab illa fide ſubmovenda ſunt.]

Affectus Spei & *Fiduciæ* qui tàm gratiam & beneficia vitæ hujus, quàm alterius gloriam & felicitatem ſpectat, excitabitur, tum ſpectando donum ipſum, tum perſonam

[Margin: Affectus Spei huic proximus]

animum ad divina erigit.

1. Spectatur in hac donū promiſſum.

2. Chriſti merita pro nobis oblata.

3. Perſona promittens, ejuſque bonitas & miſeratio.

cui donatur, & Deum qui donat I. Ex parte doni ſperamus illud ſi promiſſum, ſi facilè, ſi pluribus tribui ſolitum, ut ſunt neceſſaria ad vitam, ſi quæramus primò regnum Dei; gratia ad bene piéque juxta Dei præcepta vivendum, ſi conſtanter petatur. cùm *non* ſimus *ſufficientes cogitare aliquid ex nobis.* II. Ex parte accipientis, quamvis ille, ut ingratus hactenus, ita & indignus ſibi videri poſſit: tamen quia ſuâ nos Deus miſericordiâ dignos fecit, venire in partem ſortis ſanctorum, ex Chriſti meritis pro nobis Deo Patri oblatis ſpem jure concipimus. III. Ex parte donantis eſt ejus promiſſio, quæ non fallit; bonitas, quæ tot hactenus nos beneficiis cumulavit: miſeratio & pietas, quæ toties offendentes, tanquam prodigos filios, in paternum ſinum amplexúmque recepit, nos meritò in ſpem magnam eriget, tum præſertim liberalitas: nam ſi cogitemus longè illum profuſiorem ad tribuendum eſſe, quàm nos ad petendum ſumus, qui poſtquam omnia nobis tribuiſſet, etiam donavit ſemetipſum, quid ab illo non erit ſperandum?

Affectus charitatis ex charitate Dei immenſa erga nos accendetur.

Affectus Charitatis ſeu Amoris Dei, 1. inflammabitur, ſi conſideres, quod Deus tam excelſus infinita charitate, te viliſſimam creaturam primò complexus ſit, & ex illâ ita tibi tribuerit univerſa, ut ſi tu ſolus in mundo eſſes, cui ipſos non tantùm ad ſerviendum Angelos, verum ſeipſum denique ad ſalutem tuam procurandam addixerit. Illius igitur amoris, ſi ſpectes altitudinem, eodem te complectitur, quo ſupremum Angelorum, ipſámque ſanctiſſimam Matrem ſuam; ſi profunditatem, ad ipſam ſe demittit abyſſum perditorum, hoc eſt, infernum, unde te immerentem eruit: ſi longitudinem, ab æterno cum ipſo Deo hic amor duravit, duraturus in omnem poſthac æternitatem, niſi prior homo ex malitia illum abruperit: ſi latitudinem, nihil eſt in univerſo terrarum orbe, nihil in cœlo, nec ipſe quidem Deus, quod non ad ſalutem, utilitatem & felicitatem tuam velit convertere. Quantus ille Dei Patris amor, *qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit* illum! quantus filii, qui *oblatus eſt, quia ipſe voluit, poſuitque animam ſuam pro ovibus ſuis!* quantus Spiritûs S. qui, ut homo Deus fieret, Virginem mortalem obumbrare & fecundare dignatus

1. Amor Dei ex incarnatione ſingulariter patet.

tus eſt, & cujus *charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris!* II. Expende, quòd cùm bonum tantùm amando proſequamur, Deúſque ſummum bonum ſit, atque immenſum, quod in ſe complectatur quidquid amabile eſt, in ſuprema perfectione & eminentia: omni illum poſſibili amore eſſe digniſſimum, extremámque amentiam videri, iſto relicto, extrà periturum aliquod ac futile bonum amplecti. III. Vide, quanto veri amatores Chriſti amore exarſerint, Paulo exclamante, *quis nos ſeparabit à Charitate, quæ eſt in* JESU *Chriſto Domino noſtro? an tribulatio, an anguſtia, &c* & Ignatio Martyre: *ignis crux, beſtiæ, & omnia tormenta Diaboli veniant in me, dummodo Chriſto fruar.* Quidquid igitur, aut caro, aut mundus, aut dæmon, vel blanditiarum vel pœnarum admoveant, ignis veri amoris vincit ac edomat. Quod verò iſti ex eadem tecum carne compacti, in rebus tam arduis ſolo amore perrupére, cur tu in multò levioribus non poteris?

2. Nihil majori amore dignum, quàm ſummum bonū.

3 Summi amatores ſuo nos exemplo accendent.

Affectus contritionis trium harum virtutum motivis, ac præcipuè charitatis innititur. Eſt enim hæc duplex. alia imperfectior, quæ Deum punientem ſcelera, vel præmiantem virtutes, aut quævis bona etiam gratuitò tribuentem reſpicit, ideóque ex timore pœnarum, aut ſpe præmiorum peccata deteſtatur. Quâ contritione, cùm non tam Deum homo amet, quàm ſeipſum, cujus commodum intuetur; peccatum extra Sacramentum non tollit. connitendum igitur, ut ex alia perfectiori contritione, ideo peccata deteſter; quia divinæ tantùm diſplicent, aut adverſantur bonitati. Ita, ut ſi neque infernus, neque cœlum eſſet, quæ timeri, aut ſperari poſſent; hujuſmodi tamen ſcelera deteſtarer, quia ſupremam Dei majeſtatem bonitatemque offendunt. Poterit tamen ad hunc affectum ex priori velut gradatim perveniri. ſi videlicet æternas pœnas, quas te promeritum vides, ſola Dei benignitate & miſeratione, te, præ tot aliis (interea, dum tu peccas, damnatis) expendas evaſiſſe, & æternam felicitatem, quam amiſerunt alii, etiamnum licet immerentem, poſſe adipiſci; idque gratuita ipſius bonitate factum conſideres, quam ex animo doleas à te unquam fuiſſe offenſam. II. Expendere beneficia varia poteris,

Contritio alia imperfecta: alia perfecta.

Imperfecta pœnam magis aut præmia, quàm Deum reſpicit.

Gradus ad perfectam eſſe poteſt.

2. Beneficia Dei conſiderata movent. omni penè in te momento collata. etiam tum, cum ingratus offenderes, idque à ſumma majeſtate, cui tu in tanta vilitate tua nequeas comparari. III. Cogitare, quid denique ad tot labores doloreſque, ad opprobia ultima, *3. Mors Chriſti.* mortemque, pro te, uſque adeò ingrato homine, perferenda, tantum impulerit majeſtatem, tui minimè indigam, niſi amor planè admirabilis, tibi impenſus. quàm indignum! it ita amantem, non ſolùm non redamaſſe, ſed offendiſſe etiam! Dolebis igitur, deteſtaberíſque, quidquid tantæ majeſtati adverſatur, mortem ſubire paratior, quàm illi, peccatis rurſum tuis, morte gravius malum inferre, qui *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra.*

Hi affectus infra practicè diducti ſunt. Hos eoſdem affectus, ex his aliiſve motivis per Meditationes ſequentes reperies: & illos quidem practicè per diſcurſum brevem diductos. uti & aliarum virtutum timoris Domini, humilitatis, obedientiæ, reſignationis, patientiæ, &c. Hoc ſolùm loco quædam tradere motiva Theologicarum virtutum placuit, ob hos affectus maximè nobis ubíque in meditandis rebus neceſſarios.

CAPUT V.
De modo producendi pios affectus.

Ex Affectibus præcipuus fructus eſt. QUandoquidem verò præcipuus Meditationis fructus in affectu inflammato conſiſtit; ut ex quo in via purgante facilè homo ad vitiorum pravarúmque affectionum extirpationem impellitur, in via illuminante ad virtutum exercitia ſtimulatur, in uniente denique cum Deo per amorem arctiſſimè ſociatur: iccirco præter conſuetudinem aliorum in ſcribendis Meditationibus verſantium, affectum cujúſque puncti explicatius aliquantò ſubjiciendum cenſui; ut ſiquis in hoc exercitio, vel ſterilior, vel frigidior hæreret, is ad eum meditatè cunctanterque, cum guſtu, quo poſſet ſpirituali, legendum accederet. Ne eveniat, quod apibus per quoſdam flores diſcurſantibus, unde ad uſum nihil decerpunt. Quia tamen ejuſmodi à me affectus plerúmque parcius expoſiti ſunt, quàm vel natura eorum ferret, vel Meditantium deſiderium expoſceret. Placuit hic obſervatam à nonnullis generalem quandam affectuum explicatius diducendorum ratio-

ationem, cámque ordine alphabetico memoriæ cauſâ præmittere: ut ſicui affectibus diutius immorari libuerit, s ex hiſce modis, qui maximè opportuni viſi fuerint, pro arbitratu uſurpet. Sunt autem

Affectus quidam univerſales particularibus ad amplificandum ſubſervientes.

Agnitio veritatis propoſitæ, per vivam fidem.

Admiratio diſpoſitionis, providentiæ, aut bonitatis divinæ.

Æſtimatio temporis gratiæ & beneficiorum Dei.

Benedictio Dei, noſtri adeò ſolliciti, ſapientis, benevoli, &c.

Communicatio cum Angelo cuſtode, ſancto, aut Deo conſilii.

Confeſſio præteritorum delictorum, negligentiæ, ingratitudinis, &c.

Confortatio ad emendationem ex ſpe divinæ gratiæ, & exemplis SS.

Deteſtatio malè vel tepidè exactæ vitæ, & neglectæ gratiæ.

Exhortatio, quâ ad perfectionem, & victoriam te impellas.

Fiducia, quâ ſtatuas te in Chriſti meritis omnia poſſe.

Gratitudo, quâ Deo, ad hanc te gratiam ſervanti, totum te offeras.

Humilitas, quâ indignum te tot donis divinis agnoſcas.

Invitatio ſanctorum om. ut tecum orent Deum, glorificent, &c.

Laudatio Dei tam in ſe glorioſi, in nos benefici, &c.

Memoratio beneficiorum, quæ omni vitæ momento Deus contulit.

Negatio, quâ ſtatuat, ſe nulla in re ipſius beneficiis abuſurum.

Oblatio opum, famæ, vitæ, & potentiarum Deo; ut gratiæ reſpondeas.

Petitio ut, per Chriſti merita, Deus omnia ad ſalutem tribuat neceſſaria.

Propoſitum de futuræ vitæ rationibus certâ lege inſtituendis.

Querela piæ, quod deſideria amandi, ut par eſt, Deum, explere non liceat.

Reprehenſio ſui ob neglectum tempus gratiæ, cæleſtia præmia, &c.

Sollicitatio interceſſionis, & à Deipara Sanctis & Chriſto.

Taxatio operum, pœnâ certâ, niſi perfeceris, conſtitutâ.

Votum, quo optes, hæc, aut illa à te perfectè expleri poſſe, ut à SS. &c.

Zelus, quo deſideres omni poſſibili affectu, effectúque Deum glorificare.

Per Rhetorum figuras exacuuntur affectus.

En Alphabetum affectuum continuandorum verè aureum. ex quo nunc hos, nunc illos devotionis amplificandæ actus ſibi quiſque deligere poterit, prout maximè ſenſerit conducere. Acui illi quóque per figuras quaſdam Rhetorum acriores poterunt; ut per *Interrogationes, Exclamationes, Apoſtrophes, Proſopopœias, &c.* prout cuique ardor & animi impetus ſuadebit. Nam ad vim affectibus imprimendam (ut exemplo utar) magnopere juvabit, ſi Chriſtus tanquam venturus Judex peccatorum arguens per proſopopœiam exhibeatur, irato vultu, corrugata fronte, flammantibus oculis, intentato de cœlo fulmine, minaci voce, terribili furore irruens: aut ſi amicam animam tanquam ſponſus ſponſam, ore renidenti, explicatâ fronte, ſerenis oculis, voce blandiente compellet, ad amorem invitet, ſoletur in adverſis & excitet. Quocirca neque illa figurarum acrimonia ab his affectibus eſt ſubmovenda.

Rationibus breviculis interpoſitis etiam foventur.

Ad amplificandum quoque exacuendúmque affectum faciet, rationes alias aliáſque ab intellectu, velut ignis alendi fomenta ſubjicere. neque enim inflammata jam voluntate mentis diſcurſus planè eſt ſeponendus; ſed novis identidem animus alimentis eſt excitandus, ne repentè intepeſcat. Huc autem inprimis faciunt rationes illæ, quæ ab *utili, honeſto, pulchro, jucundo*, ac *neceſſario* ſuppeditantur. quos rudis verſus exhibet,

Utile, honorificum, pulchrum, volupe, atque neceſſe.

Quæ cũ oppoſitis, ut *inutili, inhonoro, turpi, injucundo, miniméque neceſſario* compoſitæ magis eminent, & illuſtrantur. de quibus in noſtris Rhetoricis fuſius. ubi etiam ſigillatim de affectibus actum eſt. Denique ad producendum excitandúmque affectum, ſanctorum quiſpiam, e. g. Apoſtolus Paulus in Charitate, Deipara in humilitate, maxi-

Sanctorum exemplis &

maximè autem Chriſtus ipſe Servator noſter, tanquam perfectiſſima virtutum omnium idea, nobis eſt proponendus. In hoc uno plura nos accendent. Nam

præcipuè Chriſti Domini variis modis conſiderati affectus promoventur.

Influit, exemplar, finis, docet, atque meretur.

Si enim hunc ſpectemus, *ut principium*, qui per gratiam ſuam influat, nóſque excitet; ſi *exemplar* vitæ actionúmque ſuarum proponentem; ſi ut *finem* deníque glorioſum, cui, & in hac, & in altera vita conformemur; ſi ut *Magiſtrum* adeò ſollicitè nos ad virtutem inſtruentem; ſi denique tam caro *pretio ſanguinis ſui*, hanc mihi occaſionem ſalutis & divinæ gloriæ procurandæ *merentem*; quis non aſſurgat animo, omníque devotionis ardore inflammetur? Hoc fac, & vives.

Habes inſtructionem perbrevem de affectibus, quæ non tantùm res ſacras Meditantibus, verùm & pro Concione populi dicentibus ad inflammandos alios poterit deſervire.

CAPUT VI.

De colloquiis piè utilitérque inſtituendis.

Ex hebd. 1. Exerc. 1. 2. & 3. Colloquiis Meditatio concluditur.

COlloquia cum Deo, Chriſto, aut ſanctis Dei, Meditationem ſolent concludere; tum ut *laudem* Deo dicamus in omnibus bonis ipſius, *gratiáſque* pro beneficiis in nos collatis *referamus*: tum ut *gratiam* à Deo *impetremus*, ad implendum quod proponimus. Quæ licet in reliquis etiam Meditationis partibus queant uſurpari, in fine tamen, qui ferventior eſſe debet, potiſſimũ ſunt adhibenda. Quod ſi ad Deum fiant, concludi per orationem Dominicam poterunt. ſi prolixius inſtituta primò interceſſionem ſanctorum, ut Deiparæ Virginis, & Mediationem Chriſti hominis apud Deum poſtulent, ac deníque ad Deum Patrem dirigantur. Primum colloquium ad Deiparam, per *Ave Maria*: alterum ad Chriſtum, per *Anima Chriſti*: tertium ad Patrem. per *Pater noſter* concludatur.

Ex 3. hebd. contempl. 1.

Ut verò hæc colloquia majori devotione peragantur, conſultum erit, pro ratione materiæ, nunc *perſonam Rei* induere Judicem ſuum *deprecantis*: nunc *Servi exorantis*

Ex hebd. 1. Exerc. 1.

Dominum: nunc *Filii* cum Patre, *Sponſæ* cum Sponſo, aut amici cum amico *loquentis*. Hæc colloquia Deus ipſe, aut etiam Sancti nos invitantes, rectè nonnunquam auſpicari poterunt: ut hac nos invitatione excitati, majori fervore accurramus. Cum in his præcipuus director eſſe debeat Spiritus S. *qui poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Nonnunquam etiam omnes creaturæ nobiſcum ad laudes Deo concinendas adhiberi poterunt, ut ab Hebræis in Babylonia fornace adoleſcentibus egregiè factum legimus.

CAPUT VII.

De Recollectione inſtituenda, notandis luminibus rarioribus, & formandis in particulari Propoſitis.

Ex Addit. 5. ad Exerc. *Poſt Meditationem inſtituenda Recollectio eſt, cum Examine ſucceſſus.*

RECollectio poſt horam Meditationis expletam, brevis erit, per horæ quadrantem circiter, à ſtante, aut deambulante inſtituenda. quâ de ſucceſſu Meditationis inquiret: ut vel doleat emendetque impoſterum ſiquid actum perperam; vel ſequatur, quod benè ſucceſſit, actis Deo gratiis.

Examinet igitur 1. quemadmodum *ſe* ad illam *præparaverit.* an juxta præſcriptas ſupra regulas? an in præſentia Dei conſtitutus præludia, & orationem præmiſerit?

2. An, & quomodo in progreſſu mentem applicaverit? quæ rationes, & lumina intellectus habuerit? qui affectus & propoſita fuerint voluntatis? Nimiúmne illis, his neglectis inhæſerit, curioſè magis intellectum paſcendo, quam piè voluntatem inflammando? An propoſitum in oratione ſcopum, de certis vitiis devitandis, aut virtutibus ſeriò proſequendis ſit aſſecutus? Si diſtractus, aridus, & indevotus fuerit: quæ cauſæ, & quomodo aliàs cavendæ?

Rariora lumina ſunt ad uſum notanda.

3. Obſervet *veritates & lumina rariora*, quibus intellectus planè convictus fuerit, e. g. in nullo nos poſſe gloriari, ex agnitione nihili; quod non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis: aut, quod hujus vitæ bona ſectari, neglectis cæleſtibus, ſtultiſſimum ſit;

ſit; cùm nec unicum quidem momentum vita noſtra, cum immenſa æternitate comparata, poſſit ac debeat cenſeri: tum deinde *motiones impulſuſque voluntatis* inveſtiget, cum hujus aut illius pii exercitii ſive virtutis ſequendæ propoſito. Ex quibus tam hæc, quam illa paucis erunt in charta ſignanda. ut, languente quandóque fervore, in iiſdem recolendis ſeſe animus exerceat, & in promptu habeat, per quæ ſequentem deinde vitam, rectius conſtantiúſque moderetur.

Propoſita in caſibus particularibus ad praxin dirigenda.

4. Diligenter animadvertat, quæ fuerint *propoſita*, an & quomodo in praxin redigenda? Non enim ſufficiet generatim e. g. *in via purgativa* ſtatuiſſe: omnia ſeſe *peccata vitaturum*, & moriturum potius, quàm in mortale delictum impoſterum conſentiat. Sed ſingulatim quóque ſtatuendum has illáſque *peccandi occaſiones*, quibus ſe frequentius impulſum advertit, *vitaturum*. e. g. luxurioſos ſocios, liberas evagationes oculorum, turpia colloquia, contactus, cogitationes libidinoſas, quibus ſe ad graviora ſenſim incitari obſervavit, hæc nulla ratione velle admittere. Tum verò *pœnitentiæ opera*, jejunia, cilicia, orationes, frequentem conſcientiæ expiationem, *tanquam remedia* opportuna huic vitio infringendo, *adhibiturum*. Et ſic de reliquis non tantùm criminibus, ſed & *pravis habitibus & inclinationibus extirpandis* (quibus ſe ſentit obnoxium) erit ſtatuendum. Et hæc quidem ut in via purgativa; ita & *in* illa, quæ *illuminativa* dicitur, de *virtutum ſtudio ſatagendum* eſt, non generali ſolùm propoſito, verùm particulari etiam inſiſtendo. ut ſi e. g. animadvertas, te in humilitate parum eſſe provectum, illius naturam, gradúſque & perfectionem inveſtiga: tum verò ante omnia *exemplar* tibi iſtius virtutis *in Chriſto, aut* ejus *Sanctis* propone, & frequenti cogitatione recole: decus, gloriam, ac præmia tantæ virtutis expende: *fuge quidquid* illi, ſive in cogitatione, ſive in verbis, & multò maximè, quod ipſo opere *adverſatur*, ſenſimque, *frequenti virtutis* illius *exercitio*, ab inferiori gradu ad altiorem, hoc eſt, à neglectu laudis, ad amorem etiam contemptus enitere: ut tanto poſſis eſſe Chriſto ſimilior. Sic *in via unitiva* e. g. non tantùm decernas, velle te in omnibus Deum ſpectare, atque voluntate & amore

Quomodo id [illegible] vias ſingulas præſtandum exemplis traditur.

amore ipſius operari univerſa; ſed in rebus, quas tibi maximè moleſtas accidere, animíque quietem turbare noſti: in his millies repetendum ſtatue: *Non mea, ſed tua voluntas fiat. Ita Domine, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Conclude, te firma fide apprehenſurum, quod Deus *omnia operetur in omnibus*, ideóque nihil boni, aut mali (ſolo peccato dempto) creaturæ, ſed Deo velle tribuere, illíque referre gratias in omnibus. Ad quod juverit familiari quadam melodia mentis hæc identidem verba modulari ſecum tacitè, aut volvere: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.* Quæ ſæpius repetita, ubi animus ab aliis occupationibus liber erit, ultro ſeſe ingerent, illúmque ad Deum, velut centrum ſuum reducent.

Hæc admonitio tanti ponderis eſt, ut in hac, tanquam ultima machina, omnis noſter profectus, quem ex ſpiritualibus hiſce commentationibus ſperare poſſumus, collocetur. Nam niſi ad particulares ejuſmodi praxes, noſtra propoſita in ardore meditandi concepta, denique, compoſito jam animo, per recollectionem redigantur, ut ignis plerúmque ſubtractis fomentis, evaneſcunt, atque in ventum reſolvuntur. Debet autem quiſque *attendere quibus potiſſimum vitiis laboret, & virtutibus indigeat.* Quid tanquam Chriſtianus, & quid ex peculiari ſtatus ſui ratione omittere, ac præſtare teneatur.

Singuli pro ſtatu in quo verſantur propoſita formabunt.

CAPUT VIII.

De Contemplatione ex applicatione ſenſuum per imaginationem, illuſtrationibus item & motionibus ſenſuum applicationi reſpondentibus.

De contemplatione, & applicatione ſenſuum.

PRæter conſuetam hanc Meditandi rationem, aliam S. IGNATIUS minus uſitatam tradit per quinque ſenſus imaginarios, ſive interiores, totidem ſenſibus exterioribus reſpondentes. Quæ tamen Contemplatio potius, quam Meditatio appellanda eſt; quòd, imaginibus in phantaſia formatis intenta anima, eas ſine multo diſcurſu contempletur. Ita fingere poteſt *in via purgante* ſe præſentem

ſentem *ſpectare* vaſta inferorum incendia: *audire* dolentium ejulatus, jactáſque in Deum blaſphemias : *olfacere* ſulphur fœtorémque : *guſtare* amariſſimum fumum: *tangere* ardentes flammas, eorúmque omnium cruciatu diriſſimo, ſive purgandum, ſive etiam æternùm, ſi ex merito agatur, damnandum ſe depoſci. Sic *in via* quóque *illuminante* præſentem ſe ſiſtet Incarnationi per Angelum annuntiatæ, aut Nativitati Chriſti: ſpectando hinc Virginem, inde Angelum; audiendo verba utriúſque: odorem cæleſtem percipiendo: tangendo veſtigia, aut pedes Angeli, eoſdémque deſuaviando. *In via uniente*, ſe Chriſto, vel reſurgenti, vel aſcendenti junget: jucundiſſimo illius fruetur ſpectaculo, verba avidè excipiet, cum Magdalena ad pedes ſeſe abjiciet, conabitur deoſculari, aut cœleſtibus ſe choris immiſcebit, ſenſúſque omnes inebriabit ab ubertate domus Dei. Hæc tamen cum debita veneratione præſertim in ſenſu tactus, non ſecus ac ſi præſens adeſſes corpore, tibi erunt pertractanda. Ex contempl. 5. primæ & ſecundæ hebd.

Poſtquam autem applicatum ſenſum aliquem pia hac contemplatione ſatiaveris, ad te mentem reflectes, brevíque diſcurſu animum *ad malum aliquot vitandum*, aut *virtutem colendam*, ut ſupra dictum, impelles. Sic e. g. viſis expenſiſque horribilibus damnatorum tormentis, colliges, quàm abominanda res, tibíque vitanda peccatum ſit; quanto pietatis ſtudio breve hujus vitæ tempus ſaluti tuæ impendendum, ut ab hoc tormentorum loco immunis ſis: quantum Deus diligendus, qui hactenus conſervavit. *Reflexio contemplantis ad ſe, & mores ſuos.*

Sed hæc meditandi ratio non cuivis ſuadenda eſt: tum quòd caput facilè, ex vi & contentione imaginativæ, debilitet: tum quòd illuſionibus Diaboli patere nonnunquam queat, ideóque cum diſcretione ſpiritualis Directoris ſit uſurpanda. Ceterùm ubi moderatè conſultóque adhibetur, magnam vim habet animos in quamcúnque partem impellendi: quod ille in hac vita ſenſuum miniſterio potiſſimum rapiatur. Ejuſmodi Meditationes tamen nullas iccirco præfixi, quòd juxta præſcriptam materiam omni loco, in Repetitionibus à S. IGNATIO ſuggeſtis, adhiberi queant ſi qui his ſe juvari inprimis ſenſerint; conſilio ea de re ſucceſſúque, ne fraudibus pateant, cum Directore communicato. *Non cuivis hæc contemplatio convenit.*

Huc

Illuſtrationes, & motus pii,

Huiç contemplationi aliquando ſimiles ſunt illæ illuſtrationes & motus, quibus Deus in nobis loquitur, rapítque animam noſtram.

1. Viſio divinorum.

Nam I. Deus quandóque, velut ſulgur coruſcans, per repentinam illuſtrationem, animam noſtram ad veritatem aliquam, ſingulari in luce, contemplandam extollit, quæ *viſio* dici poteſt. Sed hæc rarius, niſi cum animus à terrenis rebus vacans cæleſti patet influxui, contingit: juxta illud Davidicum: *vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* Ità nonnunquam peccati turpitudo, & inferni horror inſpectus repentè peccatores mutat, atque in alios viros transformat, ſingulari Dei gratiâ. Ejuſmodi lumina cùm Meditantibus offeruntur, magna gratitudine excipienda ſunt, & ſollicitudine fovenda, ac recolenda: ne ſine fructu evaneſcant.

Pſal. 45.

2. Auditus.

II. Deus aliquando, velut *loqui* per ſe, vel S. literas *auditus*, ſingulari energia percipitur: ut D. Antonius in Concione audiens: *ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus; & veni, ſequere me*: ſibi dictum credidit. Auguſtinus, *non in cubilibus, & impudicitiis, non in commeſſationibus & ebrietatibus; ſed induimini* D. J. C. Paulus, *Saule, Saule, quid me perſequeris? Vade ad Ananiam: is tibi dicet, quid te oporteat facere.* Similes his internæ & mentales locutiones ſunt, de quibus Sponſa: *Anima mea liquefacta eſt, ubi dilectus locutus eſt.* Has locutiones anima quandóque Deo intenta, & ad dilectum ſuum anhelans ingenti ſolatio excipit, ideóque *auditus* nomine hæc inſpiratio ſolet diſtingui. Sed cavendum, ne voces illæ perceptæ temere negligantur.

Cant. 5.

3. Guſtus.

III. Et *guſtum* quendam ſingularem, in ſpiritualibus quibuſdam ſenſibus, Deus ſervis ſuis communicat; ut præ his terrena prorſus deſipiant, & vileſcat quidquid divinum non eſt. Talem David in rigidis etiam Dei judiciis percepit, tam ad flagella, quàm blanditias Domini paratus. *Judicia*, ait *Domini vera, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum.* Et hic ſapor non rarò ab anima ad ipſum ſeſe corporeum guſtandi organum, non ſine dulci liquore oris transfundit. At videndum, ne ſuavitate illa ceſſante,

Pſal. 18.

ut

ut diuturna eſſe non ſolet, & ferè imbecillioribus, ut lac infantibus dari, interior animæ erga divina affectus intepeſcat. Memoria igitur in conſideratione iſta, unde hic guſtus natus eſt, frequenter eſt excolenda.

IV. Quidam etiam ex rebus ſpiritualibus *odoratus* inter res ſacras, & cœli delicias, tanquam inter flores, aromata, & unguenta, verſantis hominis nonnunquam percipitur, ut dilecto ſponſa dicat: *odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Hic ſenſus majoris perfectionis ſtudioſis, & cum Deo propius ac familiarius junctis ſolet communicari; ut qui ſe in ſpiritualibus deliciis, velut in paradiſo quodam recreant & oblectant. *4. Odoratus.* Cant. 4.

V. Denique amantibus Deóque intimè fruentibus *tactus* quidam, ac velut mutuus amplexus indulgetur; ut qui ſentiant ſe à Deo, velut amantiſſimo ſponſo, aut parente dulciſſimo in gremio divino foveri, nilque illis, ſive adverſum, ſive proſperum, niſi ex ſuaviſſima illius diſpoſitione, & amore Numinis ſingulari evenire, ideóque in ipſius voluntate pleniſſimè acquieſcunt, ut dicant: *dilectus meus mihi, & ego illi, inter ubera mea commorabitur.* Et hic affectus maximè excellens conſtánſque eſt, nec à Deo facilè, niſi in virtute diu multúmque exercitatis, jámque ad intimam familiaritatem admiſſis, communicatur. Magis tamen in noſtra, quàm ſuperiores omnes, poteſtate eſt; ut qui ſeriò ad virtutem connitentibus, vix unquam negatur. *5. Tactus.* Cant. 5.

Ex his priores tres modi, quibus ſe Deus communicat illuſionibus Diaboli magis, quàm poſteriores obnoxii ſunt, cum ille ſe non rarò transformet in Angelum lucis fictíſque luminibus, loquelis, ac ſuavitatibus fallat, ut rudis in hac arte, ſine ſpirituali, & exercitato duce progredi ac fidere ſatis nequeat; præſertim, ſi à conformitate cum lege Dei, Eccleſiæ, aut religionis antiquæ hi ſenſus abducant, proprióque homines judicio adverſus communem Doctorum ſenſum affigant. Nam ex hoc fine velut cauda hic ſerpens potiſſimum agnoſcitur. Hæc igitur tam ad inſtructionem, quàm cautelam paucis cenſui communicanda. *Illuſionibus Dæmonis quandoque hic locus eſt.*

CAP. IX.

CAPUT IX.

De triplici orandi modo, per Meditationem elevato.

Heb. 4. de modis oran. *De tribus orandi modis triplici via accommodatis.*

UT omni via rectè piéque meditaturis conſuleret D. IGNATIUS, aliam methodum tradidit, quàm orandi vocat; quòd ad uſum communem orationis ex parte accederet. Triplicem illam conſtituit, triplici viæ purganti, illuminanti, & unienti accommodatam. ut qui in diſcurſu ſteriles, vel debiliori aut fatigato ingenio ſunt, facilem haberent meditandi rationem, ad quam ſe, non ſine profectu ſpirituali, reciperent. Quanquam talis illa ſit, quæ etiam ad omnia integris rectè utilitérque queat perſuaderi.

1. *Modus de præcepto, potentia, aut peccato.*

Primus orandi modus eſt, cùm pro materia aſſumitur præceptum aliquod, Dei, vel Eccleſiæ: aut potentia, quæ in nobis eſt, præceptorum executiva; aut aliquod peccatum contra leges commiſſum. In quo, prævia mentis recollectione, ac gratiæ petitione, primò agnóſcam æquum eſſe, ut præcepta ſervemus, potentiis rectè utamur, peccata vitemus. Deinde ſi ſecus factum ſit dolebo, & ſtatuam deinceps cavendum: ſi rectè; gratiis Deo actis, me in propoſito firmabo, & per colloquium gratiam à Deo poſtulabo, atque oratione Dominica concludam. Ita ſingula e. g. præcepta Decalogi evolvam, iis tamen potiſſimum inhærendo, contra quæ maximè deliqui, ut de ſeria emendatione ſtatuatur. Ex quo patet, primum hunc orandi modum parum à conſueta meditandi ratione abeſſe.

2. *De precatione aliqua verbotenus expendenda.*

Secundus orandi modus, preces aliquas meditatione ruminandas aſſumit. e. g. *Pater noſter*, & præparatione animi cum gratiæ poſtulatione præmiſſa, ſingulis deinde verbis (aut pluribus, cùm ad ſenſum requiruntur) attentè penſitandis inhæret. Significata expenduntur, ſenſúſque per ſimilia illuſtrantur, ut piæ hinc motiones, guſtúſque ſpiritualis hauriatur. Et tamdiu ſingulis immorabimur, dum ratio & affectus ſinent. Abſolutâ porrò horâ, quod ex oratione reliquum erit, curſim recitabitur, & colloquio, ad perſonam quam ſpectabat oratio

unà

unà cum gratiæ, aut virtutis alicujus petitione, inſtituto, finiemus. En alterum orandi modum Meditationi quoque affinem, qui per quotidianas preces, vim ſenſúmque illarum magis penetrandum, magno fructu inſtituetur.

Tertius orandi modus, priori non diſſimilis, at ſtrictior, eâdem præparatione mentis prævia, ſingula verba, aut ſenſus orationis Dominicæ breviter, velut per ſingulas reſpirandi vices, tranſmittit, expensâ interim, vel ſignificatione vocis, vel perſonæ ad quam ſpectat dignitate, vel mea ipſius vilitate, vel utriúſque etiam differentia. Concludi denique hic, & ſuperior orandi modus ſecundus, poterit, per alias quaſdam preces ordinarias celerius decurſas: ut ſi *Pater Noſter* per ſuſpiria expenſum ſit, addatur, *Ave Maria, Credo, Anima Chriſti*, & *Salve Regina*, velut loco colloquii.

3. De ſimili precatione ſtrictius per ſingula ſuſpiria evolvenda.

CAPUT X.

De Repetitione Meditationum utiliter inſtituenda.

OBſervavit etiam D. IGNATIUS utiliter quarundam Meditationum, atque illarum inprimis partium, in quibus guſtus fructúſque major fuit, inſtitui repetitionem. Eſt autem, *Repetitio quædam eorum ruminatio, quæ prius meditatus ſum; ut ea continuè reminiſcendo diſcurrat facilius intellectus ſine divagatione.* In hac autem Repetitione tam præludia, quàm colloquia, uſitato more inſtituuntur. Hoc ſolum diſcrimen eſt: primò quidem, quòd omittantur puncta & argumenta minus quémque moventia: ſecundò, quòd diſcurſus minus prolixè, ut in re jam utcúnque nota, inſtituatur; ſed plus indulgeatur affectui. Unde tertiò plura etiam colloquia inducentur; ut magis animus in propoſita pietate firmetur, & gratia ad hoc divina inſtantius urgeatur. Primum colloquium ad Matrem Chriſti, ejus apud filium interceſſionem, & gratiam vitæ emendandæ neceſſariam petendo: alterum ad Chriſtum mediatorem, ut Patrem ad hanc impetrandam flectat: tertium ad Patrem, ut exaudiat, dirigetur,

Repetitio quandoque utilis.

Ex 3. & 4. Exerc. hebd. 1.

Affectibus & Colloquiis hic plus indulgendum.

rigetur. Poſt primum, *Ave Maria*; poſt alterum, *Anima Chriſti*: poſt tertium, *Pater noſter*, recitabitur.

Has ego Repetitiones, pro diebus ſingulis, aut alternis, ſi libeat, inſtituendas, non ſubjeci Meditationibus, cùm formari ex eis à quolibet poſſint, earúmque judicium penes Meditatorem ac Directorem maximè cenſeam relinquendum. Quod hi ex qualitate perſonarum & Meditantium ſucceſſu, hæc optimè queant conſtituere.

CAPUT XI.

De ratione lectionis ſacræ piè fructuoſéque tractandæ.

Lectioni ſacræ hic idem liber impenſè ſerviet.

LIbellum hunc non ſolum Meditationi octiduanæ, cujus ſenſim, niſi foveatur, & ſpecies & ardor evaneſcunt, ſed & lectioni ſacræ deſtinavi. Tum, ut ea quæ ſuperſunt Meditationi in ipſis legendo exercitiis evolvantur, ubi promiſcua lectio non eſt facilè admittenda; ſed ad certum finem collimandum: tum vel maximè, ut conceptus anno toto, ex repetita partitim lectione, foveatur ſpiritus; & nunc ad peccata, aut cupiditates extirpandas legantur quædam ex via purgante: nunc ad virtutum quarundam maximè neceſſariarum ſtudium, ex via illuminante ſubdantur animo languenti ſtimuli: nunc etiam ex diſſertationibus affectibúsque cum Deo unientibus inflammetur. Ita enim juxta D. IGNATIUM Exercitationes noſtræ inſtitutæ ſunt, ut brevi compendio totam vitæ Chriſtianæ perfectionem complectantur: adeóque frequens & meditata ejuſdem lectio, ita ut mox dicemus inſtituta, non poſſit non eſſe utiliſſima. Quocirca diſſertationes affectúſque ipſos ſacris non raro literis, & Patrum quandóque ſententiis, quæ altius ſua autoritate inſiderent animo, fulcivi. Bene D. Paulus: *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus* Quid eſt lectio ſacra, niſi conſilium, aut colloquium cum Deo, de tuæ ſalutis negotio inſtitutum? Attende, quid dicam. Deus tibi conſulit, & tu non audias? tibi loquitur, & tu non reſpon-

Ad Chriſtianæ vitæ perfectionem ducit.

2. Tim. 3.

ſpondeas? ad te venit, te compellat, familiaritatem tuam ambit, velut de cœlo exit ut te inviſat in terris, ſua tibi ſecreta communicet, futura aperiat, oſtendat pericula, ſecuritatem pandat, felicitatem offerat, & tu hæc poſſis negligere? recuſare congreſſum? ſermonem aſpernari? conſilia rejicere? amicitiam odiſſe? Abſit, abſit tanta à te vel amentia, vel infelicitas, ut mortalem quempiam amicum illi præferas, qui cum à te recedit omne bonum amiſiſti, cum accedit obtines. *In lectione ſacra Deus nobis loquitur & rectè conſulit.*

Primò igitur aliquod tibi in die tempus ſtatue, quo pium aliquem librum, tanquam literas à Deo miſſas, aut ipſius ex propinquo ad te loquentis vocis excipias, dicaſque elevato ad Deum cum Samuele animo: *loquere Domine, quia audit ſervus tuus*; vel cum Davide: *audiam, quid loquatur in me Dominus.* *1. Præparandus ad lectionem animus.*

Secundò non intellectum tantummodo, verùm & affectum hæc paſcat lectio. Tractim igitur lege, ut ſingulas veritates rectè penetres ac ponderes, animúmque perſvaſum, vel à vitijs abducas, vel ad virtutem impellas. Curioſa lectio, quæ ſolam eruditionem ſpectat, non ſufficit: verùm affectuoſa requiritur. *Hauriendus*, ait Bernardus, *lectionis ſeria affectus eſt, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuè animum ad intelligentiam lectionis reſtituat.* *2. Vt intellectus, ſic & affectus paſcendus.* In Epiſt. ad Fratres de monte.

Tertiò itaque pia quædam ſuſpiria, colloquiorum brevium inſtar, ad Deum formata, aut gratijs agendis ſerviant, aut petendis. Offerat & his nova Deo propoſita, tam ad vitandum malum, quam bonum proſequendum. *3. Pia ſuſpiria intermiſcenda.*

Quartò aliquod ſibi dictum ſelegat, quod usque ad lectionem proximè inſequentem animo ſæpius verſet. *Aliquid* ait idem Bern. *quotidie in ventrem memoriæ demittendum eſt, quod fidelius digeratur, & rurſum revocatum crebriùs ruminetur, quod propoſito conveniat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat.* *4. Salutare dictum excerpendum.*

Poſtremò in arduis rebus, dum anceps, quid agendum, quidve omittendum ſit, hæſitas, ad pium ſe quandoque librum fortuitò apertum vertere conſultum eſt, multisq; hæc pietas bene ceſſiſſe comperta eſt. Ita Auguſtino anxiè inſtato dictum: *Tolle lege: tolle, lege.* Legit D. Paulum, & mundo relicto, Deum ſecutus eſt. *5. Ardua hinc negotia reſolvenda.*

Verbo abſolvam, *qui ex Deo eſt, verba Dei audit*: & cum David ex animo dicit: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Ex his porrò intelliges, quàm opportunæ ad lectionem ſacram futuræ ſint Exercitationes noſtræ, cum & præparationem animi præmittant, & ſuos affectus diſcurſibus ſubjungant, piáque ſuſpiria non negligant, colloquia ac propoſita complectantur. Quotquot igitur de corpore temporalibus cibis paſcendo ſolliciti ſunt, cogitent animam longè nobiliorem ſpirituali alimento non eſſe deſtituendam; ac ſi illud bis aut ſæpius indies, hæc ſemel ut minimum reficiatur: ne dum tam ſedulò vitam curamus mortalem, immortalis fuiſſe obliti coram ſupremo Judice, jure arguamur.

Pſal. 118.

His omnibus Exercitationes hæ ſacra deſerviunt.

DE

DE DUPLICI EXAMINE CONSCIENTIÆ, ET CONFESSIONE GENERALI,

POſtquam fundamentum vitæ ſpiritualis propoſuiſſet D. IGNATIUS, duplicis *Examinis* conſcientiæ rationem commendavit: *particularis*, quod ad ſingularis alicujus delicti emendationem inſtituatur, & *generalis*, quod ad omnium delictorum purgationem adhibeatur. Et jure: nam ut Paulus monet: *ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Ut illi, qui hoſtem expugnare contendunt, nunc ſingulatim quoſdam ab exercitu ſejunctos; nunc univerſim omnes impetunt: ita adverſus vitia pugnaturo faciendum. Sic Iſraelitis Deut. 7. dictum: *Deus conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim, atque per partes, non poteris eas delere pariter.* Rurſum ut contra potentem hoſtem ſemper in excubiis ſtandum eſt: ita in pugna ſpirituali ſemper vigilandum, quia *adverſarius noſter Diabolus circuit quærens quem devoret.* Quare *juſtus* etiamſi *ſepties* aliquando *in die cadat*; ſimul tamen eadem die per pœnitentiam ſuper expenſa ſcelera inſtitutam, *reſurget.* Quicúnque igitur, & debellare vitia, & virtutes in ſe tueri decrevit, niſi his armis uſus fuerit, nihil obtinebit. Et ſanè pudor ſit, tantùm pro ſalute ſua præſtare quempiam nolle, quantùm mercator lucri gratia indies præſtat, qui niſi expenſarum acceptorúmque rationem ineat, frequentíque examine res ſuas ponderet, extra jacturæ periculum non ſubſiſtet. Nec ſanè Confeſſionem ſuorum delictorum, ut par eſt, facilè inſtituet, in crebris peccandi occaſionibus conſtitutus, qui rationes quotidianas conſcientiæ explorandæ neglexerit; cùm neceſſarium ſit, multorum

Examen conſcientiæ duplex particulare & generale eſt.

Facit ad extirpanda vitia.

Deut. 7.

Prov. 24. v. 26.

Et ad Confeſſionem melius inſtituendam.

torum apud illum memoriam delictorum evaneſcere, quorum difficilè coram Deo judice ignorantiam ſit excuſaturus. Utriúſque ergo curam examinis multis neceſſitas; aliis etiam utilitas perſuadebit.

DE EXAMINE PARTICULARI.

Cassianus jam olim in ſuis Aſceticis *Coll.* 5 *c.*14. hoc examen laudavit, & Propheta Daniel uſurpavit, qui *tribus diei temporibus flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturque coram Deo ſuo.* Nihil enim hoc examen aliud eſt, quàm confeſſio quædam delicti coram Deo, cum peccatorum dolore, & propoſito emendationis quotidie facta. Quod idem Davidi familiare fuiſſe videtur, qui Deo promittit: *Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & exaudies vocem meam.* Ad quorum imitationem D. Ignatius ter de die, hoc eſt mane, meridie, & veſperi hoc Examen inſtitui cupiebat; eâ lege, ut per hebdomadem geminis indices lineis notaretur per inſcripta ſigna. Lapſus ante meridiem in una, poſt meridiem in linea altera, & obſervaretur, dierum & hebdomadarum inter ſe facta collatione: num errata quotidie ſenſim deficerent. lineis iccirco etiam in triangulum ex baſi latiore deficientibus. Quod Examen ſiquis in virtutum quoque ſingulari ſtudio vellet inſtituere, fas eſſet, ut lineæ, contra quam, in vitiis extirpandis, à minoribus ad grandiores, pro notis pluribus excreſcerent. Quod docebunt hæ tabulæ.

Dan. 6. 10. Examen particulare ter de die inſtituendum.

Pſ. 54. v. 18.

Collatio temporis ad profectũ facit.

Et virtutũ ſtudio ſervit.

Tabula vitiorum extirpandorum hebdomadaria.

D
L
M
M
J
V
S

Ut Sciat,
reprobare malũ. & eligere bonũ.

Iſaiæ 7.

Tabula virtutum exercendarum hebdomadaria.

D
L
M
M
F
V
S

Hanc

Hanc alteram adjeci Tabulam, quod vitia nonnunquam rectè per contrarios virtutum actus extirpentur. Præſertim ſi lapſus hac ratione errorem ſuum, oppoſito ſaltem virtutis deſiderio, & interno mentis actu, compenſare conetur. Serviet etiam hæc altera tabula in via illuminativa & unitiva ad perfectionem aſpiranti. *Vitia virtute compenſanda.*

DE EXAMINE GENERALI.

Quinque punctis D. Ignatius Examen hoc diſtinguit.

I. Gratias vult referri. Deo pro acceptis beneficiis, tam universè quàm eo die ſingulatim. In quibus tum excellentia & gratuita bonitas donantis, tum noſtra indignitas atque ingratitudo ſpectari poſſunt. Cúmque impares gratiis habendis reperiamur, omnes Sancti & Angeli Dei, creaturæque univerſæ ad illas perſolvendas invitari poſſunt. *Examen generale quinque punctis abſolvitur. 1. Gratiarũ actione.*

II. Gratia à Deo obnoxiè petenda eſt, quâ ad peccatorum noſtrorum cognitionem & abolitionem memoria juvetur, intellectus illuſtretur, & voluntas inflammetur. *2 Petitione.*

III. Examen de admiſſis eo die peccatis inſtituetur, ſingulas horas veſtigando, & quid cogitatione, verbo, opere, atque omiſſione peccatum fuerit, explorando, ac pro Confeſſione etiam futura, ſi opus fuerit, notando. Ita enim hæc expeditior, certiórque futura eſt, atque ex culpabili ignorantia nihil omittetur. *3. Examine delictorum.*

IV. Venia pro delictis roganda, & dolor, quantùm poterit, ex amore Dei ſummè boni concitandus: ita ut ſi neque infernus, neque cœlum eſſet, nihilominus deteſteris univerſa peccata, quia impenſæ bonitati Dei adverſentur, ac diſpliceant, exquo, per quem, & in quo ſunt omnia. *4. Dolore.*

V. Propoſitum emendationis ſerium eſſe debet. quale eſt, quod non tantùm peccatum, ſed ejus etiam occaſiones vitare ſtatuit: Nam *qui amat periculum, peribit in illo.* Ad hoc autem reipſa exequendum divina gratia, per Jesu Chriſti paſſionem & merita, ſuppliciter erit imploranda. Oratione Dominica licebit concludere. *5. Propoſito emendationis.*

Hæc quidam illo diſticho complectuntur:

Redde Deo grates, pete lumen, diſcute mentem,
Deblet veniam poſce, recide malum.

Deprehendi hac in re praxin per utrúmque Belgium vulgatam, mihique à Patre Societatis Leodii communicatam, quâ Examen hoc ad quinque Chriſti vulnera, totidem articulis diſtributum, aptè piéque inſtituitur. quam hoc breviter loco ſignare placuit, valdè ad devotionem profuturam. Quivis ex ſuo hunc, ante Crucifixum, affectu facilè, ſi velit, amplificabit.

I. Ad vulnus manus dexteræ age gratias, hoc, vel ſimili modo.

O ter-ſancta ter-adoranda Trinitas Pater, Fili, ac Spiritus S. Dominus meus ac Deus meus, gratias tibi ago, teque glorifico propter univerſa beneficia tua, humanitati Jesu Chriſti, B. Virgini Mariæ, univerſis Angelis, hominibus omnibus, & mihi ſingulariter per creationem, redemptionem, & ſanctificationem, &c. collata. O ſuaviſſime Jesu, ſanctiſſima Virgo, chariſſime Angele cuſtos, & Patroni omnes, vobis laus & grates æternæ ſint, pro omni favore & gratia, uſque ad præſentem horam, mihi præſtita.

II. Ad vulnus manus ſiniſtræ pete lumen.

O mi Salvator, ac Deus meus, per merita ſacratiſſimi hujus vulneris, & ſanguinis inde fuſi te precor ſuppliciter, ut gratiam mihi dare digneris ad cognoſcendos omnes defectus meos, eoſdémque efficaciter deteſtandos, & ſeriò corrigendos, quò gloria tibi per hos ablata reſtituatur, & reparetur ignominia tuo nomini illata, ô Jeſu ſit mihi Jeſus! ô lux vera mentem illumina!

III. Ad

III. Ad vulnus pedis dexteri expende viam quâ ambulaveris.

O benigniſſime Jeſu, Salvator meus, Judex meus. En proſtratus ante conſpectum tuum, ego infelix peccator, agnoſco me erraſſe, in *N. N. dum ſurgo, ſacro interſum, laboro, converſor, officium & munus negligo, commiſſione & omiſſione, verbo, opere, &c.*

IV. Ad vulnus pedis ſiniſtri dole te offendiſſe in via vita.

O Salvator dulciſſime, Te humillimè, projectus ante pedes tuos, cum Magdalena ſupplico, & per ſanguinem illum pretioſum ex his plagis manantem obteſtor, ignoſce Jeſu. O quam confundor, quod te ſic offenderim Deum meum! quàm doleo te læſum ô bonitas infinita! atque utinam dolerem profundius! deteſtor univerſa delicta mea, quia tibi diſplicent, & ſummè eadem deteſtaris. O mi Jeſu, in apertas illas plagas tuas, & abyſſum divinæ miſerationis tuæ me totum projicio, ac per merita ſacratiſſimæ paſſionis tuæ, veniam oro ac ſpero à divina bonitate tua. Reſpice in me, ac miſerere mei.

V. Ad vulnus lateris ſeu cordis renuntia peccato, & emendationem propone

O amantiſſime Jeſu, ab hac hora ſatisfaciam æquiſſimo deſiderio cordis tui, pro mea ſalute in cruce transfixi, & corrigam quidquid malè in vita deliqui. Nunquam, nunquam te offendam amplius, nec in minimis quidem ſciens volénſque, ô bonitas ſummè amanda! confirma hoc propoſitum meum per merita ſangui-

nis, ex intimo cordis tui ſinu, pro me fuſi: quæ tibi cum tota vita, paſſione ac morte tua, in ſatisfactionem offero. Fac, ô Deus meus, ut impoſterum perfectè te amem & glorificem, idque mecum præſtent omnes homines & creaturæ Dei, per quas ſis Deus benedictus & glorificatus in ſecula.

Obſerva. Quod ſi crucifixus ante oculos, aut in manibus fuerit, per ſingula examinis puncta hunc amplecti, & exoſculari certum vulnus ſemel aut ter etiam in honorem SS.mæ Trinit. licebit, & nunc quaſi fluentem ex plaga ſanguinem cum Magdalena ſub cruce excipere: nunc te totum per eaſdem plagas in Chriſtum transfundere (nam qui diligit me, in me manet, ait Chriſtus, & ego in illo) nunc etiam cum eodem te Deo Patri in reconciliationem offerre. ita uberes ex hac pietate fructus colliges, & huc tutò te recipies in examine Dei ſupremo.

DE CONFESSIONE GENERALI.

Confeſſio generalis ad emendationem vitæ perquam utilis.

SUadet D. IGNATIUS generalem Confeſſionem à primis Exercitiorum diebus, qui ad viam purgativam ſpectant, inſtituendam. Quamvis enim illi, qui ritè antehac omnia confeſſus eſt, neceſſaria non ſit: Eſt tamen ad vitæ præteritæ emendationem, malitiæque graviorem deteſtationem, tum conſcientiæ tranquilitatem, ob conceptum de peccatis, iteratúmque ſæpius ac ſeriò dolorem, ac denique ob meritũm gratiámque divinam amplificandam, & digniorem S. Euchariſtiæ ſuſceptionem, cumprimis utilis, magnúmque in hora mortis, cùm præteritæ vitæ delicta ſtimulabunt conſcientiam, ſolatium eſt allatura. Tria autem potiſſimum circa legum obſervationem ſtatuit eſſe expendẽda, videlicet cogitata, verba, & opera. Legem autem & communem habemus, Decem præceptorum Dei, cui omnes adſtringimur, & privatam quiſque, ad ſtatus ſui rationem pertinentem. Hanc quiſque ex officio tenetur noviſſe, & paucis ferè abſolvitur: illam ad memoriæ ſubſidium, quia prolixior eſt, breviter exponam.

Tria ſpectat, cogitata, verba, & opera.

Quo-

Quomodo contra præcepta Decalogi peccetur.

In primo præcepto. *Ego ſum Dominus Deus tuus,&c.* Præcipitur, ut Deum, quemadmodum par eſt, colam, *fide, ſpe, charitate & religione.* *Peccatur in 1. Præcepto.*

Contra *fidem* peccat infidelis, hæſitans in aliquo fidei articulo, hæreſin, aut hæreticos fovens. Divinos, aut Magos conſulens. Negligens doctrinam fidei. Imagines, ut Deum colens. Ad ſuperſtitioſa propenſus & credulus.

Contra *ſpem* delinquo ſi diffidam ipſius promiſſis, non exiſtimem me veniam conſecuturum, aut gratiam & gloriam, aut præſumam ex Dei miſericordia hæc mihi conferenda, licet media requiſita non adhibeam. *Contra virtutes Theologicas.*

Contra *Charitatem*, Si aliquam creaturam præ Deo amem, & hanc potius offendam, quàm illam deſeram. Propriam voluntatem divinæ præferam. Magis tepidè Deo, quàm rebus temporalibus inſerviam.

Contra *Religionem*, ſi uſitatum in Eccleſia Dei cultum contemnam, aut negligam; nec cum debita ſubjectione, ſupremam Dei excellentiam reverear.

In II. Præcepto *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum &c.* prohibetur juramentum, quo Deus, aut creatura ejus nomine in teſtem vocatur, niſi neceſſitas & reverentia debita ad veritatem accedat: cenſetur autem neceſſitas, quando de temporali, aut ſpirituali bono non levis momenti agitur. Nec tamen facilè (ut D. Ignatius hic notat) per creaturam jurandum; quod, niſi inter perfectos, longè debilior huic juramento fides ſubit. *In 2. præcepto peccatur.* *Malè jurando.*

Peccatur igitur, ſi vel veritas, vel neceſſitas, vel reverentia deſit: Si levis momenti res, ſi ambigua veritas, ſi implendi propoſitum abſit. Malum tamen, etiam juratus, nemo tenetur, aut debet implere. Peccatur graviſſimè in judicijs ſi falsò juretur: & damnum hinc emergens ſarciendum eſt. Peccant graviter, qui ſibi alijſque diabolum imprecantur: blaſphemi, qui Deo ſanctiſque contemptibilia, aut iniqua tribuunt: S. literas etiam ad inepta adhibent: qui vota & promiſſa Deo facta non implent. *imprecatione, blaſphemia.*

In III. præcepto: *Memento diem Sabbathi ſanctifices.* Præcipitur ſanctificatio dierum Deo dedicatorum, cultúſque *In 3. peccatur vel ſer-*

vili opere, vel neglectu ſacrorum. túſque, debitus, ſervilibus operibus remotis. Peccant igitur, qui ſervilia eo tempore per ſe alióſque curant, ſacra, confeſſiones, ſynaxin, conciones, jejunia præſcriptis ab Eccleſia diebus negligunt, aut alios eadem inducunt. Item qui gula, commeſſatione, & ebrietate tunc potiſſimum, excedunt.

In 4. peccatur non obediendo ſuperioribus. In IV. Præcepto: *Honora Patrem & Matrem, &c.* Exigitur honor & obedientia his aliiſque ſuperioribus, & majoribus digníoribuſque exhibenda. Peccant igitur, non tantùm, qui honorem obſequiúmque his denegant; ſed qui obmurmurant etiam ac detrahunt, mala imprecantur, *1. Pet. 2. 13.* & mortem optant. Petri præceptum eſt. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Optemperandum autem quoties peccatum non præſcribitur. Quia verò ſuperbia & arrogantia, quibus ſe reliquis hominibus ferè homo præfert, ad ſubjectionem obedientiam & honorem præſtandum imprimis obſunt, his graviter ſæpe peccatur etiam cogitatione ſola.

In 5. peccatur odio, ira, rixis & læſione varia. In V. præcepto: *Non occides*, prohibetur occiſio tam ſpiritualis animæ, quàm temporalis corporis, omníſque ad utrámque per exempla pravæ vitæ, iram, inimicitiasq; diſpoſitio. Peccant igitur, qui cogitatione, ſeu deſiderio occidunt, vindictam quærunt, odium iramque fovent mala quævis optant proximo. Invident, dolentque de bonis alterius, verbis lædunt rixoſis, contumelioſis, &c. Verberibus aut vulneribus affligunt, præſertim clericos. Deinde qui ad malum, & mortem animæ conſilio, exemplo impulſu, ſcandalo inducunt, aut, cum poſſunt à ſcelere non avertunt, non ſecus, quàm qui in ſubmerſionis periculo conſtitutum non adjuvant.

In 6 & 9. peccatur turpi quavis cogitatione verbo & opere. In VI. præcepto: *Non mœchaberis*, & IX. *Non concupiſces uxorem proximi.* Vetatur omnis turpitudo, cogitationis, verbi, & operis, quæ varia eſt, mollicici ſeu immunditiæ & pollutionis ex contractu proprio, ſeu alieno; fornicationis, adulterii, inceſtus, ſodomiæ, beſtialitatis, &c. Et his pleriſque graviſſimè delinquitur. Paulúſque monet eos, *qui talia agunt regnum Dei non conſecuturos.*

Peccant igitur, qui ſola cogitatione talium rerum imaginibus delectantur, magis ſi patrare deſiderent, maximè ſi perpetrent. Exponendumque, tam quæ perſona pec-

eans

cans, quàm cum quâ peccare deſignarit, an liberâ, an conjugio, an voto obſtricta? an ſacerdos, aut clericus? quoties & quamdiu immoratus? an in contactu perſonas, & quales ſibi imaginatus ſit? quia plura peccata concurrunt. An turpia, & quo fine locutus? & quot audientibus ſcandalum præbitum? an alios induxerit? ſe peccandi periculo ſciens expoſuerit? cantilenas, tactus, aſpectus, oſcula adhibuerit? libros obſcœnos legat, ſociis cohabitet? &c. His enim abſtinendum. Cetera opera luxuriæ, etiam inordinata conjugatorum, per ſe manifeſta ſunt, tam in numero, quàm ſpecie exponenda. Quomodo enim ſanabit medicus vulnus, quod ignorat?

In VII. Præcepto: *Non furtum facies*, & X. *Non concupiſces rem proximi tui*: Prohibetur omnis illicita alienæ rei uſurpatio. Quod tam in re ſpirituali (cum vel gloriam Deo, vel beneficia & preces debitas Eccleſiæ ſubtraho) quàm temporali fieri poterit. Nec ſolum actor præcipuus hic ſpectandus; ſed & jubens, conſulens, conſentiens, laudans, recipiens. Qui etiam in damno dato ad reſtitutionem obligantur. Unus poſt alium, ſi deſint ceteri. Quos hoc verſu indicant. *Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.*

In 7. & 10. peccatur quavis detentione, & uſurpatione rei alienæ, invitio Domino.

Et oritur obligatio reſtitutionis ut ſatisfiat.

Peccant igitur quotcúnque rem invitis Dominis retinent, aut uſurpant: *Nec dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*, ſi facultas adſit.

Res itaque, quæ & quanta ablata, & cui, & quo modo & quanto damno videndum eſt, quod palam aufertur rapina eſt, quod clam furtum, quod ex rebus ſacris, ſacrilegium, quod pro conceſſis pecuniis poſcitur, uſura eſt, niſi damnum emergens aut lucrum ceſſans æſtimetur. Peccant etiam, qui in luſu fraude lucrantur, & tenentur reſtituere, ſicut qui per venditionem, aut emptionem fallunt, aut plus æquo res æſtimant: qui mercenariis aut ſervis juſtam mercedem non ſolvunt: Creditoribus non ſatisfaciunt, cum poſſunt, tempori, & ad damnorum compenſationem tenentur. Rurſum qui litem injuriâ intentant aut prorogant, ſeu Advocati, ſeu Actores. Denique & plurium Eccleſiaſticorum beneficiorum poſſeſſores, niſi juſta cauſa excuſet. Tum qui pro his pecunias vel accipiunt, vel poſcunt, licet titulis

tam in ſacris, quam profanis.

colo-

coloratis hoc fiat. Nam ſola intentio non cedendi niſi acцepta pecunia: aut non dandi pecuniam, niſi beneficium detur, in vitio eſt. Ditare verò opibus ſacris profanos eſt Eccleſiæ ſuæ ſuſſurari, niſi pro bono id fiat Eccleſiæ. Sic preces canonicas & officia Eccleſiæ debita non præſtare, aut omnino negligenter eſt Deo honorem debitũ ſubtrahere, tenetúrque Eccleſiaſticus, qui neglexit, ad fructuum perceptorum reſtitutionem.

In 8. peccatur quovis linguæ vitio, per quod res, aut fama proximi læditur.

In VIII. *Non loqueris contra prox. falſum teſtimonium,* vetantur omnia linguæ peccata, quibus fama aut res proximi læditur, quo ſpectat mendacium, detractio, temerarium judicium, hypocriſis, & ſimulata officia. Peccant igitur, qui vel falſum crimen imponunt, aut grave occultúmque (niſi intentione bona ad cautelam aliorum) manifeſtant, tenentúrque ad famæ læſæ, quantum fieri poteſt, revocando, aut corrigendo, reſtitutionem. Ita temerè de aliorum gravi delicto judicans, graviter delinquit: ſuſpicans levius, niſi ſuſpicionem malà intentione, prodat. Quo verò plures graviorésque ſunt perſonæ, de quibus judicatur aut detrahitur: (ut Princeps integer Magiſtratus, aut ordo Eccleſiaſticus, vel religioſus) tantò crimen gravius, & obligatio ad famæ reſtitutionem major. Ipſi etiam detractorum auditores, ſi volupe audire ſit; aut non corrigant, dum poſſunt, ſcelus participant. Jam & ſecreta aliorum ſibi credita prodere, literas ea tractantes aperire & intueri, mendaciis & hypocriſi circumvenire, tantò majus delictum eſt, quantò cum majori damno conjunctum. In his aliiſque proximum ſpectantibus, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* & à multis delictis liber es futurus.

His in examine Conſcientiæ expenſis, videre poteris, an in ſeptem peccatis capitalibus, Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia; aliquid ſe offerat, quod in præceptis adductum non fuerit.

In certis verò ſtatibus, aut officiis conſtituti, ut Eccleſiaſticus, aut Religioſus, Judex aut Prælatus, expendet ſui ſtatus, & officii leges peculiares, vota ac juramenta, & ſiquid adverſus illa peccatum ſit, obſervabit.

ORATIO

ORATIO

Quâ Pœnitens per ſuſpiria pia è S. literis petitâ, dolorem de peccatis & emendationis propoſitum concipit.

VÆ mihi peccatori, filio ſcelerato, qui dereliqui Dominum, & ab alienatus ſum ab eo retrorſum. Peccavi, quid faciam tibi, ô cuſtos hominum, quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis? Heu mihi quia iniquitates meæ diviſerunt inter me & Deum meum, & peccata mea abſconderunt faciem ejus à me. O Domine Deus meus, qui me feciſti, cùm non eſſem, refeciſti verò, cùm perditus eſſem, reminiſcere obſecro miſerationum tuarum, & vide, quam fragile vas condideris, nec patere illud eſſe in contumeliam tuam! O Judex optime, judica hic cauſam meam, & diſcerne illam: ſecundum miſericordiam tuam memento mei, propter bonitatem tuam. Quæ enim utilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem? Non enim infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te. Vivens vivens confitebitur tibi, ſicut & ego hodie. O ſuaviſſime animarum medice, miſerere mei quoniam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea. O Pater optime, peccavi in cœlum & coram te, & jam non ſum dignus vocari filius, ſed quomodo miſeretur pater filiorum ſuorum, misereris Domine timentibus te, quoniam ipſe cognoſcis figmentum noſtrum, & fragilitatem. Tu dixiſti, ſi mulier poteſt oblivisci infantem ſuum, ita ut non meminerit filii uteri ſui, ego tamen non oblivisſcar tui. Sed quomodo oblivisci illius poteris quem non aluiſti materno lacte; ſed remiſti Domine in ſanguine tuo, vulneratus propter iniquitates meas, & attritus propter ſcelera mea. Nolo igitur committere, ô bone JESU, ut amariſſima illa mors & paſſio tua, quam pro vitæ ac ſalute mea ſuſtinuiſti in me irrita ſit. Ah quam doleo, hanc ob peccata mea tibi inflictam eſſe! Quàm ingratus eſſem, niſi ab his deſiſterem, propter quæ tam horrenda perpeſſus es, & quæ ipſis crudeliſſimis tormentis tuis tibi longè ſunt acerbiora!

Iſa. 1. Iob. 7. Iſ. 59. Rom. 9. Pſ. 24. Pſ. 29. Iſ. 38. Pſ. 6. Luc. 15. Pſ. 102. Iſ. 49. Iſ. 53.

biora! Deteſtor, ô Domine, execror, averſor quidquid tibi tantopere diſplicet, quidquid me tibi inviſum facit, quidquid adeò æterno patri deteſtandum eſt; ut nec proprio filio in acerbiſſimis cruciatibus pepercerit, quidquid denique me à Deo ſummo bono triſtiſſima diviſione ſeparat.

Pſ. 85. O Domine, reſpice in me & miſerere mei, ſalvum fac filium ancillæ tuæ, Matris Deiparæ, cujus interceſſionem humillimè poſtulo. Fac mecum ſignum in bonum, Pſ. 12. & per te eripiar à tentatione: illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.

Pſ. 118. Ecce nunc conſtitutus ante oculos divinæ majeſtatis tuæ, totiúſque curiæ cœleſtis, juro & ſtatuo cuſtodire impoſterum judicia juſtitiæ tuæ, concupivit enim anima mea deſiderare juſtificationes tuas omni tempore.

Pſ. 61. Et, nonne ſubjecta erit Deo anima mea; quoniam ab ipſo ſalutare meum? Quomodo potero non amare patrem, tanto amore me prodigum filium ſuum, ad paternos rurſum amplexus invitantem? quomodo ſanguinem illum, pro me meáque ſalute, tanto dolore & amore fuſum aſpernari? Væ indigniſſimo mihi, atque ingratiſſimo ſi neglexero, ſi patris invitantis Jeſúque de cruce inclamantis, & offerentis miſericordiam non audiero. Ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, poſthac miſerendi tempus non erit amplius, ſed dies iræ, Pſ. 16. dies judicii & juſtitiæ. Perfice igitur ô Domine greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea. Fac ut ſerviam tibi in timore, & exultem tibi cum tremo- Pſ. 2. re. Renuntio ex animo omnibus carnis illecebris, & cupiditatibus meis, & accido, ad pedes Crucifixi Domini mei, tibi ſerviam, tibi vivam, tibi moriar.

(†)



Quid est homo, quòd memor es eius? Minuiſti eum paulò minus ab Angelis. Ps. 8.

DIES I. EXERCITIORUM
SPIRITUALIUM S. P. IGNATII.
De Principio, ſive Fundamento Vitæ ſpiritualis.

QUi ædificium molitur, de fundamento ante omnia rectè collocando ſollicitus eſt. Sic Paulus Corinthios ſuos in fide ac pietate inſtruens; *ſecundum gratiam Dei*, inquit, *quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus fundamentum poſui.* Ab hoc igitur labore & D. IGNATIUS ſacrum Exercitiorum libellum exorſus: tale poſuit vitæ ſpiritualis fundamentum.

1. Cor. 3. v. 10.

Creatus, inquit, *eſt homo ad hunc finem, ut Dominum Deum ſuũ laudet, & revereatur, eique ſerviens ſalvus fiat.*

Reliqua verò ſupra terram ſita, creata ſunt hominis ipſius cauſa, ut eũm ad finem creationis ſuæ proſequendũ juvent.

Vnde ſequitur utendum illis, aut abſtinendũ eatenus eſſe; quatenus ad proſecutionem finis vel conferunt, vel obſunt.

Quapropter debemus abſque differentia nos habere circa res creatas omnes (prout libertati arbitrii noſtri ſubjectæ ſunt, & non prohibitæ) ita ut, quod in nobis eſt, non quæramus ſanitatem magis, quam ægritudinem, neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi præferamus; ſed conſentaneum eſt ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducunt, eligere ac deſiderare.

Hæc breviter ſolùm indicata, nos, per quatuor primæ diei exercitia, diſertè magis excutienda proponimus, ut fundamento hoc vitæ ſpiritualis bene ſolidéque collocato, altior deinde ſanctioris vitæ moles & ædificatio tutius firmiúſque innitatur.

Quia verò Eccleſiaſticus ac Sacerdotalis inprimis ſtatus ad ſingularem inter reliquos ſanctitatẽ morum ac vitæ cõniti debet; & peculiari quadam obligatione, legibuſque privatis tenetur, ſingularem quoque pro earum conſideratione Meditationem diebus ſingulis adjeci; affectibus, colloquiis, propoſitiſque cujuſque ingenio & pietati relictis, quæ tamen ex aliis quoque Meditationibus traduci formarive haud difficulter poterunt.

Icones ſingulis diebus præmiſſæ ſummam quandam materiæ ſubſequentis complectuntur, & quadruplici diviſione, præludiis ante Meditationes ſingulas facilius efformandis ſervient, ut ex numero quaternario pro totidem horarum præludiis appoſito, facilè obſervabis.

I. MEDITA-

I. MEDITATIO FUNDAMENTALIS.

VERITAS. Deus ab æterno ſibi ſufficiens, hominem in tempore ex nihilo, gratuitâ ſua bonitate produxit, (2) illâ naturæ dignitate, quâ creaturas ceteras irrationales longè ſuperaret: ut par Angelis, ac Deo ſimilis (3.) ad ſummi denique boni, quod ipſe Deus eſt, poſſeſſionem, æternùm felix, perveniret.

ORATIO PRÆPARATORIA, *in præſentia Dei, hoc vel ſimili modo inſtituta, præmittitur.*

OMNIPOTENS ſempiterne DEUS, in cujus conſpectu ſunt omnes fines terræ. Ecce, ante oculos divinæ Majeſtatis tuæ, me indignum peccatorem conſtituo, teque hoc loco præſentem omni reverentia & ſubmiſſione adoro, ac rogo ſuppliciter, ne me deſpicias ſervum tuum; ſed inveniam gratiam ac miſericordiam in oculis tuis: ut divinas tuas virtutes ac leges dignè meditari valeam; & audiam quid loquatur in me Dominus, affectúque ardentiſſimo omnia, quæ voluntatis ac beneplaciti tui ſunt, complectar; ac denique opere ipſo compleam, quæcunque ad ſalutem meam, & Nominis tui ſacratiſſimi honorem ſpectare cognoſcam. Per Dom. Noſt. JESUM Chriſtum filium tuum, &c.

PRÆLUDIUM I. *Propone tibi, per imaginationem, Deum ex nihilo cœlum terramque, ac deinde & Adamum, ex quo tu oriturus eras, producentem.*

PRÆLUD. II. *Profundiſſimo te illi demiſſionis affectu inclina, & lumen gratiamque cognoſcendi finem tuum, ob quem creatus ſis, brevi aliqua ſuſpiratione à Deo poſtula.* ut.

O BENIGNISSIME DEUS, conditor & conſervator meus. Notum fac mihi finem meum, ob quem me condidiſti, ut ſciam quid requiras à me, & quid debeam tibi.

I. PUNCTUM.

Conſidera, Quis *te hominem*, & unde *produxerit?*

Deus hominis conditor eſt, bono hominis, non ſui.

QUis ille? Videlicet Deus Opt. Max. non ex aliqua indigentia, aut neceſſitate ſua, ſed ex puriſſimo beneplacito voluntatis divinæ & amore tui te creavit: cum ipſe ex omni retro æternitate beatus, omne in ſe bonum complexus, nullius creaturæ indigus fuerit: ideóque nec augere felicitatem ſuam, ut quæ erat ex omni parte infinita, ſed hanc ſolam aliis rebus creatis, communicare poſſet. Sola igitur Dei benevolentia hoc es, quod es. *Unde* verò Te produxit? Ex abyſſo nihili. ut cum ipſe omne bonum eſſet, & tu omnino nihil, adeóque infinita quadam vilitate non tantùm à Deo, ſed etiam à teipſo, qui nunc es, homine, remotus eſſes: ipſe tamen ex tanta vilitate ad hanc naturæ dignitatem te, gratuita bonitate ſua, elevârit, ut ſuorum te bonorum participem redderet. Expende, quale quantumque hoc

Ex nihilo, gratuitá bonitate, illum eduxit.

hoc Dei erga te beneficium fuerit. Per quod, ex abyſſo vilitatis tuæ, ſingulari affectu benevolentiæ divinæ, præ aliis innumeris creaturis, in ſuo relictis nihilo, eductus es, licet Deus ingratitudinem tuam, & offenſiones plurimas, quibus majeſtatem bonitatemque ipſius læſurus eras, prævideret. An non poterat ille loco tui, præſtantiſſimas animas, ac homines Abrahamo & Juditha ſanctiores, Joſepho & Suſanna caſtiores, Petro ac Paulo ferventiores producere, cùm te adeò deſidem ingratumque Deo creatori ſuo conderet? Viverent nunc illi, tuumque occuparent locum, laudarent, revererentur, amarent, & ſervirent Deo, non ſine hominum admiratione, & probitatis exemplo: cùm tu nihil talibus heroibus dignum præſtes; ſed elato potius animo, tanquam ex te aliquid tuum poſſideres, tantâ bonitate Dei, etiam ad peccandum abutaris. Quæſo te, ſi Rex quiſpiam, ex infimæ plebis ſordibus eductum pauperculum, ſua collocaſſet in aula, nobilemque habitu, officióque, ac honore donaſſet, quantâ exiſtimas obſervantiâ talis Dominum ſuum, benefactorem adeò rarum eximiumque, coleret, tam priſtinæ ſuæ infelicitatis, quàm regiæ benevolentiæ recordatione incitatus? Et tu igitur, qui hinc profundiſſimam abyſſum vilitatis tuæ: inde divinæ erga te benevolentiæ excelſitatem ſummam cogeris intueri & agnoſcere: quomodo non *humiliaris ſub potenti manu Dei*, omnique obſequio & gratiarum actione demereris tantum benefactorem, illique omnia ſubjicis, quæ ab illo poſſides?

Summum hoc beneficium, ſæpe ingrato, præ aliis gratioribus, impenditur.

Si homo homini benefactori gratus, quantò majori demiſſione benefactori Deo reſpondendum!

1. Petr. 5.

1. Cor. 4. poſſides? *quid enim habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris?* Si quis tibi claudo reddidiſſet pedes, aut cæco oculos, quanta illi gratitudine obſequioque devinctus eſſes? illi igitur qui dedit omnia, quantum debebis?

Job. 10. *Agnitio grata beneficii creationis.* AFFECTUS. Agnoſco ô potentiſſime, ac benevolentiſſime Creator, & Deus meus, quia *manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu: pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & nervis compegiſti me, vitam ac miſericordiam tribuiſti mihi.* Adhuc jacerem in abyſſo vilitatis & nihili mei ignorans & ignoratus, & quovis contemptibilior vermiculo niſi ſingulari gratuitâque benevolentiâ tuâ conditus eſſem quâ me ante mundi conſtitutionem, priuſquam cœlum fieret, aut formaretur terra, præ tot nobiliſſimis, quæ fieri poterant, creaturis amaſti, complexuſque es. Ut mater dilecti abs ſe filii, & ſponſus cariſſimæ ſponſæ ſuæ imaginem, Regum etiam Principumque, quantumvis magnificis imaginibus, præfert, amore magis ſuo, quam dignitate rerum; ita, quamvis indignus, amore tamen tuo, ô Deus meus, me ſentio ex viliſſimo eductum nihilo, & à te procreatum.

Gratiarum actio. Pſ. 115. Pſ. 138. Pſ. 136. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? *Confitebor tibi Domine in toto corde: in conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Quoniam *tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui: ſi oblitus fuero tui,* ô Deus, in omni opere meo, *oblivioni detur dextera mea.* Tu linguam, tu dexteram, tu membra omnia, tu ſenſus, & potentias univerſas tribuiſti mihi, tibi omnis ex iis fructus debetur, ut univerſorum Domino. Ad me nihil ſpectat præter abyſſum nihili, quam ſolam retineo, ſi tuis me bonis, tanquam indignum, ſpoliaveris. Et, quoties hoc ingratitudine & ſuperbiâ meâ promeritus ſum, dum immemor Dei creatoris mei, cupiditati magis propriæ, quàm divinæ tuæ voluntati ſum obſecutus! O quantum à Miphiboſethi demiſſione abſum; qui à Davide ad regiam aulam menſamque invitatus, exclamat: *Quis ego ſum ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimi-*

Agnitio vilitatis humanæ, & humilis erga Deum Opt. Max. ſubjectio 2. Reg. 9. 8.

ſimilem mei? Quis enim ego ſum Domine, quis tu? ego infra canem etiam mortuum, tam vilitate peccati, quàm etiam nihili mei procul abjiciendus, cum Dominus univerſorum tu ſis. O mi Deus, qui juxta ſanctiſſimum beneplacitum tuum me condidiſti, fac ex eodem me etiam vivere, quique largitus es velle, tribue & perficere: ut nunc, & æternum tibi canam: *vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum.* Iob. 10.

II. PUNCTUM.

Conſidera qualem *te Deus, è nihilo, ſive limo ac ſordibus, produxerit.*

FACIAMUS, ait Deus, *hominem, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Poteratne nobilius, aut excellentius, quicquam ex limo terræ educere? Nobiliorem auro argentóve, ac pretioſis etiam lapidibus, tanto ambitu quæſitis rebus, naturam ſortitus es. Vivis ac vegetaris; illa ſine omni vitali motu ſunt. Plantarum & arborum magnus honor & æſtimatio; ſed tibi ſenſum Deus tribuit, quem his negavit. Magna leonum virtus, elephantorum prudentia, canum ſagacitas. At infinitis partibus donata tibi ratio hæc ſuperat, per quam Deus *conſtituit hominem ſuper omnia opera manuum ſuarum.* Quanta hæc Dei erga te ingratum benevolentia! An non is, qui Nabuchodonoſorem in bovem transformavit, te ex eadem illa, quâ productus es materia, in hanc aut aliam belluam poterat transformare? cui igitur, præterquam divinæ debes bonitati, quod homo potius ratione præditus, & ad Dei ipſius imaginem formatus ſis, quàm abominabilis alicujus beſtiæ ſpecie conditus? Attende quò te

Gen. 1. *Homo ad ſimilitudinem Dei conditus creaturas irrationales longè ſuperat.*

Pſal. 8.

Præ Angelis etiam hoc poſſidet, quod microcoſmus quidam ſit, & Deum hominem factum ſibi habeat ſimillimum.

evexerit denique. Angelis videri multò inferior poteras. Verùm animam tibi, non minus ſpiritualem, atque immortalem, quàm ipſi ſunt Angeli, tribuit. Hoc etiam præ Angelis ſingulare poſſides, quod totius creaturæ, quæque in terris, quæque in cœlis eſt, unus homo quodam compendium, ac veluti microcoſmus habeatur. Poſtremò hoc omnino peculiare eſt homini, quo Angelicam, omniumque creaturarum excellentiam tranſcendit, quod unigenito Dei filio, in aſſumpto per ipſum humano corpore, tanquam frater fratri aſſimiletur. Stupenda res! Dedit tibi Deus animam, quâ ipſi ſimilis fieres: dedit corpus, cujus ipſe Deus ſimilitudinem aſſumpſit: ut non tantùm ſe tibi, ſed & te ſibi, admirabili charitatis invento, conformaret. Quod Theologi plures cenſent, facturum Deum fuiſſe, etiamſi primus homo, non peccaſſet: ideóque tanta Dei erga hominem benevolentia (quàm Angelis non offerebat) offenſum Luciferum, propriâque elatum arrogantiâ, parem altiſſimo, præ hominibus, dignitatem ſibi vendicaſſe. Attamen Deus *in ſimilitudinem hominum factus eſt*, ut hominem extolleret ad ſimilitudinem Dei. *Ego*, inquit, *dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes.*

Pſalm. 81.

Sed dona naturalia unicum donū, quod Chriſtianus quis ſit, vincit.

Verùm plurimi mortalium his tantis Dei beneficiis, aut malè utuntur, aut omnino excidunt, ii videlicet, qui Chriſtiani, & Catholici non ſunt in fide vera, ac ſalvifica educati. Corona igitur omnium naturalium beneficiorum Dei eſt, Chriſtianum eſſe. Ut ſumma Dei benevolentia erga te ſit, quod hoc unum reliquis

bene-

peficiis adjecerit, quia, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.*

AFFECTUS. O amor incomparabilis, ô exceſſus benevolentiæ ac liberalitatis divinæ! Eóne me inter tot abjectas, & deſpicabiles creaturas extollis, ut univerſas tranſcendam; & mortalitatis terminos ſupergreſſus, immortalibus quoad animam accenſear, quin ipſos etiam cæleſtes Angelos hac prærogativa ſuperem, quòd non ſolùm ad ſimilitudinem Dei factus ſim, triplicique unius animæ potentiâ ſpeciem quandam referam ſanctiſſimæ Trinitatis; ſed etiam quoad corpus *conformis factus fuerim imagini filii Dei.* Ergóne tanta poterat inveniri in Deo charitas, cum profundiſſima dimiſſione, ut *exinaniret ſemetipſum formam ſervi accipiens*, ne quicquam eſſet, in quo ille mihi, aut ego illi eſſem diſſimilis! O mi Deus: *quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!* Sed, ô Domine, quantum illud beneficium tuum, quod me Chriſtianum effeceris, tot millibus hominum præteritis, quo & priora complecteris univerſa, & nova adjicis, dilectis à te filiis præſtari ſolita! Hos enim in ſalutifero Eccleſiæ gremio congregas, *ſuper quos ſignatum eſt lumen vultûs tui.* Ah! nihil dignũ reperio in me, quod rependam pro beneficiis & charitate tanta. Retributiones meæ offenſionibus plenæ ſunt; amor meus frigus eſt. Ille, qui dedit, *Dominus retribuet pro me. Domine miſericordia tua in ſeculum: opera manuum tuarum ne deſpicias.* Accipe hoc, quod in me eſt deſideriũ tibi impoſterum ex animo ſerviendi, & oſtende mihi viam in qua ambulem, ut placeam tibi, & illam quam impreſſiſti tui imaginem nullo ſcelere contaminem.

Admiratio divinæ benevolentiæ, & amoris erga me.

Pſal. 8.

Pſal. 4.

Dolor de ſua ingratitudine.

Pſal. 117.

III. PUNCTUM.

Conſidera, cur, *aut* quo fine *te Deus talem produxerit?*

RESpondebit tibi Salomon: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Re-

Prov. 16. 4.

Homo conditus eſt, ut

Deum videat, & poſſideat in illo omne bonũ. Iſa. 43. ſpondebit ipſe etiam apud Iſaiam Deus: *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum.* Ultimus igitur finis tuus, ad quem te Deus condidit, eſt, ut ipſum in æterna gloria videas, & cum poſſeſſione, ac fruitione omnis boni, quod in Deo, & à Deo eſt, amplectaris, tantâq; plenitudine ſatiatus, acquieſcas & læteris in perpetuum. Expende, ô homo, & obſtupeſce conditionis tuæ dignitatem inæſtimabilem. Illum quem Deus ipſe finem obtinet, hunc eundem tibi præfixit. Illius divinæ naturæ excellentiam, in cujus ipſe contemplatione ab æterno verſatus eſt, hanc & tibi contemplandam proponet. Illud quod in ſeipſo bonum poſſidet, hoc ipſum tibi ſpectandum, amandum, fruendúmq; offeret. ita ut jucundiſſimo hoc ſpectaculo abreptus, liquidiſſimâ amoris voluptate in Deo tuo, ſummo atque inexhauſto bono abſorptus, memoriâ, intellectu, ac voluntate, omnibúſque potentiis, ac ſenſibus in Deo tuo immerſus, jam in ipſo totus ſis, cor atque anima una, Deoque tuo ſimillimus, nihil cogites, nihil deſideres, nihil ames præter Deum tuum. *Scimus*, ait Joannes cæleſtis inſpector gloriæ, *quoniam cum apparuerit, ſimiles illi erimus; quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* ‡ Ioan. 3.

Admirabile Dei conſilium! dignitas hominis obſtupeſcenda! Si enim res quæque à ſuo fine æſtimanda eſt, ut à quo perficitur, ſuamque mutuatur excellentiam; quantus homo ille, qui *heres* ſit *Dei, coheres Chriſti*? Inexplicabile nobis hoc ipſius bonum eſt, non minus, quàm Deus incomprehenſibilis. Verùm

Verùm explorandum nobis eſt, quâ viâ ad hunc finem tantique boni poſſeſſionem, in quo humana dignitas felicitaſque eſt poſita, pertingamus. Infeliciſſimi enim mortalium ſimus, ſi illo excludamur. *Sedulò explorandum, quâ viâ hunc finem conſequamur.*

Deus Opt. Max. ne à fine tam illuſtri aberret, certam homini præſcripſit vivendi legem, naturæ illius rationali conformem, quæ universè conſiſtit, in recto creaturarum uſu, ad honorem & obſequium Dei inſtituto.

Nec difficilis illi futurus eſt, qui tantùm Deum, creaturarum autorem, & bonorum omnium fontem, præ ipſis rebus creatis infinities deterioribus, amare & obſervare dignatus fuerit. Et quis amabo hoc, nullo etiam præcepto amoris propoſito, neget eſſe faciendum? quis non ſummæ amentiæ & ingratitudinis damnaverit ſecus facientem? Et præſertim hominem, tantis à Deo naturæ gratiæque donis, ſupra creaturas reliquas cumulatum, tam brevi laboris temporanei fine, tantóque præmio æternæ felicitatis invitatum.

Quàm jucundum erit, poſt exactum hujus vitæ tempus, audire à Domino: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui!* Mat. 25. v. 21.

AFFECTUS. O Domine, nihilne amplius à me poſtulas, pro tot donis boniſque mihi collatis ad ſummum tecum in cœlo bonum, æternæque felicitatis poſſeſſionem, poſt brevem hujus vitæ curſum, obtinendam? Si exigeres, ut ad finem mundi, aut per centies millenos annos tibi ſervirem, nullo etiam præmio exhibito, an non æquum eſſet, ut hoc creatura ſuo præſtaret creatori? nunc, ubi tam breve tempus, tam longa æternitas, tam labor *Admiratio divinæ facilitatis in oblatione tanti boni.*

exilis

exilis, tam immenſum proponitur gaudium; quomodo poſſum cunctari, & tuæ voluntati reſiſtere? Maledicta dies & hora, quâ unquam Tibi reſtiti, & tam bonum Dominum offendi. *O Domine deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.* Obſecro te Domine. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu,*

Pſal. 118.
Pſal. 142.

COLLOQUIUM *cum Emendationis* PROPOSITO.

Agnitio gratuitæ beneficentiæ Dei,

Cogita Deum ſic tecum in præſentia Angelorum omnium agere, ſicut Paterfamilias cum ſervis, quibus ſua talenta partitus fuerat. ,, Ecce, mi homo, ego te gratuitò, nullo tuo ,, merito, nullo meo commodo, ex abyſſo ni- ,, hili tui, non ſolùm ad imaginem meam, ve- ,, rùm etiam ad eandem mecum gloriam, & ,, boni infiniti poſſeſſionem condidi, nihil a- ,, liud à te poſtulans, quàm ut hoc tantum bo- ,, num tibi oblatum agnoſceres, & gratus Deo ,, conditori tuo, ipſi ſerviendo exiſteres. Age ,, nunc, & redde rationem villicationis tuæ. ,, Expende, quid à me acceperis, quid reddi- ,, deris. Nunquid pro bono malum? Et quis ,, finis ingratitudinis tuæ? *Ecce nunc tempus* ,, *acceptabile, ecce dies ſalutis.* Nam *quâ hora non* ,, *putatis, filius hominis veniet.*

2. Cor. 6.
Luc. 12.

& propriæ ingratitudinis.

℞. O Pater amantiſſime, conditor benigniſsime, Deus ſalutis meæ, agnoſco ingratitudinē & torporem meum; quia rarò tui tuorumque beneficiorum memor, illum, ad quem me condidiſti, finem, illud, quod à me poſtuláſti obſequium, ante oculos, ut ſemper par erat, habui: ideóque *non ſum dignus vocari filius tuus.* Verùm ô Deus miſericordiarum, reſpice ſuper opera

opera manuum tuarum, quia tuus ſum, & ad te recurro, tanquam prodigus ad patrem filius. Recipe me *ſicut unum de mercenariis tuis.* Deteſtor ingratitudinem, ac negligentiam meam. *Dixi, nunc cœpi. Ponam te ut ſignaculum ſuper cor meum*, memor Dei mei ad quem videndum, & poſſidendum cum illo omne bonum, creatus ſum: *ponam te, ut ſignaculum ſuper brachium meum*, in omni opere meo ſpectando beneplacitum & ſanctiſſimam voluntatem tuam. Verùm tu Domine, *adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. Da quod jubes, & jube quod vis*: facque, ut hæc ſemper in animo præſenti, ac memoria volvam. *Ad quid in mundum veniſti? ad quem finem conditus es? Cave ne excidas.* Ita Domine, ita fiat! Ad te etiam crebrò converſus, dicam. *Domine, quid me vis facere?* Ecce memoriam, quam mihi dediſti, hanc ad te Deum meum frequenti recordatione, tanquam finem actionum mearum, dirigam; intellectum, quem tu mihi, ut dare, ſic illuminare dignaris, divinis tuis legibus conſiliiſque ſubmittam; voluntatem, quam mihi liberam præ tot creaturis largitus es, nunquam à te avertam; omnes ſenſus, potentias, actionéſque meas, ex hoc momento tibi dedico, offero, reſigno, ut totum me poſſideas, qui totum me condidiſti. Fiat. fiat. Perfice in me hoc obſequium, qui deſiderium excitâſti. Hoc, cum Propheta David, *veſpere & manè & meridie narrabo & annutatiabo tibi.*

Dolor, & emendationis propoſitum.

Cant. 8.

Pſ. 26.

Auguſt.

Act. 9.

Pſ. 118.

Conclude per orationem Dom. *Pater noſter*, &c.

DISTI-

DISTICHON MEMORIALE,

Quo ſingula puncta Lectionis ſeu Meditationis indicantur ut facilius recoli memeriâ poſſint.

Conditor ipſe Deus noſtri eſt, (2.) natura creatis
Eminet in reliquis, (3.) & fruitura Deo eſt.

II. MEDITATIO FUNDAM.

VERITAS. Deus, ut hominem ad finem ſuum, hoc eſt ſummi æternique boni poſſeſſionem, duceret, omnes illi creaturas ſubjecit, Angelorumque, & ſuam addixit opem. (2) Eædem illæ creaturæ homini ſerviunt ad cognoſcendum ſuum creatorem, tanquam fontem omnis boni, & autorem ſuum, cui parent in omnibus. (3) Quin ſuomet etiam creaturæ defectu & imperfectione ad ſummum indeficienſque bonum amplectendum hominem erigunt.

ORATIO PRÆPARATORIA, ut ſupra.

PRÆLUDIUM I. *Hominem tibi inter creaturas poſitum imaginare, cui hæ juſſu Dei ſubjiciantur.*

PRÆLUD. II. *Pete gratiam à Deo cognoſcendi rectum Creaturarum uſum; & ex illo finem ſuum conſequendi.*

I. PUN-

I. PUNCTUM.

CONſidera, quanto apparatu ſtudióque Deus homini providerit, ut per appoſita media glorioſiſſimum, quem illi propoſuit, finem conſequeretur. Nam cùm perquam rationi congruum eſſet, ut ad rem tam eximiam, qualis eſt regni cœlorum, & æternæ felicitatis poſſeſſio, non levis fieret præparatio, ſingulari prorſus munificentia ac benevolentia Deus erga hominem uſus, orbem illi univerſum, omneſque in illo creaturas tradidit, & velut ad obſequium ſervitiumque ſubjecit: atque ut his, tum certa moderatione præeſſet, tum uteretur ad gloriam felicitatemque æternam obtinendam, præcipit. Magna hæc Dei liberalitas! magna hominis dignitas! Si enim terram aſpicias, hæc juſſa, in obſequium hominis, herbam virentem, plantaſque & omnis generis fruges producere, hactenus per multa ſecula non deſiit ſuum præſtare officium. Quot in ſilvis feræ, in mari piſces, in aëre volucres ad uſum & oblectationem hominis à Deo ſervantur, poſtquam dixit: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Ita poſtquam dictum eſt; *fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna ac tempora, & dies, & annos*; hæc univerſa, ita, ut juſſa ſunt, humanæ utilitati deſerviunt, neque operam ſuam, licet gratuitam, unquam deſiderari patiuntur; ne homini ad finem ſuum contendenti uſpiam deſint. Si ipſum genus humanum, ſtatúſque & ordines diverſos, ſive nobiles,

Deus, ut homo finem ſuum obtineat, univerſas illi creaturas voluit deſervire.

Gen. 1.

les, ſive ignobiles; ſive rudes, ſive doctos conſideres: quivis hominum illos ſibi, vel commodo ad ſalutem, vel ornamento, vel etiam voluptati eſſe intelliget. Quin ſi animo cœlos tranſcendas, excelſoſque Angelorum ſpiritus & ordines complectaris; an non & ipſi *omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis?* Ipſi ſenſus tui, potentiæque tam corporis, quàm animæ, quantum ſint bonum, quantumque ad finem obtinendum ſubſidium adferant, vel illorum exemplo conſtat, qui aliquo horum deſtituti, oſtendunt ſuo defectu plurimum in eorum poſſeſſione commodi & felicitatis eſſe. Quid? quod Deus ipſe adjutor hominis, ubique præſens, & velut pro obſequio adſiſtens, indefeſſam illi in omnibus actionibus, & ſigillatim iis, quæ ad ſalutem finemque ultimum diriguntur, opem præſtet, divinâque virtute opituletur. ut omnino nihil in cœlo terrâque reperiatur, quod homini, ad ſummi boni æternæque felicitatis poſſeſsionem obtinendam, non ſerviat.

Angelos de cœlo ad ipſius etiam miniſteriũ deſtinavit. Hebr. 1.14.

Seipſum quoque præſentem ubique adjutorem obtulit.

Iob. 7. 17. *Admiratio dignitatis humanæ, & beneficiorum Dei.*

AFFECTUS. O Domine, *quid eſt homo, quia ſic magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Ergóne tanti ille tibi eſſe potuit, ut non modò cœlum ac ſidera, creaturaſque terreſtres; ſed immortales etiam, puriſſimóſque Angelorum ſpiritus, ad illius ſervitium deputâres, ac teipſum poſtremò, momentis ſingulis, & peculiaris quidem auxiliator, in operationibus ſalutem illius ſpectantibus, addiceres? O quantò tu ſtudioſius pro mea ſalute vigilas, quantò laboras ferventius, in[illegible] operoſius, quàm ipſe ego! Tu, ceu nihil præter me, in cœlis terriſque, curares, irremiſſo ipſe me fovere dignaris ſubſidio, exſtimulare cura, amore complecti. O Domine, *quid eſt homo, quod* tam admirabili providentia ac bene-

Pſalm. 8.

benevolentia *memor es ejus, aut filius hominis, quoniam ſic viſitas eum?* Nulla creaturarum in orbe toto eſt, cui plus bonorum contuleris, nulla, quæ creatori ſuo ſit ingratior. Etenim, quid reddidi Domino, pro tot tantiſque in me collatis hactenus, atque etiamnum continuatis beneficiis? Quanto tempore, univerſa hæc creaturarum ſervitia, Angelorum miniſteria, Deique mei auxilia malè impendi, quæque ad illius obſequium meámque ſalutem vertere debui, in offenſionem Dei exitiúmque proprium converti! *Quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte.* Quoniam *iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me!* O nimiam ingratitudinem meam Domine, & immenſam bonitatem tuam! Si tot mihi linguæ eſſent, quot ſunt membra in meo corpore, quot in terris creaturæ, in cœlo ſunt ſidera; ſi tot eſſent corda, quot ſunt momenta in toto vitæ meæ tempore, quo Angelos tuos, atque teipſum, ò Domine, mihi, tanquam dator & conſervator donorum omnium, impendiſti; tenerer has omnes in laudes tuas, in amorem, & obſequia promptiſſima viciſſim impendere, niſi ingratus videri cuperem: & nunc (prô dolor) nec unicam quidem hanc linguam, ac cor, tuo, ut par eſt, ſervitio conſecro, cum illa pro laude non raro te offendat, hoc pro Deo ſæpe vana cogitet. Doleo, ac deteſtor hanc tepiditatem & ingratitudinem meam. *Dirige, Domine Deus meus, in conſpectu tuo viam meam.* Ut omnem creaturam, omnes ſenſus & actus meos, ad te Deum meum, omnis boni fontem, convertam.

Admiratio ingratitudinis humanæ erga benefactorem Deum.

Ier. 9. 1.

Dolor ac deteſtatio ingratitudinis.

Pſ. 37. 5.

II. PUNCTUM.

CONſidera, quòd ab ipſis creaturis homo ad Dei cognitionem obſervantiámque velut manu ducatur. Nam 1. omnes ac ſingulæ creaturæ ſunt tanquam libri quidam & imagines, ex quibus Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem, ceteráſque creatoris ſui perfectiones clariſsimè poſsit cognoſcere. Ita, ut Apoſtolus gentibus ſolas creaturas ad Dei co-

A creaturis ad Dei perfectiones cognoſcendas deducimur.

gnitionem ſalutémque dicat ſufficere: quia inquit, *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis*
Rom. 1. 25. *Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas. ita ut ſint inexcuſabiles.* Quod ſi illi inexcuſabiles, cum virtutem divinitatémque ſupremi Numinis ex creaturis non agnoſcunt; quid Chriſtiano futurum eſt homini, qui ab Eccleſia ſacríſque literis inſtructus, omnium creaturarum autorem Deum, fontémque ſummi boni, ac finem ſuum longè verius certiúſque intuetur. Diſcurre per creaturas omnes, in cœlis terríſque ſpectabiles, invenies tam in minima apicula, formica, flore & herba; quàm in maximo elephanto, & ceto, ſtellis, ſole ac luna, apertiſsima divinæ potentiæ, ſapientiæque lineamenta, & veluti ſcriptas quaſdam voces. Interroga hæc univerſa, unde vitam, induſtriam, celeritatem, decus, robur, gratiam tantam habeant? reſpondebunt tibi: *ipſe fecit nos, & non*
Pſal. 99. 5. *ipſi nos*: ſiquid ex nobis virtutis, gratiæ, honoris ac voluptatis exſpectes, hoc ex illo traximus fonte, qui inexhauſtus immenſúſque eſt: illic quære, ubi copia ſine defectu, voluptas ſine dolore, gratia ſine offenſione, honor ſine contumelia eſt. Hæc, obſecro, quemadmodum ex rebus creatis obſervâſti, & expendiſti hactenus? Imó, quomodo non evertiſti, quantum in te eſt, penitus, quando creaturas, non ad Dei cognitionem & gloriam quam tibi prædicabant; ſed ad tuas cupiditates explendas adhibuiſti, atque in Dei ipſius

vertiſt

vertiſti contemptum & contumeliam, quotieſcunque illis ad peccatum abuſus es?

II. Omnes creaturæ admirabilem obſequendi promptitudinem ſuo præſtant conditori: ut hoc exemplo jure homines ad promptũ paratúmq; ſemper obſequiũ, Deo ſuo præſtandum, excitentur. *Emittit lumen ſuum, & vadit; vocavit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen ſuum, in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus: & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum.* Ita irrationales creaturæ, longè inferiores homine, Deo ſuo, ſine mora ac tergiverſatione obſequuntur; & de rationali creatura, ad Dei ſui imaginem condita, ad idem cum ipſo bonum increatum poſsidendum nata, quantam alacritatem ſtudiúmque obſequendi non exſpectes? Quàm indigna homine exprobratio Judæis olim facta eſt. *Exacerbâſtis eum, qui fecit vos, Deum æternum obliti eſtis Deum, qui nutrivit vos, & contriſtâſtis nutricem veſtram Jeruſalem.* Quis non obſtupeſcat? *venti & mare obediunt illi*, & ſimillimus proximúſque Deo homo obluctatur? Quin eò perverſitatis peccator delabitur, ut non ſolùm ipſe averſum à Deo ejúſque præceptis animum gerat; ſed creaturas etiam ad ſalutem illi propriam Deíque gloriam procurandam conceſſas, à Deo ad privatam cupiditatem ſuam ſecum convertat: ut jam nec homo, nec creaturæ aliæ obediant Deo factori ſuo. Poteſtne quicquam indignius illâ hominis ingra-

Creaturæ ſuo obſequio nos ad obſequendum Deo inſtruunt.

Baruch. 3.31.

Id. c. 5. 7.

tudine erga Deum creatorem ſuum excogitari:

Veneratio-nis & obſe-quii Deo ex-hibendi af-fectus.

Affectus. Veneror & adoro, providentiſſimam, ô Domine, ſapientiam ac liberalitatem tuam, quâ mihi tam copiosè ad ſalutem meam, tuumque obſequium, & gloriam in creaturis tuis proſpicere dignatus es; ut non ſolum mihi præſtent ſervitium, verùm & imaginem præclariſſimam perfectionis tuæ, & ſuæ erga te obſervantiæ exhibeant. Infelix planè homo, qui tam promptum creaturarum obſequium non æſtimat, ad tam claras perſpicuáſque tuæ potentiæ, ſapientiæ, ac bonitatis notas claudit oculos, & demum, inter omnes creaturas tibi ad nutum obſequentes, ſolus non obſequitur! An non *melius illi eſſet, ſi non fuiſſet natus homo iſte?* Heu mihi, quod propriis cupiditatibus excœcatus hactenus, ad tam illuſtria rerum creatarum documenta & exempla, oculos non aperui! quantum ex his virtutum ac perfectionis colligere poteram? cùm, ut *omnis creatura facta eſt in muſcipulam pedibus inſipientium*; plurimum ex illis offenſionis, ac vitiorum contraxerim! Quam væcors eſt, & beſtiis ſimilis, qui creata hæc bona de manu Dei accipit, nec dantem intuetur; ut gratias rependat, & ſuo in dono agnoſcat autorem! Verè, *bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo, altiſſime; ad annuntiandum miſericordiam* & bonitatem *tuam. Quia delectaſti me Domine, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ: Vir inſipiens non cognoſcet.* O mi Domine, tolle à me inſipientiam meam, *aperi oculos meos, ut videant bonitatem* tuam in creaturis tuis. Per has *doce me facere voluntatem tuam.* Deprecor, ô mi Deus, errorem meum; nolo deinceps brutis creaturis tibi ad omnia obſequentibus eſſe deterior. Quæ mihi unâ voce hoc omnes acclamare videntur: *Accipe* beneficium, *redde* officium, *cave* ſupplicium. O Domine, ut hoc præſtem tu *adjuva infirmitatem meam.*

Dolor negle-cta erga Deũ obſervan-tiæ.

Sap. 1. 4.

Pſal. 91.

III. PUNCTUM.

Creaturas Deus con-

Conſidera, quod Deus, nè nimium creaturis homo adhæreſceret, ſuas quoque in

iis

iis perfectiones defectúſque eſſe voluerit. Unde fit ut hominis animum nullius creatæ rei bonum explere poſsit. & quantumvis hiſce bonis affluat, majora tamen poſſeſsis ſemper concupiſcat. Nullius avari opes tantæ, qui magis locupletari non deſideret; nemo Regum tantum terrarum poſsidet, qui adjici nihil cupiat. Quis unquam tanta laude & honoribus ornatus fuit; ut deinde reſpueret illuſtriores? quis tantis affluxit voluptatibus, ut majoris voluptatis appetitum non ſentiret? Ipſa gentilium philoſophia intellexit; nullam hujus mundi creaturam eſſe, quæ hominis animũ affectúmque implere poſſet. Quare ad felicitatem quietémque hujus vitæ oppoſitâ ſibi viâ incedendum rati, contemptu rerum omnium, eam propiùs ſeſe aſſequi poſſe, quàm earum poſſeſsione, ſunt opinati. ut immodicis cupiditatibus hac arte materiam tollerent. & bonis animi, quæ in ſapientia & virtute ſunt poſita, facilius conſulerent: quòd harum poſſeſſionem magis certam quietámque eſſe non ignorarent. Verùm, ut non deeſſet hujus nobis veritatis experientia, Deus abundè hanc divino ſuo teſtimonio ſtabilivit. In unum Salomonem mundi bona, opes, voluptates, & honores, dotes corporis animíque tam liberaliter contulerat; ut par illi in hac vita repertus ſit nemo. *Vidi*, tamen inquit ille, *cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce univerſa vanitas & afflictio ſpiritûs.* Et *dixi in corde meo: vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis; & vidi, quòd hoc quoque eſſet vanitas. Riſum reputavi errorem,* Ecclæ 1. v. c. 2.

didit imperfectas, ne illis homo adhæreat, ſed ad Deum amandum ab eis vertatur.

Unde apppetitum hominis ſatiare nequeunt.

v. 8. *& gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? coacervavi mihi argentum & aurum, & ſubſtantias Regum ac provinciarum: feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum. cùmque*
v. 11. *me convertiſſem ad univerſa opera, quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.* Huic ſapienti accedunt teſtes ſtulti illi, qui cùm in vita ſe invitaſſent: *venite fruamur bonis quæ ſunt*: ſub finem vitæ ſeriùs plorabant: *Quid*
Sap. 5. *nobis profuit ſuperbia? & divitiarum jactantia, quid contulit nobis? tranſierunt illa omnia tanquam umbra.* Sed, ut omnes creaturæ extra hominem ſtabile aliquod perfectúmque bonum poſsiderent, ipſe tamen homo non con-
Iob. 14. ſtat ſibi: *qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* ut verè, cum Salomone, de rèbus creatis & ordiri poſſis, & concludere: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas!*

Deus creaturas tantùm media eſſe voluit, quibus finē, & poſſeſſionem ſummi boni aſſequeremur.

Nimirum, ita Deo viſum eſt, qui creaturas quidem nobis ad uſum ſubjicere voluit; ſed ut, tanquam media, ad finem conſequendum ſervirent: ideóque nullam illas voluit perfectionem finis, quæ ſine defectu eſſet, in ſe continere; ne tali bono affixus homo, oblitus Dei creatoris ſui, ſummum perfectiſſimúmque ex omni parte bonum, quod ipſe Deus, univerſorum bonorum fons & autor, eſt, negligeret. Hæc igitur imperfectio noſtra & creaturarum omnium, ex Dei erga nos amore profecta, novum ingénſque eſt bene-

ficium

ficium noſtrum; cùm nos, bonis hujus mundi inhiantes, hoc ſuo defectu à ſe repellant, moneántque velut tacitè: ad Deum nobis abeundum eſſe, qui ſolus perfecto, quod poſsidet, bono, ſatiare appetitum poſsit. Magna proinde ſtultitia peccatoris eſt, ſi neglecto Deo creatore ſuo in ipſis creaturis acquieſcat, atque in his imperfectis fallacibúſque bonis finem ſuam conſtituat. Ita enim evertit univerſa, & hæc Dei beneficia in ipſius autoris vertit contumeliam, ac perniciem ſuam. Nam, *quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Mat. 16. 26. Quàm fluxa illa mundi bona, quàm incerta! quàm vilia, ſi cum æternis bonis, cúmque ipſo fonte bonorum omnium Deo comparentur! ut ſtultiſsimum omnino ſit, in illis velle acquieſcere. quæ immortalem & infiniti boni capacem animum nunquam poſſunt exſaturare. *Tribulatio enim, & anguſtia, in omnem animum operantis malum: gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum.* Nec hic terminus malorum eſt. Nam ipſæ creaturæ, in quibus deſerto Deo ſummo bono, finem ſuum perverſus homo conſtituit, ulciſcentur in omnem æternitatem hanc injuriam creatoris ſui. Deus enim *armabit creaturam in ultionem inimicorum ſuorum*: quando terra pro carcere, ignis pro tortore futurus eſt illis, qui *ibunt in ignem æternum*.

Creaturæ ſibi adhærentes affligunt. Rom. 2. 9.

Sap. 5. 18.

AFFECTUS. Verè ingens ſtultitia & perverſitas hominis. Deſerere Deum creatorem ſuum omnis boni fontem, qui ſolus deſideria noſtra implere poteſt, & fallaci nimium bono creaturarum adhæreſcere. *Feciſti* enim, ô Do-

Deteſtatio mundanæ concupiſcentiæ.

Aug. Conf. l. 1. *ô Domine, nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Heu quoties quantúmque aberravi! quàm cœcus fui, quòd hæc non agnoſcerem! quàm perverſus, quòd te invitantem vocantémque non ſequerer! quàm demens, quod iis ipſis creaturarum præſidiis, ad te ſequendum & honorandum datis, ad perſequendum & contemnendum abuſus ſim, ſceleratæque concupiſcentiæ meæ, mundóque ac Dæmoni, quàm æquiſſimæ voluntati tuæ parere maluerim! Procul impoſterum à me, procul tanta malitia. Si Nabuchodonoſor Aſſyriorum Rex in beſtiam mutatus eſt, quòd neglecto ſupremo Deo in rebus creatis, tanquam brutum, finem ſuum collocaret: quoties obſecro hanc pœnam promeritus, in beſtiam transformari, juſto Dei judicio, potuiſſem!

COLLOQUIUM *cum emendationis* PROPOSITO.

Angeli nos à creaturis, ad Deum creatorem invitant & ducunt.

Fac Angelum cuſtodem ſic tecum agere. Ecce de cœlo ego tui cauſa miſſus tibi adſum cuſtos, invitator, monitor, ductor, impulſor. Cave tam fidelem meam operam contemnas. Si enim *Deus Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te omnibus viis tuis*; (Pſal. 90.) ſi ipſe tibi Deus ubique præſens, adjutor ac proviſor in omni opere, ſuiſque velut Mater in brachiis portat, ita ut (I. 49.) *ſi mulier poſſit oblivíſci infantem uteri ſui, ipſe tamen non oblivíſcatur tui*: ideóque ſollicitè curet, ne creaturis ad ſalutem tibi datis, ad perniciem tuam perversè abutaris; tam amicam, paternam & inæſtimabilem Dei curam, niſi ingratiſsimus, negligere non poteris. Accipe igitur beneficium, & redde officium, creaturámque poſtpone creatori. (Pſal. 31. v. 9.) *Noli fieri, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, qui creatis tantùm paſcuntur & inhærent, creatorem neſciunt. Ita *intellectum*

„ *ctum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, quâ* v. 8.
„ *gradieris.*

℞. O fidelisſime cuſtos, ô amantisſime monitor, quantùm Deo tibíque, ita mihi ubique præſenti debeo! quàm æquum, ut vos ubique ex animo amplectar, tuúmque, ac beatorum omnium ſemper Deo ſuo adhærentium exemplum ſequar! Hi enim verè hîc in terris pronunciantur *beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Utinam hoc verbum nunc audiam, quod æternum audire cupio, illum nunc finem ſpectem, in quo æternum deſidero acquieſcere, & quidquid extra Deum eſt, hoc, niſi ad Deum me deducat, toto corde deteſter! ô ſanctisſime Angele mi, quis mihi conſtantem affectum dabit, te tuúmque conſilium ſequendi? *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea*: ne tali tuo miniſterio, tuíſque divinis beneficiis indignus ſim. offero per manus tuas, offerámque quotidie Deo meo, cor rectum & ſyncerum ipſi ſoli ſerviendi, dicámque, *Deus Deus meus ad te de luce vigilo, ſitivit in te anima mea. In terra deſerta apparui tibi, ut viderem virtutem, & gloriam tuam.* Maledicta creatura, quæ me abducit à creatore, & hoc fine meo. Accipe hodie, & in æternum, omnia quæ cogito, dico, ago & patior in laudem & gloriam nominis tui. Ita deſidero, devoveo, & offero.

Par eſt nos fidelem Angelorum cuſtodiam curamque non aſpernari.

Pſal. 16.

Pſ. 62.

DISTICHON MEMORIALE,

Cuncta tibi, ut ſubſis, ſubſunt (2.) monſtrantque Creantem,
Munere, (3.) ſeu vitio deficiente, Deum.

III. MEDITATIO FUNDAM.

VERITAS. Utendum aut abſtinendum creaturis, prout ad finem conferunt, vel obſunt, juxta Dei præcepta. (2.) Ad quod conducet, ſi ſuæ quiſque vocationis rationem ac finem ſæpe conſideret. (3) Deinde leges ſuæ ſtatui proprias, non tantùm intelligat, verum etiam ſequatur.

ORATIO PRÆPARATORIA, ut ſupra.

PRÆLUDIUM I. *Propone tibi Adamum in paradiſo, inter uxoris conſilia, & præcepta Dei, in electione fluctuantem.*

II. *Pete gratiam, ne te Deus à voluntate ſua, in electione, aberrare ſinat*

I. PUNCTUM.

Creatis rebus non aliter vel utendũ, vel abſtinendum, quam prout cuilibet hominũ, juxta ſtatus ſui rationem, & præcepta Dei, ad ſalutem conducant.

COnſidera in creaturarum uſu, non ita cœcè ac temere agendum, ut ea quiſque arripiat, ad quæ appetitus & naturæ inclinatio propendet; ſed iis abſtinendum, quæ nos ab ultimo fine, & ſummi boni poſſeſſione impedire poſſunt; utendum verò illis, quæ ad ſalutem propius cõducunt. Nec hìc exemplo aliorum; ſed ex conſideratione ſtatus ſui procedendum. Non enim omnia conveniunt omnibus, & quæ uni ſæpe proſunt, aliis nocent. Eſt qui honoribus ac divitiis rectè utitur, eſt qui malè.

Suas

Suas quiſque animi vires antè explorare tenetur, quàm hoc, aut illud onus ſuſcipiat. Ita æger, non pro appetitu quamvis, quæ maximè ſapit, medicinam arripit; ſed quam novit ſuæ conducere ſanitati. Hìc aliorum conſilia avidè excipit, & nec cura, nec impenſis parcit, ut corpori afflicto conſulat. Nec quenquam facilè adduces, ut quæ ſanitatem affligunt, hæc, licet dulcia, ultrò captet. Heu dolor, quòd major quibuſdam corporis ſit, quàm animæ cura! quòd tam inſano conſilio appetitus noſtri blandimenta ſecuti, lethali ſæpe morbo ejus ſalutem profligemus! An non terret Adami exemplum, qui hoc errore primus, inter blanditias uxoris, illecebráſque oculorum, *pulchrum aſpectúque delectabile pomum* captantium, & Dei vetantis rationíſque propriæ diſſuadentis præceptum conſtitutus, tam fœdè tantâque clade ſuâ & poſteritatis univerſæ, prævaricatus eſt? ita ut *per unum hominem peccatum in mundum intraverit, & per peccatum mors*: induxeritque *omnes homines in condemnationem.* Quantilla res erat, in iſta pomorum & deliciarum copia, obtemperare præcepto Dei, & ab unius pomi eſu ſe continere! & quanta malorum abyſſus ab uno hoc malo in mundum derivata eſt. Expende obſecro an non par ſæpe, imò intolerabilior ſit error tuus, quando Dei & Eccleſiæ præcepta, ad æternam tibi ſalutem ordinata, in gravioribus & pluribus contemnis. Audi graviſſimam Dei conteſtationem. *Teſtes invoco cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & bonum, benedictionem*

Adami errantis exemplum nos terrere debet, & ad hanc curam nos impellere.

Rom. 5, 12. & 18.

Deut. 30.

ctionem & maledictionem. Elige ergo vitam. Diligas Dominum Deum, & obedias voci ejus. Ecce eaſdem tibi leges in uſu creaturarum mundi, quas Adamo præſcripſit; & hinc vitam, inde mortem æternam, in præmium aut pœnam, propoſuit. An hæc credis? Non fallet. *cælum,* inquit, *& terra tranſibunt. verba autem mea non præteribunt.*

Matt. 24.

Agnitio imbecillitatis noſtræ, cum deteſtatione tepiditatis in fide, & obſervatione legis Dei.

Affectus. Credo Domine, & amplector certiſſimam illam veritatem tuam. Propoſuiſti mihi in uſu creaturarum vitam ac mortem; ſed ecce imbecillitatem noſtram: quia illa, quæ in lege tua divina proponis, ab oculis noſtris carnalibus remota ſunt; contráque quæ Dæmon, mundus & caro, animæ noſtræ hoſtes, blandimenta nobis exhibent, præſentia ſunt, ſenſuúmque lenocinio capiuntur, hinc Adam, hinc nos omnes his oblectamentis abrepti, ægrè credimus, quæ proponis procul abſentia, & difficulter amplectimur, quæ illis contraria præcipis. Verè, *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem!* Deteſtor, ô Domine, atque execror hanc meam in fide tepiditatem, & in obediendo præceptis tuis amantiſſimis (quibus nihil ſpectas præter ſalutem & bonum meum) graviſſimam irreverentiam. Heu miſerum me! quia *caro concupiſcit adverſus ſpiritum & ſpiritus adverſus carnem*, ut ſæpe quid eligendum ſit, quidquid rejiciendum ignorem. *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ah liceat mihi, per infinitam miſericordiam tuam, ô mi Deus, reſpondere cum S. Apoſtolo tuo. *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*, Illuſtret hæc intellectum meum, ut cognoſcam & ſequar optima conſilia, & ſanctiſſimum beneplacitum voluntatis tuæ, ut tecum, & per te, *ſciam reprobare malum, & eligere bonum.* Quamquam enim omnia quæ Deus creavit ab initio, *erant valde bona,* tamen in Adamo, poſteríſque & meipſo expertus

Sap. 9. 15.

Gal. 5. 17.

Rom. 7. 22.

Invocatio divinæ gratiæ.

v. 25.

Iſa. 7.

tus ſum, quod multi his bonis abutantur, ita ut *creaturæ Dei in odium factæ ſint, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Verùm, ô Domine, unde tantum malum in creaturis bonis, niſi ab homine malo, qui perverſa voluntate, electione & uſu, illa, quæ tu ad ſalutem & finem ipſi conſequendum dediſti, convertit ad perniciem & interitum ſuum. Nam ut *bona bonis creata ſunt ab initio; ſic impiis & peccatoribus in mala convertentur.* Et, heu dolor! his ſæpe abuſus, in mala converti bona tua. Verùm, ô Domine, revertor ad te, qui graviſſimum quemque peccatorem non deſeris ſperantem in te. *Si enim Dominus magnus voluerit ſpiritu intelligentiæ replebit illum. Et ipſe diriget conſilium ejus, & diſciplinam.* Confido promiſſis tuis, per ſapientem factis: *Cuſtodi legem, atque conſilium meum, & erit vita animæ tuæ.* Cuſtodiam deinde, & ſequar te, ô ſalus mea, Deus meus. Qui amantiſſimis nos verbis tuis invitas: *tollite jugum meum ſuper vos & invenietis requiem animabus veſtris, jugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve.*

Sap. 14. 11.

Confeſſio erroris cum pœnitudine.

Eccli. 39. 30.

Ib. v. 8.

Prov. 3. 21.

Matt. 11. 29.

II. PUNCTUM.

COnſidera. Ad hoc ut rebus creatis, juxta ordinationem & voluntatem Dei, ad ſalutem noſtram rectè utamur, neceſſarium eſſe, ut memores noſtri officii, ſuſceptæ ex eo obligationis vivamus. Sicuti miles perpetuò ante oculos muneris ſui rationem habere tenetur; ut ea præſtet, quæ ex officio boni militis ſunt: Princeps conſiderare atque exequi illa, quæ ad ad bonum reip. propter quod electus eſt, ſpectant: Religioſus quæ ipſius diſciplinæ ſunt propria. Ut identidem ſibi Divus Bernardus ingerere ſolebat: *Bernarde, ad quid veniſti?* Qui hoc agunt, ut ſui memores ubique officii vivant, hi facilè agnoſcunt quibus ſibi creaturis utendum, quibus abſtinendum ſit, ut officium

Finis & vocationis noſtræ excellentia frequenter recolenda; ut digna hâc vita eligamus media.

cium ſuum expleant, & finem ſibi propoſitum aſſequantur. Nam cum Deus, ex divino ſuo beneplacito, diverſos eſſe hominum in hac vita ſtatus voluerit, diverſiſque officiis fungi ſingulos; diverſis etiam mediis finem ſuum aſſequi, & ad ſalutem voluit pervenire; ut quibuſdam permiſſa ſint, quæ aliis negantur. Aliter ruſtico, aliter Principi: aliter militi, aliter religioſo ſit vivendum. Quare hic quemque ſui ſtatus rationes, quidque Deus & præſcriptæ cuique ab hominibus & Deo leges exigant, videndum eſt. Nam *cui plus datum eſt,*
Ezech. 18. *plus requiretur ab eo.* Et *unumquemque*
Sap. 6. *juxta vias ſuas judicabit. Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujuſquam: quoniam puſillum &*
Quilibet, ſeu magnus, ſeu parvus, juxta ſtatum ſuum vivere tenetur. *magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.* Quantò quiſque plura aut honoratiora officia ſuſtinet, tantò & graviorem ſuſtinet muneris rationem. Quam ſi negligant *potentes, potenter tormenta patientur.* & ſi hominem non habeant correctorem, quem me-
Sap. 6. 7. tuant, habebunt Deum: *qui ſine acceptione perſo-*
1. Pet. 1. *narum judicat ſecundum uniuſcujuſque opus.* Ceterùm quò quiſque gravius munus adminiſtrat, illuſtriora præmia conſequetur: ſi diſcriminum ac difficultatum omnium victor, of-
Iob. 36. v. 5. 11. ficii rationes non neglexerit. *Deus* enim *potentes non abjicit, cum & ipſe potens ſit; ſed non ſalvat impios. Si audierint, & obſervaverint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria.* Cogitent igitur, qui præſunt aliis, quod ipſis præſit Deus, quovis homine oculatior.

omnis

omnis enim *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt.* Quod ſi Eccleſiaſticus, vel religioſus, fueris; cogita, ad quid veneris: & *cum voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Vide igitur, quam obligationem ſuſceperis, illique exequendæ idonea tibi media ſelige. Quicunque demum ſis: memineris te Chriſtianum eſſe, & hoc ſolo nomine te Chriſto Duci tuo, tanquam militem ejus, à quo nomen poſſides, obligatum eſſe. qui in baptiſmo ſub illius vexilla receptus, juraſti in leges ipſius, & Diabolo ac pompis ejus obnuntiaſti. Expende, an juxta Sacramentum præſtitum, juxta leges receptas, juxta ipſum nomen tuum ita hactenus vixeris, ut perjurus haberi, & deſertor tanti Ducis, ac Diaboli mancipiũ nunquam merueris. Et ſi erraſſe te, fidémque datam violaſſe animadvertas, quanto deinde ſtudio cavendum, abſtinendúmque noxiis ſit, ne rurſum præcipiteris. *Chriſtianiſmus eſt imitatio divinæ naturæ. Si igitur Chriſtianus es, Chriſtum Deum imitare. Noli vacuum ferre nomen atque inane; ſed plenam tanti nominis menſuram imple; imple, inquam, operibus nomine dignis.* Apoſtolus paucis multa complectitur. *Labora, ſicut bonus miles Chriſti Jeſu.* Et ſi tantùm laborum difficultatúmque exhauriant profani milites, tantùm terrâ maríque jactentur, & in præſens ſæpe exitium, per hoſtium tela atque enſes, cogantur ruere, exiguâ ſpe prædæ aut honoris propoſitâ; quid eſt, cur legem ac diſciplinam Chriſti, cujus

Rom. 13.

Deut. 23. 21.

Omnes tenemur ad leges boni Chriſtiani.

Greg. Nyſſ. Or. de nom. Chriſtiani.

2. Tim. 2.

cujus *jugum ſuave* eſt, poſſimus ulla in re detrectare? Boleſlao IV. Polonorum Regi ſolenne erat, geſtatâ ante pectus effigie optimi Patris ſui, ſæpius illâ inſpectâ, dicere: *abſit, abſit, ô mi pater, ut à me unquam aliquid regio tui nomine indignum ſtatuatur!* Si homo homini tantam reverentiam obſervantiámque præſtet: quid eſt, cur nos, qui Chriſtum Deum noſtrum ſuo nos ſanguine redimentem ſectamur, non omni illa ſtudio ac demiſſione præſtemus, ac deteſtemur ſeductorem iſtum, qui nos cum Adamo ad interitum perſequitur?

Cromer. l. 5. hiſt.

Excitatio ad ſeriam cogitationem nobiliſſimi finis, & eligenda media.

AFFECTUS. O ingratus homo, ſi tuæ conditionis, tam raræ & illuſtris vivis immemor, quâ inter tot gentes, Turcas, Perſas alióſque barbaros univerſis illis in Chriſtiana religione prælatus es! ſi nobiliſſimum illum finem tuum, & cœleſtis gloriæ ſedem, ad quam deſtinaris, negligas. imò etiam per peccatum deficiendo à Deo conditore ac redemptore tuo, levicula voluptate ſeductus, evertas. Ergóne *tam vili mercedula ſollicitatus, ſponte deficis ad eum, à cujus tyrannide te Chriſtus ſuo ſanguine redemit: cujus jam totus factus es? Hujus militiam profeſſus es, ad ſalutare lavacrum, huic dediſti nomen, hujus Sacramentis initiatus es, accepiſti donativum, & pignus ſpiritus; ne quid dubitares de promiſſo ſtipendio, ſimulque Diabolo denuntiaſti perpetuas inimicitias, renunciaſti omnibus illius pompis ac voluptatibus, exſufflaſti, exſibilaſti, juraſti in verba redemptoris.* O vilem animam, ita ſummæ felicitatis prodigam, & angelicæ conditionis immemorem! An viator quiſquam tam inſanus ſit, qui longo difficiliquc incedens itinere: non ſæpius ſecum recolat, repetátque, quo tendis? rectóne, an devio tramite? ſecurâne, an ab hoſtibus infeſſa via? imò, qui ultro aberret, ſponte in hoſtium ſeſe manus ingerat, à quibus, poſt breve lenocinium, ab omnibus ſpolietur? An non quandoque inter ardua viarum ſecum volvet? opimam habes patriam, nobilem illic vivendi conditionem, gloriam tibi

S Cyprian. de duplici Martyr. ad Fortunat.

Pudor eſt, ſi vincamur ſtudio & hominibus terrena præ-

mia ſpectan-tibus; cum noſtra cœleſtia & æterna ſint.

tibi paratam, exſpectantem illic te patrem, amicos videndi avidos, felicitatem, quam deſiderare poſſis, omnem. Hæc, opinor, nunquam mente exciderent. Quid mercatorem animat, inter fluctus tempeſtatéſque ac ſcopulos in mari luctantem, niſi ſæpe cogitatum, exſpectatúmque ſemper apud Indos aurum? quid militem, per vallorum murorúmque abrupta, pérque medios tormentorum & hoſtium globos, in urbes irruentem, niſi ſpes prædæ opulentæ animo infixa? Quid? quod, *omnis qui n agone contendit ab omnibus ſe abſtinet? & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Euge anima mea, noli committere, ut ab his vincaris induſtriâ in mediis opportunis tuo propoſito eligendis, quorum longè finis ignobilior eſt & vilior conditio; noli ſedulitate & conſtantiâ laborandi ab his vinci, quorum multò inferiora ſunt laborum præmia. *Si militibus ſecularibus glorioſum eſt, ut hoſte devicto redeant in patriam triumphantes; quantò potior & major eſt gloria victo Diabolo ad paradiſum triumphantem redire, & unde Adam peccato rejectus eſt, illuc proſtrato eo, qui ante dejecerat, trophæa victricia reportare? afferre Domino acceptiſſimum munus, incorruptam fidem? comitari Deo, cùm venire cœperit vindictam de inimicis recepturus? lateri ejus adſiſtere, cùm ſederit judicaturus? cohæredem Chriſti fieri? Angelis adæquari? cum Patriarchis, cum Apoſtolis, cum Prophetis cœleſtis regni poſſeſſione lætari?* Euge, o anima mea, quid torpeſcis? æterna tibi quies & voluptas, pro temporario labore ac dolore propoſita ſunt, *nemo coronatur niſi qui legitimè certaverit.*

1. Cor. 9. 25.

Cypr. de Mart. ad Fortunat.

III. PUNCTUM.

CONſidera. Ad multos errores in electione mediorum evitandos, & libertatem hominis, atque ad vitia proclivitatem conſtringendam, leges à Deo hominibúſque inſtitutas eſſe; quibus, quid fugiendum, quidque ſequendum cuique ſit, præſcribitur. Et harum quidem alias generales eſſe omnium gentium;

Quilibet, ne in electione erret, leges ſuo ſtatui convenientes ſcire tenetur.

tium; alias ſingulares Chriſtianorum, & inter has peculiares multas quibuslibet vitæ ſtatibus accommodatas. Quiſquis igitur officii ſui rationes, ut par eſt, explere voluerit, illúmque, qui ſibi propoſitus eſt, vitæ ac ſalutis ſcopum aſſequi, hic leges illas, & ſcire, & exequi pro viribus tenetur. Scire, inquam, ante omnia; quia nemo ignorans muneri ſuo exequendo idoneus eſt. Unde adulti homines, prius in fide Chriſti inſtruendi ſunt, quàm per baptiſmum ejus poſsint Eccleſiæ initiari. Sic, in quo quiſque verſatur munere, ejus tenetur leges noſſe. Nam *ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum.* Hinc terræ Iſraeliticæ per Oſeam Deus minatur: *quia tu ſcientiam repuliſti, repellam & ego te, ne ſacerdotio fungaris mihi: & quia oblita es legis Dei tui, obliviſcar filiorum tuorum & ego.* Verbo Apoſtolus rem abſolvit: *qui ignorat ignorabitur.* Neque hic ſiſtendum, quia ſcientia ſine operibus vana eſt ac noxia, & ſimilis ficulneæ ſine fructu, cui Chriſtus maledixit: nam *ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* At difficile non paucis videtur, tot legibus obſtrictis vivere, iiſque actiones ſuas cōformare. Verùm ita Deus voluit. Nulla eſt virtus, quæ in arduo ſita non ſit. Et *regnum cœlorum vim patitur, ac violenti rapiunt illud.* Magnæ arces non facilè expugnantur. Sed amantibus nihil difficile eſt.

Prov. 19. — Oſeæ. 4. — 1. Cor. 14. — Luc. 12. 47. — *Legibus etiā conformiter vivendum.* — Matt. 11. 12.

Quocirca, ut de privatis cujúſq; ſtatus legibus taceam (quæ quiſque meditari pro ſe poterit) Chriſtia-

Chriſtiani hominis leges, omnibus ad finem ſalutémque æternam aſpirantibus & tenendæ, & exequendæ ſunt. Nam, cùm illæ, à Chriſto & Eccleſia, ut media ad ſalutem æternam ordinata ſint; planè nullam, qui hæc neglexerit, ſe Chriſtianæ vitæ felicitatíſque æternæ curam habere teſtabitur. Quomodo enim ceteris creaturis, ad Dei gloriam indifferentibus rectè uſurus eſt, qui ad Deum per ſe ſpectantes non amplectetur? In his Dei & Eccleſiæ legibus cenſentur præcepta Decalogi, & Sacramentorum uſus ad ſalutem neceſſarius: ex quo omne penè robur hauritur ſpiritualis vitæ, tanquam ex fonte gratiæ, & medicamento quodam animæ, per affectiones pravas, & offenſiones hominis ferè quotidianas, velut morbos quoſdam, debilitatæ. Accedunt his conciones ſacræ, quot feſtis & Dominicis in Eccleſia inſtitutæ, libri pii, eorumque lectio, quæ qui negligit, faſtidit, aut aſpernatur, nullum non dicam guſtum, ſed nec ſtudium ſalutis habet. Nam *qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Nec blandiri hic ſibi debent docti, quaſi his non egeant, ut qui non ignota audituri ſint: quia *fides noſtra non in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Qui per ineruditos piſcatores hujus mundi ſapientes oratione ſimplici inſtruxit. Non ſatis eſt ſcire bonum; ſed ut velis quoque neceſſe eſt. Frigida igitur voluntas, ferventi aliorum oratione ſæpiùs excitanda eſt. Deus non loquitur ubíque, niſi tantùm per ſuos. Hunc tamen ſi alicubi tibi, licet tam ſimplici, quàm in S. literis, ſermone, locuturum ſcies (ut ve-

Legibus Sacramentiſq; Chriſti & Eccleſiæ, ut certis ad ſalutem mediis inhærendum.

Res ſacræ crebrò, audiendo & legendo, recolendæ ſunt.

Ioan. 8.

1. Cor. 2. 5.

rè in ſuis Paſtoribus & libris S. facit) quantc ſtudio deſiderióq; audiendi accurreres, quantâ curâ leges tibi ab illo præſcriptas explcres!

Luc. 10.
Vera Chriſti & Eccleſiæ diſciplina agnita, cum deteſtatione ignaviæ propriæ.
Luc. 6. 64. v. 49.

AFFECTUS ET COLLOQUIUM. Domine, certâ fide teneo, quod in S. literis, & per tuos in Eccleſia Doctore Paſtoreſque loquaris, de quibus pronuntiaſti; *qui vos audit me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Non habeo igitur verba, quibus excuſem ſocordiam meam. Non poſſum ignorantiam meam obtendere, quia ſiquæ ſit voluntaria eſt, cum poſſem à multis erudiri. Sæpe etiam inter illos ſum, qui *ſciunt, & non faciunt,* illámque exprobrationem tuam audire mihi videor, cum aliis mei ſimilibus: *quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico? Qui audit, & non facit, ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuam ſuper terram, ſine fundamento, in quam illiſus eſt fluvius, & ſubitò cecidit.* Ita pro dolor! ædificavi frequenter hactenus, cum tot ſalutis media in Eccleſia Dei mihi oblata neglexi. Cum tu

Prov. 1.

per ſapientem me amantiſſimè invitares: *Audi, fili, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ,* Eccleſiæ, ſponſæ meæ. Quæ te, ut dilectum filium, in gremio ſuo, præ tot aliis gentibus ac hæreticis neglectis atque excluſis felicitate tantâ, inter heredes gratiâ ac benedictione cœleſti fovendos recepit. O mi fili, quid eſt, quod tam dilectæ Matris amorem negligis; legem ſæpius reſpuis, conſilia non admittis? Si tu me ames, ſi teipſum

Excitatio ad obſequendum.

ac ſalutem tuam, quomodo potes hæc tam certa, atque etiam neceſſaria, ſalutis tuæ media negligere. Si tot Sanctorum exempla, qui aliâ ad finem ſalutemque ſuam via non pervenerunt; ſi hæc præcepta mea, hæc conſilia & hortamenta, tot ſeculis, tantoque populorum conſenſu firmata te non commovent; ſi hæc ſumma aviditate & felicitatis æternæ deſiderio non ampleeteris, quid eſt, quod Chriſtiano dignum homine præſtas, quid, quo felicem aliquando hujus vitæ finem, & alterius, quam in cœlo præparavit Deus diligentibus ſe, optatam poſſeſſionem

Matt. 18.

exſpectare poſſis? Nam *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.*

R. O

℟. O mi Deus, audio, & agnoſco has eſſe voces patris amantiſsimi,& Chriſti redemptoris mei. Abſit, ô abſit à me, ut has negligam, ut aliquid impoſterum his indignum admittam. Quam infelix homo eſſem, ſi illam quam mihi ex æterno amore tuò, per Eccleſiam tuam ſanctam, perque ipſum Sanguinem tuum, pro mea redemptione fuſum, ſalutem, præ tot aliis hominibus, offers, hanc inſanè ac protervè negligerem! Nihil eſt, nihil, ô Domine, tam arduum in præceptis, aut conſiliis tuis, quod non volens lubénſque amplectar. Cupio, Domine; adjuva me, quoniam infirmus ſum.

Propoſitum ſequendi.

DISTICHON MEMORIALE,

Elige quod juſtum eſt (2) magnumq; revolve frequenter

Finem animo (3) leges ſcito & amato tuas.

IV. MEDITATIO FUNDAM.

VERITAS. In rebus creatis noſtro arbitrio ſubjectis, indifferenti electione verſari debemus, illas licet duras præferendo, quæ ſaluti magis conveniunt, & à Deo, etiam in pœnam, proponuntur. (4) In iis verò quæ ex arbitrio tantum Dei pendent, ejus divinæ ordinationi acquieſcendum eſt cum reſignatione. (3) Denique ſalutis media, non tantùm noſcenda verùm, & re ipſa uſurpanda ſunt.

ORATIO PRÆPARATORIA, ut ſupra.

PRÆLUD. I. *Propone tibi Adamum poſt lapſum magna ſubmiſſione ad omne Dei arbitrium paratum, & quævis à manu ipſius acceptantem.*

II. *Pete gratiam, ut ad omnem Dei voluntatem reſignatus, nil niſi ex ſalutis tuæ ratione eligas.*

I. PUNCTUM.

Circa res noſtro arbitrio ſubjectas, ut ſunt opes vel inopia, honor vel contemptus &c. debemus in electione indifferentes eſſe, & ſæpe aſpera delectabilibus præferre ob ſalutem.

COnſidera, magnum ſæpe errorem à multis in electione admitti, dum, puerorum inſtar, magis ſplendida præ utilibus ac ſalutaribus rebus deligunt. Quotus enim quiſque eſt, qui non opes inopiæ, honorem contemptui, voluptatem dolori, otium labori, ſanitatem ægritudini præferat; & tamen quis neſciat pluribus opes, honores, voluptates, otium, ſanitatem noxia magis fuiſſe, & plurium cauſam ſcelerum ac ſæpe perditionis; quam inopia, contemptus, dolor, labor & ægritudo fuerint. Quæ veritas cum certiſsima, totque exemplis malè pereuntium ſit probata, ut negari non poſsit; contráque etiam conſtet, opibus, ceteríſque Dei donis, ad ſalutem nos uti ſapienter poſſe. æquum erit, ut ſepoſito omni (quantum poſſibile erit) affectu, ad hæc aut illa bona eligenda, prout arbitrio noſtro ſubjecta ſunt, accedamus: iſta ſolum præferendo ſive in rebus ſuſtinendis ſive in agendis quæ noſtræ magis ſaluti conducere intelligemus. Ita cum Deus Adamo dixit: *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, labor otio fuit præferendus.

Æger opibus ſanitatem

Æger ſæpe pro valetudine plurimas impendit opes, quia ſanitatem opibus præfert. Et nautæ

in

in tempeſtate mavult merces projicere, quàm periclitari de vita. Quæ verò cauſa? niſi, quia ille ſanitatem, hic vitam bonis ceteris pluris æſtimat, ac longè præhabet; ſecus quàm nos mortales facimus, qui infinitam illam cœleſtis patriæ gloriam, ad quam conditi ſumus, inexhauſtum illud pœnæ infernalis, & malorum omnium barathrum, quod nobis metuendum eſt, non ut par eſt conſideramus & æſtimamus; ideóque fluxa & levia hujus mundi bona æternis immenſiſque bonis præferimus, & perbrevi faciliique hujus vitæ malo quàm inexhauſto diriſſimóque alterius carere malumus. Unde lamentabile illud apud ſapientem carmen denique canitur: *Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus*; Stupenda cœcitas mortalium! Videmus nos errare pleríque: cùm tam arduum ſit hæc bona congerere, tueri, ac conſervare; ut, ſi hoc ſtudium Deo ac ſaluti impenderemus, inter præcipuæ ſanctitatis homines poſſemus cenſeri. Et tamen uſque adeò inſani cœcique eſſe pergimus, ut grave illud Diaboli jugum, cum duriſſimis inferni pœnis; quàm ſuave hoc Chriſti, cum infinita cœli gloria, portare malimus. Excute vitam ac conſcientiam tuam, quiſquis es, & quantum ſtudii temporiſque vanis mundi rebus boniſque tribueris, expende: & agnoſces minus ſtudii curarúmque pro ſalute tua æterniſque cœli bonis à te Deum exegiſſe. Quod ſi igitur Deo ſaluti-

præfert, ut valeat. Nauta vitam mercibus, ut vivat. Et nobis æterna vita ſit vilior? Quantus error!

Sap. 5. 6.

Grave Diaboli jugum multi portant, & infernũ merẽtur: ſuave Chriſti reſpuunt, ut cœlum habeant. Vah Martyres Diaboli!

ſapientius eligendum eſt, & quod æternum caducis præponendum eſt. ſalutíque tuæ hæc tribuiſſes; quanta manerent in cœlo præmia! Deinde licet jam obtenta hæc mundi bona (qua in re ſæpe fallimur) in ſe verè bona ſint. quàm tamen pauci his ex præſcripto Dei utantur, tam experientiâ, quàm Chriſti voce docemur: *facilius camelum per* Matt. 19. *foramen acus quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Quis enim in opibus neſciat eſſe pericula ingentia, perverſás affectiones, ſuperbiæ, avaritiæ, luxus & luxuriæ alimenta? Certè opum tenuitas, vita minus conſpicua, & pro honore contemptus, plus ſæpe ad ſalutem multis profuiſſe fatendum eſt. Ergo, aut ſic utere bonis illis, ut ad Dei gloriam convertantur; aut neglige, ne te perdant. Adhuc in poteſtate tua ſunt; vide quid eligendum. Finem ſalutémque tuam, infinitis partibus nobiliorem, tam abjectis noli rebus poſtponere. Hoc nunc age in tempore, quod olim te volueris egiſſe in æternitate. Etiam modò aliquando dolendum tibi eſſe perſuadeas, ne æternùm dolere cogaris. Pſ. 89. Sapientes apud Davidem canunt: *lætati ſumus pro diebus, quibus vidimus mala, & annis quibus nos humiliaſti.*

Affectus. Verè, Domine, bona illa opum, honoríſque & cetera mundi, quæ tu Deus in uſum hominum condidiſti, multis bona non ſunt, qui eis rectè, ad tuam gloriam & ſuam ſalutem, (propter quæ creata ſunt) uti *Contemptus opum & bonorũ mundi, multis nocentium.* neſciunt. Quantum profuiſſet Adamo, ſi in tanta felicitate, & copia fructuum paradiſi collocatus, malus illa, quam carpſit, ſpinas pro pomis tuliſſet? aut pro blandis verbis ſerpens momordiſſet? Quam infelices ſunt, qui cum inſipientibus illis electoribus coguntur dicere, *Quid* Sap. 5, 8. *nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra.*

Brevis

Brevis fuit voluptas, longus dolor eſt: illa tranſiit, hic manſit. Nunquid hæc in meta vitæ conſtituti omnes hujus ſeculi amatores cogitaturi aut dicturi ſunt; quando jam non amplius ex affectu, ſed veritate hujus mundi res æſtimaturi ſunt? *Dicebat Epicurus: mihi frui carne bonum eſt; dicebat Stoicus: mihi frui mea mente bonum eſt. dicebat Apoſtolus: mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Errat Epicurus, fallitur Stoicus. Tunc enim rectè anima vivit, ſi non ſecundum carnem, non ſecundum ſeipſam; ſed ſecundum Deum vivit.* O quoties igitur in electione rerum hujus mundi aberravi; & pueris fui ſimillimus, qui dulcia præ amaris quærunt, etiamſi hæc ſanitati proſint, illa noceant. quoties ſtultos ſecutus ſum, qui amœnâ malunt, quàm aſperâ viâ incedere, etiamſi hæc rectà deducat ad patriam, illa ſeducat? Cui, obſecro, quæſita ſunt bona illa, quæ hactenus temporali felicitati aut voluptati, non verò æternæ ſtabiliendæ quæſivi? in quibus non Dei honorem, ſed meum aut amicorum commodum ſpectavi? Ah miſerum me! amiſſum gratiæ tempus eſt, nunquam rediturum; lucrum æternæ gloriæ, nunquam recuperandum: læſa conſcientia eſt ſemper me accuſatura: offenſus Deus eſt, certò me judicaturus. pœna ſceleribus præparata eſt, quæ utinam ne ſit æterna. Non dicam, quod Deo, Angelis & Sanctis ejus execrabilis factus ſim. Quin mutamus, ô Anima mea, & ad Deum Salvatorem, conſilia electionis noſtræ, in reliqua vita & actionibus ita dirigimus, ut grave nihil, niſi coram ipſo, juxta bonæ electionis regulas, ad finem ſalutis noſtræ, & gloriæ ipſius dirigamus. Ita planè, ita fiat. Redeo ad te, ô Deus, ac ſummum bonum meum: *tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea.* Tu tantùm, *notum fac mihi, Domine, finem meum, ut ſciam quid deſit mihi.*

August. ſer. 13. de verb. Dom.

Magnâ inſaniâ æternis bonis caduca præferantur.

Quam infelices, qui jacturâ irreparabili, id fecerunt! corrigendũ, dum licet.

Pſal. 26.
Pſal. 38.

II. PUNCTUM.

Conſidera, varia eſſe hujus mundi bona ac mala. quæ vel extra nos, vel in corpore noſtro, aut anima reperiuntur. In quibus multa à noſtro arbitrio non pendent, ſed à Deo tribuuntur aut immittuntur, *qui operatur*

In bonis malisve noſtræ electioni nõ ſubjectis acquieſcendũ divinæ voluntati eſt.

Eph. 1, 11. *tur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ:* alium ex inopi ignobilíque: alium ex divite nobilíque producit genere: alium corpore mutilo debilíque: alium integro robuſtóque vult naſci: alium ſtupidum ſtultumve; alium ingenioſum ſapientemve creat. Hæc igitur ita à Deo acceptanda ſunt, ut quiſque ſua contentus ſorte vivat, neque aliis iccirco ſe exiſtimet eſſe meliorem, aut deteriorem. Non ſecus quàm in comœdia, ubi alteri divitis, aut ſapientis pugiliſve, alteri mendici, ſtulti, aut ægri perſona aſſignatur, quam omnes norunt brevi eſſe deponendam. ubi potiſſimam laudem refert, qui ſuam (licet ſtulti) perſonam, quàm aptiſſimè repræſentavit. Job varias perſonas, divitis ac ſani, tum inopis quoque & ægri; ſed has majori cum laude, ſuſtinuit: quando nobiliſſimos hos verſus toties cecinit: *Dominus dedit; Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum.* Servator noſter Chriſtus Jeſus, in hunc mundū veniens, ex opulentis ſummæque dignitatis principibus naſci potuit; cùm & opibus & honore ad utilitatem ſuam Deíque Patris gloriam, præclariſſimè uti noſſet. Potuit idem ſine infamia, perſecutione, vinculis, flagris, cruce, noſtram ſalutem, ſuamque felicitatem aſſequi. At cum hæc videret ſibi à Patre æterno præparata, tanquam magis glorioſa amplexus eſt, appetitu renitente ſuppreſſo. non *mea,* inquit, *voluntas, ſed tua fiat.* Imò Petrum tam indignam Chriſto mortem diſſuadentem, graviſſimis verbis, tanquam Dei ordinationi non acquieſcentem, perſtrinxit. *Vade poſt me, Satana;*

Perſona cuique ſua, tanquam in theatro, bene eſt agenda, & brevi deponenda.

Satana; ſcandalum es mihi; quia non ſapis ea quæ Dei ſunt; ſed quæ hominum. Quin viri omnes divinitus illuſtrati, ac ſpiritu Dei pleni, magni ſemper beneficii loco, & ſingularis divini amoris argumentum habuerunt, ſi Deus adverſa potius, quàm proſpera immiſiſſet. adeò quidem, ut Apoſtolus Paulus neminem filiorum Dei à flagellis & adverſitatibus eximendum, Spiritu S. dictante, affirmet. *Ne fatigeris*, ait, *dum argueris, quem enim diligit Dominus, caſtigat. Flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Quid igitur ſubterfugere conamur, quid obluctamur, querimur, ploramus; quando ſic ratum fixúmque Deo eſt, qui non vult æterna nos felicitate perfrui, niſi ante infelicitatis hic guſtum aliquem habuerimus. Quod vulgari canitur verſu, à Deo firmatum eſt: Heb. 12. 5.

Adverſa omnibus ſuſtinenda ſunt, ut mereantur proſpera.

Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara.

Triſtis eſt (quam idem Apoſtolus adjicit) in omnes tribulationem non patientes, comminatio: *Quis*, inquit, *filius, quem non corripit Pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis (cujus participes facti ſunt omnes) ergo adulteri, & non filii eſtis.* Infelix planè nomen, & magno patiendi ambitu, ac tribulationum deſiderio fugiendum! Ne verò difficilis & dura hæc ſors electionis cuiquam appareat, fortiſſima nos cohortatione ad patiendum impellit. *Per patientiam*, ait, *curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta*, (quam mira electio!) *atque* Ib. v. 7. v. 1. &c.

que in dextra ſedis Dei ſedet. (quam illuſtris re-
v. 3. muneratio!) *Recogitate enim eum, qui talem ſu-
ſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum con-
tradictionem; ut non fatigemini animis veſtris
deficientes. Nondum enim uſque ad ſanguinem
reſtitiſtis.* O millies relegenda, & ſemper cogi-
tanda nobis, in omni electione rerum terrena-
rum, lectio. Brevis dolor, exemplo Chriſti
hic ſuſceptus gaudium in cœlo nobis parit
ſempiternum; gaudium hic breve dolorem po-
ſtea æternum.

Reſignatio in manus Dei, etiam ad ferenda adverſa.

Affectus. Quid dubitas, ô anima? Nondumne te projicis in brachia extenſa Salvatoris, ejuſque cum ipſo crucem amplecteris? *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, aut ſervus major Domino ſuo.* Ipſe utique optimam partem elegit, qui eſt æterna Dei ſapientia, ipſe neminem ſeducet, qui certa via eſt. Si *omnem flagellat filium*, quomodo filiorum numero excludi me patiar? Si *adulterorum* in cenſu habentur, qui tribulationum non ſunt participes; quomodo tanti nomen flagitii non perhorreſcam? ſi Petrus *Satana* cognomento, quod mortem Chriſto diſſuaderet, rejicitur; quam ego infelix exprobrationem merebor, ſi crucem ipſe ſubterfugiam? Tu, ô mi Jeſu, *propoſito tibi gaudio,* crucis *confuſionem* eligis, cùm immaculatus ſis, atque ipſa de cœlo innocentia: & ego hanc propoſitam averſabor, cùm tot ſceleribus inquinatus, æternis etiam pœnis obnoxius factus ſim? *Nundum* fateor *ad ſanguinem uſque reſtiti*; levia perpeſſus ſum hactenus, ſi cum graviſſimis tuis cruciatibus comparentur. Et quid ni adverſitates, morbos, dolores, injurias, infamiam, tentationes, & quidquid malorum (præter peccata) in mundo eſt, libenter de manu tua ſuſcipiam; quando amantiſſimi illa parentis flagella eſſe intelligo, quibus meam quæris emendationem; & ſapientiſſimi medici vulnera; quæ infligis, ut conferas ſanitatem. Væ mihi ſi in delictis meis non corripiar à te, tanquam filius, aut æger deſperatus! Hic ure & ſeca, modo in æternum parcas. *Benedictum ſit nomen tuum Deus Patrum noſtro-*

Adverſitatibus emendamur, & ad gaudia diſponimur.

Tob. 3. 13.

noſtrorum, qui cùm iratus fueris miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui te invocant. Non eſt in hominis poteſtate conſilium tuum. Hoc V. 20.
autem pro certo habet omnis qui te colit; quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur; ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur. Non enim delectaris perditionibus noſtris; quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum, exultationem infundis. Sit nomen tuum Deus Iſrael benedictum in ſecula! Ex hoc momento amplectar ſanctiſſimam voluntatem tuam in omnibus, ſeu malis ſeu bonis; quæcúnque ex divina ordinatione tua per quamcúnque etiam creaturam tuam immiſeris. Ecce tuus ſum ego, fac mecum juxta omne beneplacitum ſanctiſſimæ voluntatis tuæ, ut finem meum, te Deum, aſſequar, & æternum amplectar.

III. PUNCTUM.

CONſidera. Ad tam nobilem finem aſſequendum, non ſatis eſſe; cùm matura deliberatione, indifferentia, & reſignatione eligere aut acceptare media ſalutis de manu Dei; ſed iiſdem diligenti, ac conſtanti ſtudio utendum. Quemadmodum non ſatis eſt agricolæ *Media ſalutis exequi omnes neceſſe eſt.*
ſcire, qua ratione ad frugem bonam excoli ager poſſit; ſed re ipſa operi manus adhibendæ ſunt, urticæ, vepres zizaniáque eradicanda; arandus, ſubigendus & fimo impinguandus ager, deníque bono ſpargendus ſemine, ut fructus ſperetur. *Bonum* igitur *facientes, non deficiamus; tempore enim ſuo metemus, non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet.* Nam, *unuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem.* Ante omnia verò neceſſarium eſt, ut in animo noſtro mala germina peccatorum, cum ſuis radicibus, hoc eſt pravis cupiditatibus, evellantur. Ad quod juvabunt Meditatio- Gal. 6. 9. 1. Cor. 3. *Triplici ad*

ſalutē via, his exercitiis propoſita, eſt incedendum: ditationes quæ ſequuntur viæ purgativæ (altero & tertio die comprehenſæ) deinde ad exemplum Chriſti Ducis ac Servatoris noſtri, vita eſt inſtituenda (quod ex die quarto, quinto, ac ſexto doceberis) denique adhærendum cum plena conformatione voluntatis noſtræ Deo eſt (ad quod per reliquas Meditationes duceris)

Purgativa, in vitiis & concupiſcentiis tollendis. Universè carni, mundo, ac Dæmoni planè obnuntiandum eſt, ut Deo ex toto corde tuo ſervire poſſis. *Nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire. uni enim adhærebit, & alterum contemnet.* Nam *quæ conventio Chriſti ad Belial, aut quæ ſocietas luci cum tenebris?* Ante omnia igitur neceſſarium eſt, ut admonitionem Cain, Abelo malè iraſcenti, à Deo datam, audiamus: *ſub te ſit appetitus tuus, & tu domineris illi.* ne cum eodem, ex perverſa cupiditate præcipitemur. *Qui* enim *Jeſu Chriſti ſunt, crucifixerunt carnem, cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis.* Expende igitur, quæ te hactenus cupiditates maximè in ruinam abſtraxerint; ut agnitis vulneribus medicinam appoſitam poſſis adhibere. Neque enim alia ad ſanitatem animæ ſalutémque via eſt, niſi mille locis ſcriptura nos fallit.

Luc. 16.
2. Cor. 6.
Gen. 4.
Gal. 5.

Illuminativa, conformando vitam ſuam Chriſto. Deinde omnibus electis in cœleſti gloria Chriſto aſſimilandis neceſſe etiam eſt, ut in hac vita, quantum fas eſt, & cujúſque ſtatus juxta leges Dei permittit, eidem conformemur. *Nam quos præſcivit, hos & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui; ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Ratio alia jungendi ſe Chriſto nulla ſupereſt. Quia *qui dicit, ſe in ipſo manere: debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Poſtremò niſi

Rom. 8. 29.
1. Ioan. 2.

niſi penitus nos Deo conjungamus, voluntatem ejus ac beneplacitum in omnibus amplectendo, non poſſumus implere charitatis divinæ præceptum, ut diligamus Deum ex toto corde, & proximum ſicut nos ipſos, quod tamen ad ſalutem quoque eſt neceſſarium. Excute conſcientiam tuam, & vide, quemadmodum tria hæc ad ſalutem requiſita præſtiteris hactenus; & num tanti tibi ſit finis tuus, ad quem creatus es, animæ & corporis felicitas, æterna ſalus, Deus atque omne bonum, ut hæc deinceps præſtare velis, tecum in præſenti loco ſtatue. *Vnitiva, Deo per amorem ſe conjungendo.*

AFFECTUS ET COLLOQUIUM. Confundor, ô Domine, in conſpectu tuo, quando ignaviam iſtam meam conſidero, quâ hactenus in via ſalutis meæ tam deſidiosè progreſſus ſum, non memor illius temporis, quando dicetur mihi: *redde rationem villicationis tuæ.* Et coram mundo univerſo átque Angelis Dei proclamabitur: *Ecce homo, & opera ejus.* Heu! quid tunc dicturus es, quando in aliis vanis & perituris rebus diligens, in unico ſalutis negotio deſes fuiſſe inveniēris? O te infelicem, *illa, quæ paraſti, cujus erunt?* illud, quod præteriit, malè tranſactum tempus, quis reſtituet? illa quæ neglexiſti æterna gaudiorum cœleſtium præmia, quis recuperabit? illam Dei conditoris & redemptoris tui gloriam, quam in te aliiſque promovere poteras, quis inſtaurabit? O te rurſum felicem! qui nondum in vivendi meta conſtitutus es, quando *tempus non erit amplius*; nondum illa *venit nox, quando nemo poteſt operari:* nondum exauditæ ſunt voces illæ horribiles: *diſcedite à me omnes operarii iniquitatis. Ergo dum tempus habemus operemur bonum:* & *quia* ſuper iniquitatem noſtram *patiens fuit Dominus, in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam ejus fuſis lacrymis poſtulemus. Humiliemus illi animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato ſervientes illi, dicamus flentes: ut ſecundum voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum*

Dolor neglectæ ſalutis. Luc. 16. Luc. 12. Ioan. 12. Luc. 13. Gal. 6. Iudith 8. *Deſiderium proſequendæ ſalutis.*

cite

citò miſericordiam. Ita, obſecro Domine, ità fiat, quia ſine te non poſſumus: cum *non ſit volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis.*

Matt. 16. Audio, te Domine, invitantem nos ad veſtigia & exemplum tuum: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Cupio te ſequi, O Deus meus. Maledicta omnis mora. quæ me ab hac via detinuit! maledicta & execrabilis concupiſcentia mea, quæ abſtractum retardavit! Hanc ſi tot ſanctæ Virgines & Martyres Dei, *qui crucifixerunt carnem cum vitiis ſuis*, ſubigerunt, ut te ſequerentur Deum ac Ducem ſuum, quidni Pſal. 26. & ego potero? O, mi Deus; *tibi dixit cor meum: ne avertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à ſervo tuo.* Deteſtabor vitia & cupiditates univerſas: *Recogitabo tibi omnes annos meos in ama-* Iſa. 38. *ritudine animæ meæ.* Audiam fidelem admoni- Eccli. 21. tionem tuam: *Fili, peccaſti? Non adjicias ite-* Ib. c. 5. *rum; ſed de priſtinis deprecare. Ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur: miſericordia enim & ira ab illo citò approximant. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubitò enim veniet ira illius.* Non differam, ô Deus meus, Ecce me, ſervus tuus ſum ego.

Distichon Memoriale.

Aſpera ſæpe ſalus ſuadet (2) Deus imperat ipſe:
Ne fuge. (3) Nam triplicem pandit ad aſtra viam.

(†)



Ubi nunc es, qui in delicÿs paradiſi Dei fuiſti, plenus Sapientia, et perfectus decore! Ezechiel 28.

B.

DIES II. EXERCITIORUM S.

De peccatis & pœnitentia.

POſtquam homo prima Exercitationum ſacrarum die ex conſideratione finis ac mediorum concluſit, adhibenda ea eſſe, quæ ad illius conſecutionem ſpectant, adeóque emendandam vitam, & in *novitate ſpiritûs* ambulandum, donec videamus Deum Deorum in Sion. Hoc tanquam fundamento conſtituto, ad ſpiritualis ædificii perfectionem, ab emendatione malè actæ vitæ per pœnitentiam & ſcelerum abolitionem veniendum eſt.

Ad quam rem efficaciùs urgendam, abſolvendámque feliciùs, S. IGNATIUS duo Exercitia inſtituit. In quorum *primo* horrorem peccatorum, ab eorum exemplo qui graviſſimè ac juſtiſſimè à Deo puniti ſunt, concitare in animis Meditantium nititur; in *altero*, ex gravitate eorum peccatorum demonſtratâ, dolorem omnibus ſalutarem incutere, & confeſſionem eorundem, emendationémque vitæ perſuadere.

Nos ejuſdem veſtigiis inhærentes, utramque aliquantò explicatiùs, gemina etiam Meditatione exponemus. Alias deinde duas ad ejuſdem materiæ expoſitionem ſpectantes adjungemus, ut quaternis unius diei horis ſufficiant.

MEDIT.

MEDITATIO I.

Reſpondens I. Exercitio S. P. IGNATII.

De Peccato in Angelis, Adamo, & aliis hominibus graviſſimè plexo.

VERITAS. Tanto Deus odio peccatum ac peccatores proſequitur, ut primas excellentiſſimáſque creaturas ſuas Angelos, unica cogitatione ſuperba elatos, (2) deinde Adamum pomi ſolius eſu prævaricantem, unà cum poſteris, (3) denique innumeros alios mortales non ſæpe delinquentes, æternis ignibus dederit cruciandos.

ORATIO PRÆPARATORIA ordinaria.

PRÆLUD. I. *Conſtituat ſe in conſpectu Dei, Angelos & homines peccatores ad infernum præcipitantis, ut exemplum divinæ hinc capiat indignationis.*

PRÆLUDIUM II. *Petat gratiam, ex tam rigido Dei judicio juſtum horrorem peccati concipiendi, & Dei hactenus parcentis amorem.*

I. PUNCTUM.

COnſidera, quòd Deus Angelos, ad ſui ſimilitudinem perfectione ſingulari, & in ſimplici natura ſpirituali, ſupra hominis conditionem longè elevatos condiderit, ita, ut puri

Angeli à Deo ſingulari perfectione conditi.

puri eſſent ſpiritus, ſine corporis admixtione immortales ſine corruptione; intellectu perſpicaciſſimo, qui omnium naturalium rerum abdita penetraret, capaxque eſſet Dei videndi voluntate liberrimâ, quæ nullis cupiditatibus obnoxia, ſub perfectiſſimo dominio omnes actiones, & res extra ſe creatas contineret; poteſtate tantâ, quæ immenſos etiam cœlorum orbes, nè dicam terrarum & marium, ſuo arbitratu poſſit vertere; pulchritudine, excellentiâ ac dignitate, tam naturæ, quàm gratiæ tantâ, quæ Deo eſſet proxima, ideóque & pro natali ſede cœlum obtineret. De illorum principe Lucifero, tanquam de excelſo Rege, Deus loquitur. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum. Tu cherub extentus & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei.*

Ezech. 28. 13.

Vnica cogitatione ſuperba elati in ignes ſempiternos præcipitantur.

Talis tamen tantúſque, poſtquam ſuperbâ & momentaneâ cogitatione ſolùm inflatus, avertiſſet à Deo cor ſuum, ut ingrata creatura præcipitatus, ex illa ſublimitate decoris ac gloriæ in extremam miſeriarum & damnationis æternæ abyſſum decidit: *Elevatum eſt*, inquit Deus, *cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo: in terram projeci te. Producam ergo ignem in medio tui, qui comedat te.* De cujus à Deo profligati lapſu Chriſtus ipſe teſtatur: *videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* Expende hìc divinæ juſtitiæ in peccatis plectendis ſeveritatem. Tam ſublimem Deóque ſimillimam, ideóque amari pr

Luc. 10. 18.

viliſſim

viliſſimo homine dignisſimam creaturam, unicâ cogitatione de ſuis dotibus ſuperbè elatam, à ſumma gloria ad ultimam ignominiam, à pulcherrima ſpecie ad extremam fœditatem, à deliciis paradiſi Dei ad horrenda inferni tormenta, à maxima æternæ felicitatis ſpe, ad ſempiternam calamitatum ac pœnarum omnium voraginem præcipitat. Non offert ſe de cœlo mediatorem inter Deum Patrem in Angelica natura filius, non impetrat moram pœnitentibus, non ipſe inſtructor doctórque ac ductor Angelorum intervenit, non extrema pro iisdem, ut ſatisfiat divinæ juſtitiæ, ſupplicia in ſe ſuſcipit: ſed unicum, momentaneum, & ſolâ cogitatione, & ab amicisſimis excellentisſimíſque Dei creaturis admiſſum peccatum, innumeris, æternis, & inexplicabilibus cruciamentis, in omne ævum, ſine reſpiratione, ſine termino, ſine modo luendum eſt.

Mediatorem pro his Dei filius ſe non offert.

AFFECTUS. Prô quantam Deus adverſus peccatum indignationem concipit! quomodo fieri poteſt, ut illud in me auſim admittere, quando nobiliſſimis illius creaturis non eſt parcitum, & quando illum, quem ſic punit Deus, æternùm punit! *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum dedit cruciandos, quanto magis nos?* An non juſtior te perdendi cauſa, quando tot peccata peccatis cumulâſti, & poſtquam centies delinquenti pepercit, mille gratias contulit, pro te carnem induit, ſanguinem fudit, *opprobrium hominum, & abjectio plebis factus*: tu tamen tantorum immemor bonorum, nec beneficiis provocatus, nec pœnis aliorum territus, peccare, & talem tantúmque liberatorem tuum offendere non deſinis? O longanimitas Dei immenſa! ô ſingularis mihi impenſa benevolentia! ô graviſſima in Angelos ſuos exercita indignatio! Quis ego viliſſimus creaturarum, ſi cum nobiliſſimis

Horror peccati ob pœnæ magnitudinem.

2. Pet. 2. 4.

Admiratio divinæ longanimitatis erga peccantem hominem.

mis illis ſpiritibus comparer? ego innumeralibus pec catis inquinatus, cogitatu, verbo, & opere; illi uno unico? Unde hæc tanta erga me benignitas, quando illis peccantibus non pepercit? Quomodo fieri poteſt, ut hæc expendens adhuc poſſim, vel auſim te offendere Deum meum? An ſecurus eſſe potero, quòd poſt tot delicta & offenſiones meas, vel ſemel adhuc delinquenti ſis parciturus? O mi Domine, quâ gratiarum actione, & ſubmiſſione, ac promptitudine ad omnem voluntatem tuam me dignè ac ſufficienter tibi impoſterum ſubjicere potero? Abſit, ut te offendam amplius, & juſtiſſimam tuam indignationem in me provocem, tantæque indulgentiæ ac miſerationi tuæ ingratus exiſtam. Abſit ut in illas me rurſum peccandi occaſiones N. N. quibus ante hac lapſus ſum me ingeram. Ex nunc renuntio & abjuro penitus. Illumina, ô Deus, oculos meos, ut omnes inſidias Diaboli agnoſcam ac devitem.

II. PUNCTUM.

Adami labentis calamitas.

CONſidera, quemadmodum primi Parentes noſtri Adam & Eva, ut primùm ſeductione Diaboli in peccatum lapſi ſunt, unius tantùm pomi vetiti deguſtatione, repentè omnibus donis, & gratiis juſtitiæ originalis ſpoliati ſint, rebellis in eis concupiſcentia exarſerit, ex amœniſsima paradiſi poſſeſsione dejecti fuerint; omnibus extra eum elementis & creaturis ad illorum afflictionem conſpirantibus; perpetuis laboribus, ærumnîſque addicti, extremæ moriendi neceſsitati, quibus perpetua eſſe vita poterat, ſubjecti, ac denique æternis inferorum ſuppliciis obnoxii facti ſint. Nunquam redimendi, niſi miſericors Deus ipſe homo factus, peccati illius expiationem, quâ totam unus homo poſteritatem oneraverat, in ſe fuiſſet dignatus ſuſcipere.

Expend

Expende 1. quantula res fuerit, pomi unius morſus, quantas in Adamo, totáque poſteritate clades dederit! quales quantáſque ipſi Deo Filio incarnato pœnas inflixerit! quibus tamen nec univerſi quidem mortales ſubjecti & excruciati potuiſſent ſatisfacere, ſed Deo pro nobis patiente & plexo opus fuit, ut divinæ juſtitiæ, vel pro unico hoc peccato, ſatisfieret. *Pomi deguſtati noxa inexpiabilis omnes etiã poſteros involvit.*

Expende 2. quoties tu quantíſque peccatis, & multò, quàm pomi unius deguſtatio fuerit, gravioribus, ſupremam majeſtatem offenderis, quoties Evam, hoc eſt carnalem tuam concupiſcentiam ſecutus, gratiam ac benevolentiam Dei neglexeris; ideóque majorem jure indignationem Numinis erga te provocaveris; quando iſto Adami, tam ſtultè delinquentis, & tam graviter à Deo plexi exemplo nihil territus, ad pejora etiam prolapſus fuiſti, illo ad offendendum Deum longè audacior, & malitioſior. *Nos tamen gravius ſæpe delinquimus.*

Expende 3. Quot mortalium ſine baptiſmo in iſto originis vitio relicti, non tantùm in hac vita, ſed æternùm miſeri, nec apud gentes, Judæos, Turcáſque ſolùm, verùm & Chriſtianos ipſos pereant, perpetua felicitate excluſi, perditioni addicti ſempiternæ; cùm te interea Deus, præ tot millibus vocatum Chriſtianis legibus Eccleſiæque gremio, licet ingratiſſimum exceperit, foverítque tanta benignitate hactenus; quam ſi pluribus relictis obtuliſſet, longè gratiores ex his multi extitiſſent. *Felicitas Chriſtianorum ingens, quibus remedia à lapſu parata ſunt.*

Abominatio peccati ob ſummum Dei erga illud odium.

Affectus. O mi Deus, quanto te odio peccatum proſequi neceſſe eſt, quod tot támque diverſis tam horrendis & incredibilibus pœnis, nullâ mitigatione infle-ctendis, nullo ævo finiendis, in ipſa quoque poſteritate Adami delinquentis, alienæ tantùm voluntatis malitia reis, proſequeris! Quale monſtrum peccatum eſt! unica illa in eſu pomi prævaricatio, quàm abominabilis malitiæ res eſt; quam tanta indignatione averſaris, tanta ſeveritate plectis! ô quàm *horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*! O quis mihi tribuat, ut peccati cujuſcúnque abominationem, digna mente apprehendam, deteſtérque illo, quo par eſt, odio? O æterna Dei Sapientia, aperi intellectum meum, ad tanti mali cognitionem quod tu Deus meus ita execraris, ut nobiliſſimum opus manuum tuarum, ad tui ſimilitudinem, tantâ potentiâ, ſapientiâ ac bonitate conditum, ſubitò cum tanto opprobrio, rejicias, tantâ irâ opprimas, tantâ immanitate tormentorum affligas.

Heb. 10. 31.

Dolor ob Dei offenſam.

Ah me infelicem, qui non unico ſolùm delicto, verùm innumeris peccatis meis ſupremam majeſtatem tuam offendi! utinam pari tecum odio deteſtari peccata omnia poſſem, & divinæ juſtitiæ tuæ ſeveritatem, ut par eſt, expendere! ne ſentire illam cogar, quam agnoſcere, ac dignè revereri non ſum conatus.

Deſiderium timoris Domini.

Utinam juſto timore percellar ex conſideratione tantæ indignationis & ſeveritatis tuæ! quoniam, *qui timent Dominum, præparabunt corda, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. Si enim pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* O Domine, *confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* ut mortificem & frangam has N.N. indomitas paſſiones meas, quibus ſæpius in lapſum præcipitatus ſum, digníſque jejuniis ac ciliciis nimium inſurgentes reprimam, & ad confeſſarium, & medicum animæ meæ confugiam, Te Deum meum præſentem in hac pugna intuear, opem tuam gratiámque conſtanter implorem, qui nunquam deſeris ſperantes in te.

Eccli. 2.

Pſal. 118.

III. PUNCTUM.

Multi hominum apud

CONſidera, quot myriades hominum Deus, ob peccata propria affligat, & damnet

damnet æternùm, pro leviculâ delinquentium & momentanea ferè voluptate, incomparabiles inferorum pœnas ſuis creaturis infligens. Hic multi tecum nati, brevíque in ſuis peccatis defuncti; ſempiterno luctu ac dolore, leve gaudiùm expiant. Qui cùm tu non minus, & graviùs fortaſſe etiam delinqueres, cùm divina tibi juſtitia pepercit, ad horrenda illa ſupplicia damnati, temeritatem ſuam luunt. Hìc in graviſſimis illis tormentis volutantur, qui licèt diu ſanctè piéque vixerint, denique in præcipitia ſcelerum abjecti, defectionem, nullâ pœnitudine reparabilem, expiant. Hìc non pauci uno tantummodo flagitio devii, & morte occupati, nunquam terminandis ignibus citò terminatam peccati voluptatem commutârunt. Interea, quæ Dei fuit conniventia, & admirabilis erga te benignitas, ſæpius tibi, & quandóque graviùs etiam peccanti, parcitum eſt. Et tamen ingratus tantorúmque beneficiorum parum memor, ſcelera adjicere ſceleribus non deſinis: ut mirum ſit illius te vindictam ſubterfugiſſe hactenus, quâ tot alii fulminati interiêre.

inferos æternùm damnati ſunt, qui minus, quàm ego aut tu, deliquerunt.

Nonnulli ſanctam vitam malo fine clauſerunt.

Nonnulli unius tantum rei criminis.

Quid ſi tibi eveniſſet, quod aliis factum eſt, periiſſes æternùm, jaceres calamitoſiſſimus & deſperatiſſimus inter tales reprobratos: Nemo eſſet nec Angelorum, nec hominum, qui tui miſereri, aut vellet, aut poſſet. Quid tunc cogitares, quid ageres, quò te verteres, tali in ſorte, cum tot aliis, te minimè deterioribus, ſi vitam ſpectes, deſtitutus? O ſi illorum quiſpiam tam felix inveniretur, ut, licèt à mundi

Et quis eſt, cui idem evenire non potuit?

Qualem quantamq;

pœnitentiã ex his pœnis redemptus ageret?

exordio in his pœnis volutatus, exire tamen hodie tecum, eandémque, quam tu obtines, pœnitentiæ conceſſæ ſortem adire poſſet! quid hunc crederes acturum, ut pœnas has evaderet, æternæque portum felicitatis obtineret? an ulla, vel tam auſtera vita, vel tam aſpera pœna, vel tam atrox martyrium futurum crederes, quod pro ſua ille ſalute formidaret? Eſſétne hora, aut momentum, quo talis tantíque beneficii memoria homini excideret, nec benefactorem ſuum deprædicaret? Vide igitur quid tibi incumbat, qui majoris etiam beneficii in te collati gratiam teneris agnoſcere; quando is, qui te cum aliis punire eodem, quo in illos uſus eſt, jure poterat: non tuo merito, ſed ſolâ gratuitâque voluntate ſuâ à te manus pœnámque abſtinuit. David certè ad pœnitentiam à Deo ſervatus, tantundem ſibi præſtitum agnoſcit, ac ſi de inferno damnatorum ad vitam fuiſſet revocatus. *Confitebor*, inquit, *tibi Domine, quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.*

Quid igitur æquum, ut tu præſtes qui minus beneficium, ſervatus à pœna debita, non accepiſti?

Pſalm. 85.

Thren. 3. 22.

Gratitudo & admiratio divinæ miſerationis.

AFFECTUS. Verè, *miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes ejus* in nobis. Agnoſco & ſtupeo hinc graviſſimam indignitatem meam, cui tamen præ tot aliis, æterna morte dum ego te offenderem oppreſſis, pepercisti: inde veneror, adoro, & tenerrimo gratitudinis affectu amplector infinitam miſericordiam tuam, quam ingratiſſimæ creaturæ, ex pura gratuitâque benevolentia tua impendere dignatus es. O ſi nunc omnia membra mea, quæ hactenus ſervierunt iniquitati ad tuam offenſionem, in Seraphicas verterentur linguas affectúſque, ad gratiarum actionem laudémque Dei mei tanti benefactoris deprædicandam!

dam! *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula, &c. quia eruit nos de inferno, & ſalvos fecit de manu mortis, & liberavit nos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus!* O benigniſſime Deus, quàm æquum eſt, ut tantam longanimitatem & bonitatem tuam, mihi præ tot millibus creaturarum impenſam, tam graviter à me læſam, tam leviter contemptam, perpetuâ deinde obſervatione colam, omni pœnitentiâ & ſatisfactione placem, ardentiſſimo complectar amore, neque ullis impoſterum, vel leviſſimis delictis, ſciens volens offendam amplius! Verbo: hoc agam, quod acturus eſſem, ſi poſt exantlatas inferorum pœnas, ex gehennæ barathro, tuo beneficio eductus, ad hanc vitam, & pœnitentiam dignam meis ſceleribus peragendam rediiſſem. Imò cum hoc beneficio grandius multò ſit; quòd me, cùm ſimiles mei damnares, ad pœnitentiam conſervâſti, par erit, ut ejuſmodi ego affectum ſtudiúmque hominis pœnitendo & amando etiam ſuperem. Dan. 3. *Obligatio emendationis agnita.*

COLLOQUIUM *cum emendationis* PROPOSITO.

Fac Chriſtum tibi in Cruce fixum ac morientem proponi, ac ſic tecum loqui. En mi „ homo: his tantis doloribus, tam crudeli mor„ te mea, tibi hactenus ſervavi vitam, tempúſ„ que pœnitendi (non ſolum Angelis, ſed & „ hominibus pluribus negatum) impetravi. „ Cave ne differas, meamque in te mortem, & „ ſalutem tuam, cum tot millibus pereun„ tium, prodigas. *Chriſti ex cruce ad pœnitentiam invitatio.*

℟. Agnoſco, clementiſſime Deus meus, agnoſco infinitæ miſerationis tuæ gratiam, mihi indigniſsimo præ tot Angelis & hominibus impenſam, quàm tu, ô benigniſsime Salvator, in cruce moriens ſingulariter mihi præſtari voluiſti. *Agnitio miſerationis & gratiæ divinæ immerenti exhibitæ.*

voluiſti. O JESU, mihi verè JESU, quot mortalibus, interea, dum ego peccarem, miſerè pereuntibus tua mors, non tantùm nihil profuit, ſed ad majorem etiam damnationẽ ceſsit! O quid fuit, quid in me vidiſti, quod me ad hoc tantum beneficium præ tot aliis percipiendum delegeris? Me, inquam, tot nominibus ingratum, cùm alios longè poſſes invenire gratiores? me etiamnum adeò torpentem & frigidum, cùm alios ſeraphico affectu ex hujus beneficii agnitione inflammatos deligere potuiſſes? O quanta tua eſt benignitas, quod nondum me ad judicium evoces, & tantæ ingratitudinis ac tepiditatis reum agas; ſed adhuc tempus tibi ſerviendi zelóque pietatis hoc damnum compenſandi ſpatium largiaris. Da, ô piiſsime JESU, per illa miſericordiæ tuæ viſcera, & amoris inexhauſti affectus, quibus me ſingulariter amplecti dignatus es; ut durum ingratúmque cor meum viciſsim ſingulari erga te amore ſuccendatur, præteritæ vitæ peccata intimo doloris ſenſu deteſtetur, & deinceps omnia juxta ſanctiſsimam voluntatem tuam indefatigabili ſtudio proſequatur. *Converte me Domine, & convertar ad te, quia tu es Deus meus.* Eja anima mea, ſurge ocyùs: convertere ad Deum Salvatorem tuum. Angeli ceciderunt irreparabili caſu, tot mortales te multò meliores in æternos ignes præcipitati ſunt: tu etiamnum toleraris, infinitâ Dei patientiâ & miſeratione. Quis ſcit, an non ultimum hoc tempus ſit ad pœnitentiam tibi conceſſum, quo neglecto, Deus nullum concedat amplius?

Deſiderium Deo ſerviẽdi cum emendationis propoſito.

Ier. 31.

amplius? utere igitur dum licet neque ulterius divinâ longanimitate abutere. Ecce nunc venio ad te Patrem miſericordiarum ſupplex at indignus filius, & ut deteſtor anteactæ vitæ ſcelera, ſic veram pœnitentiam, & confeſsionem amplius non differam. Deſeram præterea deteſtabor & execrabor ſocietatem, & occaſionem omnem, per quam ſeductus fui à te ſummo bono meo, & infinitam tuam Majeſtatem offendi. Satis diu nunc aberratum eſt. Hic finis ac terminus erit offenſionum mearum. Accipe me, ô bone JESU, venientem ad te in ſinu clementiſsimo miſerationum tuarum, & non avellar à te amplius in æternum.

DISTICHON MEMORIALE,

O ſcelus invisum Superis! (2) cadit Angelus uno,
Lapſus Adam (3) æternis ignibus ardet homo.

MEDITATIO II. DIEI II.

De gravitate peccati mortalis,

Reſpondet Exercitio II. S. P. IGNATII.

VERITAS. Peccatum lethale eſt averſio à ſummo bono, ideóque ſummum malum, cum Dei injuria & offenſione graviſſima conjunctum. (2) Tanto indignius quod à viliſſima ac miſerrima, tam in corpore, quàm animâ creatura admittatur. (3) idque adverſus Dei ſupremam, & ubique præſentem,

ſentem, omniſciam, æternamque majeſtatem, potentiam, ac bonitatem, cui omne creatum obſequium debitum eſt.

ORATIO PRÆPARATORIA cōmunis.

PRÆLUDIUM I. *Statue Te à Deo profugum inter perſequentes undique creaturas omnibus ingratum conſiſtere, nec tamen effugere Dei iram poſſe.*

PRÆLUDIUM II. *Pete gratiam à Deo agnoſcendi delicta tua, & ea tempeſtivè ac ſeriò expiandi, ne ſevero Judici obnoxius in morte tenearis.*

I. PUNCTUM.

POſtquam breviter universéque peccata tua, à principio vitæ ad hanc ætatem, conſideraveris, & diſcuſſis, tum habitationis tuæ locis, tum converſationis modis, tum denique officiorum, ſeu negotiorum, quibus functus es, generibus, ante oculos, velut in Rationum libro, conſtitueris: Expende

Peccati mortalis gravitas & malitia infinita eſt, quia eſt averſio à ſummo bono.

Quid feceris, & quanta, vel unius lethalis peccati gravitas ſit, ſi natura illius conſideretur. Peccâſti, hoc eſt, avertiſti te à Deo ſummo, unico, & infinito bono. Averſio autem ab omni bono quod tibi à Deo præparatum eſt, neceſſariò ſummum unicum atque infinitum eſt malum. Averſio ab omni dignitate ſumma abjectio eſt; ab omni pulchritudine, ſumma deformitas: ab omni ſapientia, ſumma inſipientia: ab omni bonitate, ſumma eſt malitia. Iterum, peccando non avertiſti te ſolum

à Deo

à Deo, verùm illius etiam autoritatem, præceptum, minas, ac promiſſa contempſiſti. O quanta hæc injuria eſt, ſupremæ illius majeſtati, quam adorant Angeli atque Archangeli, irrogata! ſi injuria ex dignitate perſonæ ità creſcit, ut quæ in pari levis, in nobiliori gravior, in Principe ac Rege graviſſima ſæpe cenſeatur, illam utique, quâ infinita majeſtas læditur, infinitam eſſe neceſſe eſt. Conjunge itaque omnes injurias & contumelias, quæ ab univerſis creaturis per mille ſecula tibi poſſent inferri, eáſque universè & ſigillatim graviſſimas, nec umbram quidem ad hanc, quam Deo tuo intuliſti, adferes. Jam quòd optimo illa Domino, quódque tui amantiſſimo, & omni obſervatione ac reverentiâ digniſſimo intuleris, quantùm auget flagitium! Poſtremò peccando non avertiſti te ſolùm à Deo ſummo bono, cúmque contempſiſti: verùm etiam infinitam illius bonitatem ità offendiſti, ut odium & indignationem ſummam atque immenſam erga te conceperit. & talem, quam nec omnes conditi ac poſſibiles, tecum Angeli, & homines, placare quibuſcunque precibus, ac pœnis, etiam infernalibus toleratis poſſint; niſi Dei filius, homo factus, atque extrema pro te paſſus, mediator redemptórque tuus interveniret. Prô quantum illud malum, quod immenſo, talíque Deus odio proſequitur! Acerventur omnia hujus mundi in te mala, concurrant morbi, pœnæ ac tormenta quævis excogitabilia, nec membrum ſit, quod ſingulari cruciatu non diſtendatur: omnium damnatorum in te unum pœnas

Contemptus & offenſio ſupremæ majeſtatis cum ſumma injuria conjuncta.

Domino & Patri optimo negatus honor.

Hinc odium Dei immenſum erga te conceptum, quod nulla creatura placare poteſt.

Nulla pœna poteſt expiare, quia finita eſt.

nas Deus ſuâ omnipotentiâ congerat, ſenſibilem vim tuam millies milliéſque intendendo: nihil tamen hæc ad tantum malum comparata ſunt; quia hæc finita, illud infinitum; hæc creatis tantùm bonis, ſanitatis, vitæ, ac honoris privant; illud fruitione boni increati: hæc juſta eſſe poſſunt, & rationi conſentanea; illud omni æquitati & rationi adverſatur. Verbo, hæc Deus amare poteſt; illud æterno immenſóque odio proſequitur. Nullæ igitur creaturæ, nec homines, nec Angeli, nec Dæmones, imò nec Deus ipſe omni ſuâ potentia tantum inferre homini malum poteſt, quantum ipſe ſibi homo creat peccando, Deúmque offendendo.

Quale ergo quámque horrendum monſtrum peccatum eſt! quod eſt amiſſio, & quaſi deſtructio quædam ſummi boni, congeries malorum omnium, læſio ſupremæ majeſtatis, & indignationis divinæ concitatio, privatio omnis gratiæ & felicitatis noſtræ, deformitas turpiſſima, ſine quâ ipſe Dæmon ſpecioſa Dei imago foret, cum qua ipſe homo *comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis!* Pſal. 48. n. 13.

Admiratio pravitatis humanæ.

AFFECTUS. O divina atque infinita bonitas, quomodo fieri potuit, ut à te averterer ad tam vile, fluxúmque mortale bonum? quomodo ita inſanivi ſuprema majeſtas, ut te contemnerem? juſtitia incorruptibilis, ut te offenderem? An non illa per os Jeremiæ mihi locutus es? *obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, cum Deo relicto creaturis adhæſerunt. Arguet te malitia tua, & averſio tua increpabit te. Scito, & vide, quia malum & amarum* Jer. 2. v. 12.

rum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum. Verè malum malorum omnium, ſine quo omne malum velut umbra; cùm illud ſolum bono privet unico & infinito. An non cœlum & terra jure obſtupeſcant, quæ ad Dei vocem converſa, illius voluntati obſequuntur in omnibus; cùm ſolus homo, cui plus, quàm omnibus, tributum à Deo eſt, minùs quàm cetera omnia obſequatur? *O Domine, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.* Defecit in me virtus mea, & oblitus ſum Dei creatoris mei, averti me à tanta Dei bonitate, majeſtatem contempſi, indignationem promeritus ſum. *Peccavi, quid faciam tibi, ô cuſtos hominum, quare poſuiſti me contrarium tibi? Pœnitet me peccaſſe; Recipe ſervum tuum.*

Deprecatio. Pſal. 78. Iob. 7.

II. PUNCTUM.

Conſidera *Quis* ſit, qui tot peccata commiſerit adverſus Deum ſuum, adeò turpi defectione & contemptu inſurgens; ut cùm vel uno unico graviſſimam, & irreparabilem ab univerſis creaturis injuriam admiſiſſe cenſendus ſit, tamen innumeris penè flagitiis coram Deo & Angelis appareat coopertus. *Quis* iſte? niſi homo, quoad corpus, *repletus multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Talis, ut à Deo Job admirans percunctetur: Et *dignum ducis ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos?* Quanta miſeria, de terra ac putredine ortum, in terram ac putredinem, quam diffugiant & horreant omnes, iterum reſolvi; tot morbis obnoxium vivere; tot neceſſitatibus frigoris, caloris, famis, ſitiſve penè affligi indies; tot cupiditatibus ac periculis objectum eſſe; ut quid poſt horam facturus, ubi futurus ſit, ignoret. O vas fragile, *væ qui contra-*

Peccati gravitas creſcit ex vilitate perſonæ peccantis.

Iob. 14. 1.

Homo quoad corpus de putredine terræ eſt, & in eandem reſolvetur.

Iſa. 45. *contradicis factori tuo, teſta de Samiis terræ!*

Quoad animam ex nihilo ad Dei ſimilitudinem formatus, miſerè deformavit, ſubjecitque hanc carni ac Dæmoni.

Quis iſte, quoad animam? Eductus ex abyſſo nihili, quæ illius origo eſt, & ad ſimilitudinem quidem Dei conditus; verùm quam turpiſſimè Dæmoni & peccato ſerviens, toties prodidit, atque obliteravit, quoties à Deo averſus eſt. Hinc inordinatis plenam affectionibus, pravis habitibus ad fœda quæque inclinatam, carni ſuæ ſubditam, Dæmoni ſæpe mancipatam, mundo obnoxiam, concupiſcentiis à Deo abducentibus illigatam, in corpore velut captivam in carcere animam detinet, ac jure ingemiſcit: *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ubi tenebræ intellectum obſident, caro rapit affectum, mundus ſuis illecebris trahit, Dæmon tentator ad quævis ſcelera impellit. *Nullum quippe peccatum eſt, quod facit homo, quod non faceret alter homo, ſi deeſſet ille, per quem factus eſt homo.* Tot igitur calamitatibus tot infirmitatibus cum afflictam trahat animam, neque aliunde, quam à ſolo Deo affulgeat ſubſidium, quomodo fieri poteſt, ut à beniginiſſimo Deo ſuo, à quo omne bonum exſpectat, ad crudeliſſimos hoſtes ſuos, qui blandiendo enecant, & omne malum irrogant, tam ſtultè, & toties læſus convertatur?

Rom. 7.

Auguſt. in ſoliloq.

Denique ſi quid boni poſſidet, totum poſſidet à Deo.

1. Cor. 4.

Denique faciamus, te paucis miſeriis in corpore, paucis in anima cupiditatibus & peccatis obnoxium, *quid habes, quod non accepiſti; ſi autem accepiſti, quid gloriaris?* Quid, quæſo, tu unus es, præ tot aliis te nobilioribus, prudentioribus, ſanctioribus, toto orbe & ævo diffuſis? Et ſi Deus Angelis peccantibus non pepercit

cit; quis tu es, qui illius auſus juſtitiam laceſſere? *Avertere*, jure monet Eccleſiaſticus, *ab injuſtitia tua, & nimis odito execrationem, & cognoſce juſtitias & judicia Dei.* Eccli. 17, 23.

AFFECTUS. O Domine, *quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia reputas eum? Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te. Veruntamen univerſa vanitas omnis homo vivens. Et nunc quæ eſt exſpectatio mea, nonne Dominus?* Quomodo igitur fieri potuit, ut tantæ vilitatis homo, te Deum meum, à quo omne bonum poſſideo, omne in-poſterum exſpecto, offendere tam graviter, & tam crebrò potuerim? Quomodo ulli creaturæ adhæreſcere, illi fidere, & à te diſcedere ſummo bono potui: cùm *maledictus* ſit *homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus?* Heu mihi, quoties carni meiſque cupiditatibus obſecutus, maledictionem tuam promeritus ſum, qui tamen longaminis & patiens & multum miſericors exſpectâſti me indigniſſimum ſervum tuum. Sed tamen, *quis ego ſum ſervus tuus, quia reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei?* minùs ille tibi abominabilis eſt, quàm leviſſimi etiam peccati animam inquinantis turpitudo. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*, qui *invenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati?* O Da mihi, bone JESU, *ſecundum divitias gloriæ tuæ, virtute corroborari per ſpiritum Dei in interiori homine*: ne tam abjecta creatura, magis abjiciar recedendo à te Deo ſummo atque unico bono meo. Nolo, ô ſalus mea, nolo à te diſcedere peccando amplius; *ſed in te Domine ſperavi, non confundar in æternum.*

Pſalm. 8. Pſalm. 38. *Admiratio bonitatis Dei erga tam vilem hominem.* Ier. 17. 5. *Dolor de peccatis, & humiliatio.* 2. Reg. 9. Rom. 7. 23 Eph. 3. 16.

III. PUNCTUM.

CONſidera, *quem qualémque* offenderis? Deum utique immenſæ majeſtatis, cui cùm omnem reverentiam, obſervantiámque debueris graviorem intuliſti injuriam, quàm ſiom-

Peccati gravitas ex perſonæ offenſæ dignitate.

ſi omnes homines, Principes, Monarcháſque totius mundi, ſi omnes Angelos, Sanctóſque, & ſigillatim, & univerſè graviſſimâ offenſione læſiſſes, ac de medio ſuſtuliſſes, Deum ſolum non offendendo Immenſæ majeſtati læſæ immenſa irrogata injuria eſt. Deum ubique præſentem, & te ſcelúſque tuum intuentem contempſiſti. quod in oculis viri gravis erubuiſſes facinus, hoc in conſpectu Dei tui perpetrare non formidâſti. *Illius* Dei, *cujus oculi mundi ſunt, & reſpicere ad iniquitatem non poſſunt* Aſſuerus Rex contra Amanum exclamat *etiam, me præſente, Reginam vult opprimere?* &c. *Appendite eum in ligno.* Et quem tu aliquando vultum, quam vocem à Deo tuo, ita contemptim habito, exſpectas? Quid? quod Deus tuus ſolus & unicus Deus ſit: quem tu tamen adeò negligis; ut tot Deos tibi in conſpectu illius conſtituas, quot creaturas illi præfers, tibi ſupra Deum cariores. Sed cave: nam *quorum Deus venter eſt,* horum *gloria erit in confuſione* Deus, quem offendis, omniſcius eſt; at tu illum cuperes ignorantem, ut ſcelus admitterc impunitum. Deus tuus æternus eſt; at tu illum cuperes perire, ne æternis in te poſſet pœnis animadvertere. Deus tuus omnipotens eſt; at tu illum cuperes impotentem, ne manus in juſtiſſimam erga te vindictam poſſet extendere. Et ſi hæc cogitatione ac verbo non agis, an reipſa non oſtendis; cùm & juſtitiæ divinæ, & æternitatis pœnarum, tanquam non eſſent, contemptor, Deum talem tantúmque audes offendere?

Læſa majeſtas Dei infinita, & præſentia ipſius ſpreta eſt.

Abac. 1.

Eſth. 7.

Phil. 3.

Peccator Deum cum omnibus ſuis perfectionibus deſtructum cuperet, ut ne ſe puniret.

An non perhorreſcis adverſus illum peccando inſurgere, *in cujus manu ſunt omnes fines terræ*, túque, tuáque omnia, & vita præſens, & æterna felicitas, tanquam ex filo librata dependet? verbo illi opus, ut te conderet, verbo, ut deſtruat. Si quem tuum hoſtem in præcipitio ſuſpenſum ex fune teneres, quæro, quid facturus eſſes, ſi te pergeret ille laceſſere, deteſtari, execrari, vitam tibi felicitatémque omnem ablaturus, ſi poſſet? Ergóne tuum non ſentis periculum, cùm paria & graviora, etiam adverſus omnipotentem Deum te tuamque vitam omni momento ſuſtentantem, tui minime indigum, ſibíque abundè ſufficientem audes? Quis furor, quæ amentia! Adjicio denique, cùm illum offendas Deum ſummè atque unicè bonum, ex quo tanquam fonte hactenus, omne, quod poſſides, bonum fluxit. & ſiquidem nihil ab illo poſſideres, digniſſimus tamen in ſe eſt, cui omne ingenium noſtrum, omnis cogitatio & affectus amoris impendatur. Hanc tamen bonitatem talem tantámque negligere, aſpernari, offendere, atque ultro in malorum omnium abyſſum ſe ingerere, quid eſt, niſi veritatem, rationem, Deum atque omne bonum, inexplicabili perverſitate & amentia conculcare? *Contemnit Dei potentiam.* *Aſpernatur bonitatem,*

AFFECTUS. O Deus meus & omnia, quò per innumera peccata mea à te præceps abii! quàm execrando, & mihi periculoſo certamine, adverſus benignitatem tuam mea malitia depugnavit! ô immenſa majeſtas, hæccine à viliſſima creaturarum ſuſtinere poteras? Tuis ego tot tantáque in oculis, in tam excelſi Regis præſentia, patrare ſum auſus; non revereri autoritatem, non ſuſpi- *Deteſtatio peccatorum propter Deũ offenſum.*

cere ſapientiam, non æternitatem intueri, non formidare omnipotentiam, non amplecti tam admirabilem bonitatem? *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi?* & quomodo te laceſſere non ſum veritus? Tu es Deus, *qui glorificaris in concilio Sanctorum,* & quomodo ego vermiculus te contemnere potui? Tu mandaſti: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies;* & quomodo ego ſervire carni, mundo, Dæmoni auſus ſum? *Tu Dominus ſcrutans cor, & probans renes, qui das unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum:* & quomodo in conſpectu Judicis mei, & Judicis ſeveriſſimi, qui etiam *de quolibet verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, rationem exiget,* tantâ impudentiâ potui delinquere? De te notum eſt, quòd *nemo bonus, niſi ſolus Deus;* & tu es Deus *faciens miſericordiam in millia his qui diligunt te, & cuſtodiunt præcepta tua;* & quomodo ſolum atque unicum hoc bonum ego potui negligere, præcepta transgredi, & miſericordiam toties oblatam averſari? O me infelicem, atque illi ſimilem, de quo dictum: *melius erat, ſi non fuiſſet natus homo ille!* Cur non tandem, cur non modò corrigo, quod toties malè neglectum eſt? Saluberrimum viri Dei conſilium eſt; *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. An divitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit?*

Pſal. 75. 8. — Pſ. 88. 8. — Deut. 6. — Ier. 17. 10. — Matt. 12. — Exod. 20. 6. — *Deſiderium emendationis.* — Pſ. 94. — Rom. 2. 4.

COLLOQUIUM *cum* DOLORE *& emendationis* PROPOSITO.

Laus & gratiarum actio Deo hactenus miſericorditer parcenti habita.

Benedictus Deus, qui non amovit miſericordiam ſuam hactenus à me, toties divinam ſuam majeſtatem offendenti. Gratiæ immortales creatori meo, quòd continuerit creaturas ſuas quæ faciunt omnes voluntates ejus, ne me perderent, cum ego ſanctiſſimæ voluntati ipſius refragarer. Gratiæ infinitæ Deo meo, quòd Angelos divinæ juſtitiæ adminiſtros, qui conſortes ſuos uno delicto perpetrato dedêre præcipites, qui Adamum ob unius pomi eſum pa-

paradiſo

radiſo exegêre, hactenus non tantùm continuit, ne me ferirent, ſed cuſtodiæ etiam meæ adverſus Dæmonem juſſit inſiſtere, & mille viis ſuffragiiſq; patrocinari. Omnis gratiarum actio Deo meo, quòd terra dehiſcens non abſorpſerit, ut Dathan & Abiron murmurantes: ignis de cœlo non conſumpſerit, ut Sodomam & Gomorrham obſcœno igne flagrantes; aqua, ut Ægyptios non hauſerit; ſol inter ſidera obtenebratus, ut Chriſti crucifixoribus non ſit; ſed hæc elementa ac ſidera etiam, cùm non minùs Deum meum, quàm illi & iſti offenderem, tamen adhuc in uſum meum obſequiúmque à Deo directa ſint; ut quantùm ego maleficiis, tantùm Deus beneficiis adversùm me majoribus decertaret. Verè miſericordia Domini ſuper omnia opera ejus! *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniã in ſeculum miſericordia ejus.* Sed cùm per Prophetã tuũ nos admoneas: *derelinquat impius viam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus.* Ad te Deum, ſummum bonum meum, toto corde reverti deſidero, tuis ſemper in oculis, ſuper bonos & malos apertis, ingredi. Abſit tuam unquam majeſtatem contemnam, tuam potentiam negligam, tuam bonitatem non amplectar. Horreo & abominor tempus illud, quo tantis à te ſceleribus diſceſſi. reverеor longanimitatem tuam, quæ me ſuſtinuit, exoſculor infinitam charitatem tuam, quæ me ad pœnitentiam revocavit. Sit Deus benedictus in ſecula, quia *fecit nobiſcum ſecundum magnam miſericordiam ſuam.*

2. Par. 5.

Iſa. 55. 6.

Pœnitentia.

Ex hoc momento deteſtor, execror, abjuro peccatum omne, quia divinæ tuæ majeſtati ac bonitati adverſatur: inprimis verò hæc N N. omni ſtudio, vigilantia & contentione evitabo, & ante per ferrum, ignes, tormenta omnia, ad crudeliſſimam me rapi mortem patiar; quam à te Deo ſummo bono meo per commiſſa rurſum ſcelera avellar. Pereat, ô Deus, ante vita mea, quàm ab hoc propoſito diſcedam.

DISTICHON MEMORIALE,

Omne malum eſt Deus averſus (2) vah portio terræ
Vilis homo! (3) tantum ſpernis, inique, bonum?

MEDITATIO III. DIEI II.

De peccati mortalis damnis ex pœnis.

VERITAS. Ingentia peccatum mortale damna bonis hominis externis, interniſque corporis & animæ, naturalibus & ſupernaturalibus infert. Deinde (2) pœnæ illud conſequuntur præſentes & æternæ, eæque graviſſimæ, & inexplicabiles. ut (3) pro illius ſatisfactione, neceſſe etiam fuerit, filium Dei extrema mortis ſuſtinere ſupplicia.

ORATIO eadem quæ ſupra.

PRÆLUDIO I. *Propone tibi Adamum metu pœnæ imminentis, & præſentium malorum dolore preſſum.*

PRÆ-

PRÆLUDIO II. *Pete gratiam agnoſcendi & cavendi.*

I. PUNCTUM.

COnſidera, bona per peccatum ablata, ſive damna ingentia, quæ ex peccato proveniunt; dum innumera beneficia Dei, in te collata, non ſolùm evertit, verùm ſæpe in maleficia convertit: ut jure tibi exprobretur: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit. Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Quàm infelix hæc diſceſſio eſt, quæ ab eo te divellit conditore tuo, à quo omne bonum naturale poſſides, mentem, ingenium, libertatem in anima, ſenſus & ſanitatem in corpore: quæ omnia, cum à Deo te avertis, in tuam verſis perniciem, non tantùm nihil profutura, ſed ſummè ad exitium tuum noxia. Quàm infelix diſceſſio, quando à Deo ſalutari tuo averteris, à quo omne bonum ſupernaturale, luminis divini, gratiarum & virtutum conſequeris, dum obſequens es; amittis, dum prævaricaris. Hæc nos ab illa Dei Sapientia divellit, quæ de ſe profitetur: *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me ſpes omnis vitæ & virtutis. Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel & favum.* At vel unicum lethiferum peccatum bona hæc tollit univerſa. Tollit divinam gratiam & amicitiam, per quam ſupra naturæ tuæ, ex ſe vilis, & Deo poſt corruptionem ingratæ, conditionem elevatus, ſingularis Dei amicus eras, ac velut domeſticus, ipſius electis ac dilectis filiis annumeratus. Itaque qui per illam particeps eras naturæ divinæ, habitaculum Spiritûs

Peccati mortiferi gravitas ob damna ingentia.

Deut. 32. 15.

In bonis naturæ.

Et in bonis gratiæ.

Eccli. 24. 25.

ritûs S. rurſum abjiceris, tanquam cadaver putidum: antè ſuper omnes mundi Principes nobilitate evectus: nunc infra ultima mendicabula vilitate depreſſus. antè amicitiâ, non Regis, aut Cæſaris terreni, ſed Dei ter Opt. Max. fruitus: nunc Angelis Sanctíſque omnibus, atque ipſi Deo execrabilis deteſtabilíſque, præ contemptiſſimis creaturis factus. antè æterni patris filius, heres felicitatis perpetuæ, regni cœleſtis particeps, frater & coheres Chriſti: nunc ex tanto repentè beatitatis faſtigio, ad extremæ ſortis & ignominiæ abyſſum præceps, mancipium Dæmonis, & damnationis æternæ reus. Jam quòd charitate ſimul Dei, quòd virtutibus ceteris huic annexis, quòd bene exactæ vitæ meritis univerſis, quòd Eccleſiæ ſuffragiis, quòd operum tuorum fructu, quòd tranquillate conſcientiæ deſtituaris, quòd te turbet ac lancinet cor tuum, juſtam irati Numinis vindictam exſpectans, quanta eſt ex unico peccato miſeriarum congeries? Verè, *unius peccati conſenſu, immenſas animæ ac corporis homo ſpiritualis amittit divitias*!

Laur. Iuſtin. ſerm. de S. S. Ioan. Evang.

Pſal. 37.

Dolor de peccatis ob jacturam gratiæ ac gloriæ.

Iob. 7.

Gen. 25.

AFFECTUS. O Domine, *iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Non eſt ſanitas in carne mea, & non eſt pax oſſibus meis, à facie peccatorum meorum. Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* Quid dicam, aut *quid faciam tibi, ô cuſtos hominum, quare poſuiſti me contrarium tibi & factus ſum mihimetipſi gravis*? Eſau cum primogeniturâ, paternam benedictionem pro vili pulticula amiſiſſe ſe, tanto dolore eſt queſtus, ut clamore magno irrugiens, aliam à patre benedictionem poſtularet; & ego pro cœleſti benedictione translata non gemo, non lamentor, non irrugio, ubi benedictionem

em & primogenituram terrenam adeò video deplora-
i? O me infelicem, quando illam, quam mihi dediſti præ
ot creaturis ad te quærendum rationem, ad tibi contra-
icendum converti, brutis ipſis factus deterior; quando
llam, quam mihi tribuiſti libertatem, carni ac Diabolo,
n fœdam & exitioſam ſervitutem, tradidi; quando il-
am divinam gratiam tuam, quâ me amicum, filium, he-
edem regni, ac felicitatis æternæ conſtitueras, leviſſima
oluptate peccandi amiſi, factus hoſtis tanti patris, Do-
nini, ac Dei mei, & æternæ damnationi obnoxius.

Quis *dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem la-
rymarum: & plorabo die ac nocte* perditam animam, Ier. 1. v. 1.
gratiam ac felicitatem meam! Quoties, ô Domine, ex
hoc momento reſpirabo, toties deteſtabor ſcelera mea,
oties divinam tuam miſericordiam, per JESU Chriſti
merita, implorabo, meque illi conſecrabo in æternum.
Suſcipe, & adjuva hoc deſiderium meum, quod in dies
mane, ac veſpere, atque in his & illis peccandi occaſioni-
bus N.N. innovabo.

II. PUNCTUM.

CONſidera, quanta per peccatum mala pœ-
næ tibi irrogentur. Illas Domini voces
expende: Nonne ego *plantavi vineam hanc ele-* Iſa. 5. v. 2.
*ctam, & exſpectavi, ut faceret uvas, & fecit la-
bruſcas? Quid eſt, quod ultra debui facere vineæ
meæ, & non feci ei? Et nunc oſtendam vobis, quid* Peccati pœna graviſſima.
*ego faciam vineæ meæ. Auferam ſepem ejus, &
erit in direptionem; maceriam ejus, & erit in
conculcationem.* Nec ſatis. *Ignis ſuccenſus eſt in* Deut. 28. v. 22.
*furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima,
devorabitque terram cum germine ſuo, & mon-
tium fundamenta comburet. Congregabo ſuper
eos mala, & ſagittas meas complebo in eis. Conſu-
mentur fame, & devorabunt eos aves morſu ama-
riſſimo, dentes beſtiarum immittam in eos. Foris
vaſtabit eos gladius, & intus pavor.* Et hæc om-

v. 21. nia Deus dilecto ſuo populo minatur. *Ipſi*, inquit, *provocaverunt me in eo, qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus ſuis; & ego provocabo eos in eo, qui non eſt populus*, hoc eſt, quos tanquam amicos optimos dilexi, tanquam hoſtes graviſſimos perditurus ſum. Plurima inprimis mala ſunt, quæ Deus in hac vita mortalibus ob peccatum irrogat. Ut pro bonis externis, omnia infert mala: pro opibus & abundantia rerum, inopiâ, & nuditate, affligit, per ſterilitatem, aut bellum illatâ; quæ flagella propemodum quotidiana ſunt. Quin & *armat omnem creaturam ad ultionem inimicorum.* Aëre ventis oppugnat, & tempeſtatibus: ignis fulmine, incendiiſque: aqua exundationibus: terra loliis & ſentibus. Transfert Deus à nobis honorem, officia, regna & imperia integra, & ignominiâ, vaſtitate, oblivione, contemptúque nobiliſſimas familias obruit ac ſepelit. Ita amplisſima illa arbor Nabuchodonoſor ſucciſa eſt, Balthaſar ad ſtateram appenſus, regno vitáque excidit. & homini nullus in orbe major hoſtis, quàm alter homo. cum hoc invidiâ, æmulatione, irâ, litibus, armíſque, uſque ad vitæ ipſius internecionem, colliditur.

Pœnæ temporales hujus vitæ.

Sap. 5.

Dan. 4. & 5.

Jam ſi corporis mala expendas, quot miſeriis non affligitur! nunc frigore, nunc calore torquetur: modò fame, mox ſatietate: pluribus unum morbis obnoxium eſt, quàm membris conſtet. Ipſæ porrò inordinatæ hominis cupiditates, quibus peccator affligitur, cùm expleri nequeant, quantum animæ tormentum ſunt! Avarus quoties fruſtratur quæſitis? ſuperbu

perbus quoties contemnitur? voluptatum ſectator quoties fallitur, atque in dolores offendit? Invidus quemadmodum alieno bono torquetur! acedioſus quàm ſibimetipſi gravis eſt! Verè, ô homo, *malum & amarum eſt reliquiſſe Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem Dei apud te.* Nec eſt cur ſibi quiſquam blandiatur de ſanctitate vitæ & pœnitentia ante acta. David qui vir erat ſecundum cor Dei, ita ante lapſum innoxiè vixerat, & poſt illum ſeriò pœnituerat: tamen ubi numerato populo ſibi ſubjecto Deo diſplicuiſſet, quòd gloriaretur, ſe habere centum triginta millia bellatorũ, Deus oblatis tribus flagellis, belli, famis, & peſtilentiæ, cùm David ultimum delegiſſet, ſeptuaginta virorum millia peſte repentinâ ſuſtulit: donec precibus & ſacrificiis placaretur. Ier. 2. 19.

Sed quid hæ pœnæ peccatorum omnes, niſi meriſſimæ umbræ ſunt, ſi cum illis vitæ alterius pœnis, quæ damnatis apud Inferos infliguntur, collatæ fuerint? hæ enim, cùm intenſione graviſſimæ ſint, ita ut Iſaias impoſſibile judicet hominem ſuſtinere (*quis*, inquit, *poterit de vobis habitare cum igne devorante?*) cùm præterea ſint æternæ, ideóque ſubjiciat: *quis habitabit de vobis cum ardoribus ſempiternis?* cùm infligantur à conditore hominis (qui *nihil odit eorum, quæ fecit*) in ſolius peccati vindictam: cùm à Deo infinitâ miſericordiâ prædito: cùm ab humanæ ſalutis amantiſſimo, ut propter quam ipſe homo factus eſt; quantum eſſe malum peccati neceſſe eſt! præſertim quando unius etiam cogitationis momentaneâ volupta-

Pœna vitæ æternæ.

c. 33. v. 14.

te-

te talis tantáque pœna incurritur, nec ſanctiſſimè ante acta vita obſtet; ſed omnium bonorum & virtutum merita ſimul obliterentur, & æternùm pereat, quiſquis ſic perit.

Dolor ac deteſtatio peccati, ob gravitatem pœnarum imminentium.

AFFECTUS. Verè, majus eſt, univerſis hujus & alterius vitæ malis pœniſque, unicum peccati malum! Illa enim Deus ipſe ad hoc avertendum partim infligit, partim intentat: nec ſi univerſa iſta æternùm ſuſtineas, pro his unquam ex æqualitate Deo es ſatisfacturus; cùm quidquid pateris finitum eſt, offenſio & injuria Dei læſi eſt infinita. Verè *malum & amarum eſt Deum reliquiſſe*! Malum hoc unicum fons omnium malorum eſt, unde tot in orbem univerſum calamitates fluunt: tot in hominem damna, tot pœnæ & afflictiones derivantur: unde æternus ille ignis ſuccenſus eſt, & tamen longè infra meritum peccantis! O ſi illud ego malum tam vivo ſenſu apprehendere, tam generoſo affectu deteſtari poſſem, quàm fortis ille inter Machabæos Eleazarus, qui ad carnium eſum invitatus, reſpondit, *præmitti ſe malle in infernum, quàm à Deo conditæ legis conſtituta violare*! O benigniſſime Deus meus, hunc in me fervorem accende, qui à cupiditatibus meis victus, non *quod volo bonum facio, ſed quod nolo malum*. Reſpice in me, & miſerere mei, qui in illo præcipitio æternitatis conſtitutus, meis viribus deficio, neque aliud invenio auxilium, niſi in te Deo meo, qui *non vis mortem peccatoris; ſed magis ut convertatur, & vivat*. Eia, adjuva me, Deus meus, ut ex hac hora toto animo ad te converſus, conſtanter tibi adhæream in æternum.

2. Mach. 6. v. 23.

Auxilii divini imploratio.

Ezech. 33.

III. PUNCTUM.

Peccati gravitas, ex pœnis Dei filio inflictis, cognoſcitur.

CONſidera, tantum odium peccati, & peccatoris in Deo reperiri, ut, cùm unigenitus & infinitè dilectus filius, carne humanâ aſſumpta, pro nobis ſeſe mediatorē obtuliſſet, non acquieverit ſolis ipſius precibus & interceſſioni, ſed graviſſimis illum pœnis, uſque ad mortem acerbiſſimam, inter extrema tormenta ſubi-

a ſubitam, affligi voluerit. Hic obſtupeſce, quòd illum, quem ſupremo amore complectebatur filium; quòd innocentiſſimum, qui *peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*; quòd obedientiſſimum ad omnem Dei nutum, cujus *cibus erat, facere voluntatem patris ſui*; quòd *heredem univerſorum*, qui erat *Rex Regum & Dominus dominantium*, ex implacabili illo odio, quo peccatũ proſequebatur, averſari ac punire, velut hoſtem ſuum extremum aggreſſus ſit: velut nocentiſſimum omni dedecore affecerit, omni dolore afflixerit. uſque eò, ut *opprobrium hominum* factus ſit & *abjectio plebis*. Et ipſe Deus per os Iſaiæ pronuntiet: *vidimus eum, & non erat aſpectus, deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem*. Ipſi quoque fideles aſſerant: *putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*. Quale exiſtimas hoc ſpectaculum fuiſſe, in cujus principio attonitus hoſtis Pilatus ad populum dicere auditus eſt: *Ecce homo*: in quo non erat ſpecies hominis. Quale verò, quantúmque malum fuiſſe debuit, pro quo & pater amantiſsimus unigenitum ita filium plectere; & filius amore hominis, tam horribiles cruciatus potuit ſubire! *Si in viridi ligno hoc factum eſt, in arido quid fiet? Ex conſideratione remedii, periculi mei æſtimo magnitudinem Filius Dei altiſſimi jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioſo ſanguinis ipſius balſamo medeatur*. Agnoſce *ô homo, quàm gravia ſint vulnera, pro quibus neceſ-*

1. Petr. 2. 22. Ioan. 4. Heb. 2. 1. Tim. 2. Iſ. 53. Luc. 23. D. Bern. Serm. 3. de Nat. Dom.

ſe fuit Chriſtum Dominum vulnerari. Agnovit utique & Chriſtus, non tantùm, quàm ingens malum eſſet, Deum offendiſſe, cujus juſtitiam ex hoc pœnarum ſuarum ſpectaculo placare volebat; ſed etiam, quàm horrendum eſſet poſt hanc vitam *incidere in manus Dei viventis*: ubi jam peractis miſericordiæ partibus, ſola Juſtitia dominatur. Agnovit Chriſtus, quantum malum eſſet, ſalute ſuâ æternâ excidere, ſeparari à conſpectu Dei, & ſocietate Sanctorum: adeóque maluit ipſe, pro te, ô homo, tot tantáque ſuſtinere, nè tam immenſis tu bonis excideres, & incurreres mala.

Majus eſt malum ſalute ſua excidere hominem, quàm Deum extrema perpeti.

Quod ſi igitur homines tantorum malorum neglectu, & ſuæ etiam paſſionis contempto fructu, in priſtina abire præcipites vitia ſpectet, quo, putas, illius pectus dolore configi? cùm iterum ille, iterúmque ad mortem ſimilem quantum in peccatoribus eſt, rapi videatur, ut Apoſtolus diſertè de illis pronuntiet: *rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Imò graviorem tam acerba morte dolorem infligunt: quando hanc ipſe volens lubénſque ſubiit, ut hos à peccato redimeret, quos nunc, irritâ morte, omníque conatu ſuo, interituros conſpicatur.

Heb. 6.

Auguſt. in Iſai. 7.

Dolor & deteſtatio peccatorum ex amore Dei patientis.

Affectus. Agnoſco, ô Domine, & fateor: quia *videtur conſummata nequitia eorum, qui crucifixerunt filium Dei; ſed eorum major, qui nolunt rectè vivere, & odio habuerunt præcepta veritatis, pro quibus crucifixus eſt filius Dei.* Heu! Domine, quid feci? deteſtor atque execror immanitatem meam, non ſolùm illam, quâ per peccata mea tibi inflixi mortem; ſed magis illam, quâ per iterata toties ſcelera graviorem morte dolorem intuli. Quanta bonitas tua, quòd in tantæ ingratitudinis ultionem

em, me nondum ad ſæpius promeritos inferni cruciatus
præcipitaveris? pro impietate mea pietatem, pro im-
manſuetudine clementiam, pro odio amorem repende-
s? ô Domine, tuâ ego longanimitate ad audaciam, tuâ
ıdulgentiâ ad confidentiam, tuâ bonitate ad malitiam
buſus ſum. *O Pater, peccavi in cœlum, & coram te, &* Luc. 15.
im non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum
e mercenariis tuis! Agnoſco infinitam obligationem
neam, quâ tibi obſtrictus ſum, & ſervire teneor; quia ab
ıfinitis me malis, centies illa promeritum exemiſti,
tiam tum, cùm alios me perderes meliores. Jam tan-
em, ô Domine, jam ſatis errorum eſt tam benigni Pa-
ris, omnem ſuam providentiam & miſerationem nobis
npendentis, longanimitas non eſt amplius contemnen-
a, tam amantis filii, ſanguinem ac vitam pro me fun-
entis, charitas, omni amore poſſibili eſt amplectenda.
Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericor- Heb. 4. 16.
iam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio op-
ortuno. Tu, ô pater æterne, ad prodigum hunc filium,
cet indigniſſimum, tamen ſupplicem, & deprecantem
niverſa delicta ſua, reſpice; &, cùm Pater miſericordia-
um ſis, ad te revertentis miſerere.

COLLOQUIUM *cum dolore ex amore Dei, & emendationis* PROPOSITO.

Cogita, Chriſtum te his verbis audire invi-
tantem: *Venite ad me omnes, qui laboratis &*
onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et, *niſi con-* Pſal. 7.
verſi fueritis, gladium ſuum vibravit, arcum
ſuum tetendit, & paravit illum.

℞. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque* Pſal. 50.
in ira tua corripias me; ſed miſerere mei, ſecun-
dum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum
multitudinem miſerationum tuarum dele iniqui-
tatem meam. Tibi ſoli peccavi, & malum coram
te feci. Tuam ego indigniſſimus bonitatem of- *Continuatio doloris ex amore Dei.*
fendiſſe me doleo; quia infinita eſt, omniúm-

que veneratione atque amore digniſſima. e
quâ, tanquam fonte, tua fluxit miſeratio, qu
mihi aliiſque ignoviſti hactenus; illa manav
divina atque immenſa charitas, quâ filium no
bis pater, filius ſanguinem vitámque impendi
O mi Deus, etiamſi neque cœlum, neque in
fernus eſſet, quo præmia bonis, pœnas mal
rependeres: tamen illa inexhauſta bonitas tu
quâ excellis ſuper omnia, & in te ſolo eminei
tiſſimè complecteris univerſa, Dominus
princeps omnium; illa inexplicabilis charit
tua, quâ humanâ naturâ aſſumptâ, tam horrei
da pro aliorum ſalute perpeſſus es, ſola ac ju
ſtiſſima ratio eſt, te ſuper omnia amandi,
deteſtandi ex animo quidquid tibi diſplice
faciendi quidquid placet. Te igitur, ô De
meus, ô ſummum unicúmque bonum, ô am
meus, Rex meus & omnia, te ex intimis medu
lis cordis mei veneror, adoro, amplector, d
ligo, & omne peccatum, quod tibi adverſatu
execror ac deteſtor. atque utinam omniu
poſſibilium creaturarum affectus poſſibiles
te amandum poſſem convertere, & quidqu
hactenus neglectum eſt, dignis expiare lacr
mis, atque ardentiſſimo amore, conſtantiſ
mâque obſervatione perfectiſſimæ volunta
tuæ explere! Cupio Domine; *Juravi, & ſta*
cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Tu tantùm *nè m*
mineris iniquitatum noſtrarum antiquarum,
cò anticipent nos miſericordiæ tuæ. Ne permi
obſecro, ut merita dilecti filii tui in me ſint i
rita, ſed *ſanguis ejus me emundet ab omnibus pe*
catis meis, per ſerium dolorem & Confeſſi
ne

Propoſitum emendationis, & petitio auxilii Dei.
Pſ. 118.
Pſal. 78.

nem expiatis, & robur ac gratiam tribuat, ut in æternum à tuo amore non divellar, te ubique ſpectem ac præſentem viva fide amplectar. Ita deſidero, ac ſtatuo coram oculis divinæ majeſtatis tuæ, me prius electurum mortem, quam ullum deinceps peccatum gravius, deliberatâ mente admiſſurum. Et ſi humanâ fragilitate victus laberer, non quieturum me ante, nec una quidem nocte (nimium ob moram & contemptum divinæ tuæ indignationis periculoſâ) quin ſerio dolore excitato, te Deum meum ſupplex deprecer, & pro viribus placare coner, proximámque confitendi peccati occaſionem arripiam. O mi Deus, ſuſcipe, & confirma hanc voluntatem meam.

DISTICHON MEMORIALE

Corporis eſt animæque lues ſcelus (2) omnis ab illo
Pœna hominis manat (3) ſuppliciumque Dei.

MEDITATIO IV. DIEI II.

De peccato veniali, ejuſque gravitate.

VERITAS. Peccatum veniale Deum graviter in ſuis amicis offendit, ut ſuæ majeſtati, ſanctitati, bonitati & juſtitiæ adverſarium, ideóque (2) Dei favorem, conjunctionem, dona ac præmia minuit, & ad lethalem noxam viam ſternit. Denique (3) graviſſimis in hac & altera vita pœnis plectitur.

ORATIO communis.

PRÆLUD. I. *Propone tibi Adamum inter lab... res muſcis inſectiſque crebris vexatum.*

PRÆLUD. II. *Pete gratiam agnoſcendi & dev... tandi.*

I. PUNCTUM.

POſtquam ex vita anteacta multitudine peccatorum venialium, non ſolum con... miſſione; ſed omiſsione etiam & negligenti... ſubreptione & ignorantia admiſſorum, tibi u... cunque ante oculos ſtatueris, tanquam rati... nem ſupremo Judici daturus: *de omni enim ve... bo otioſo* (ut alia taceam) *quod locuti fuerint h... mines, rationem reddent in die judicii*; cogita, ... iſtic velut innumeris catenis vinctum, ad pc... nam depoſci, ob Dei offenſi juſtam indign... tionem.

Matt. 12.

Peccatum veniale etiã adverſatur majeſtati, ſanctitati, bonitati & juſtitiæ divinæ.

Cùm enim ipſe ſuprema ſit majeſtas, omne... meretur reverentiam & honorem; cùm infir... ta ſit puritas ac ſanctitas, nullam poteſt tol... rare labem atque impuritatem; cùm ſit rect... tudo & bonitas immenſa, averſatur omne... malitiam; cùm juſtitia incorruptibilis, o... nem punit iniquitatem. Unde impoſsibilis ... homini plena cum Deo conciliatio, quamd... vel minima peccati labe tenetur; quòd imp... cabili adverſus omne peccatum odio ferat... Veniale delictum alapa eſt, ſpinea corona, fl... gellum, quæ Servatori noſtro inflicta ſunt; ... lethiferum eſt crux & lancea Chriſtum oc... dens. Jam qui ſummum Regem, cui ſervi... tenetur, alapis flagelliſque exciperet, qua... obſec...

Comparatur injuriis Chriſto mortem non inferẽtibus, ſed tamen gravibus.

bſecro cum illo poſſet ſperare conciliatio-
em?

Eſt itaque gravis admodum injuria, cui abo-
:ndæ totus mundus non ſufficeret, etiamſi ad
xtremum judicii diem inferorum tormenta
ıbiret. nec ſancti omnes, nec Angeli, nec ipſa
)ei Mater ad eadem ſe ſupplicia offerentes,
ivinæ Majeſtati, per unicum verbum otioſum
eſæ, poſſent ſatisfacere. Et ſi alterutrum ſu-
:inendum, ut vel hi interirent omnes, vel Deus
eniali delicto offenderetur, illud centies eſſet
ræeligendum. Quocirca pœnæ omnes, op-
robria, interitus, infernus ipſe, ab omnibus
otiùs creaturis perferendus eſſet, quàm vel
ninima venialis noxa admitteretur. illa enim
ine infinitæ majeſtatis offenſa; hæc abſque il-
ius læſione admitti non poteſt.

Totus mundus pro tali noxa abolenda non ſufficit.

AFFECTUS. O abominabile monſtrum peccati, quod
n minimis etiam Dei offenſionibus tam grave, & into-
erabile eſt; ut neque ullis humanis viribus, doloribúſque
ıc tormentis ſit expiabile: neque Deus placari cuipiam
poſſit, niſi ab hoc per Chriſti merita & ſanguinem con-
:iliato! Utinam totus hæc mundus magis ſeriò expende-
et, atque intelligeret, quid ſit, vel in minimo Deum ver-
o offendiſſe! certè non tam parvi delictum ejuſmodi
aceret, neque ludens ſæpe, ac citra ullam conſcientiæ
:uram aut remorſum perpetraret. O mi Deus, quomodo
ımare te dignè potero, aut à te amari, niſi prorſus tam in-
viſum tibi malum in vita ac moribus fuero deteſtatus!
Illumina, Domine, tenebras meas, ut agnoſcam quæ tibi
diſpliceant, & *ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*,
ut deteſter quæcunque tibi diſplicent, & in omnibus actio-
nibus amplectar quidquid divinæ tuæ voluntati placere
cognoſcam. *Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat,*
quod propter te non amat. Illos igitur N.N. ſermones, il-
las conſuetudines N.N. quibus toties offendo, illas re-

Deteſtatio peccati venialis ob gravitatem humanis viribus inexpiabilem.

Pſal. 17.
Pſal. 50.
D. Aug.

culas N.N. quibus nimium adhæreſco, propter te deſeram, ô Deus meus.

II. PUNCTUM.

Peccati venialis gravitas ex damnis ingentibus patet.

Conſidera, quanta quámque ingentia peccatum veniale damna adferat. Licet enim hoc peccatum gratiam prorſus non auferat ab anima peccantis; tamen velut macula in veſte candida, velut lepra in cute, divinis oculis diſplicet & abominabile eſt; ut jure offenſus indignetur, præſertim quando, *in multis offendimus omnes.* Et quamvis Dei amicitiam non penitus diſſolvat, tamen intimam conjunctionem familiaritatémque cum Deo impedit, affigens animum creaturis. ideóque divinos favores & ſingularia dona avertit, guſtúmque & voluptatem in divinis pietatis & virtutum exercitiis intercipit, obſcurat intellectum, & affectum minuit, ac, velut ægritudo, ſenſim ad mortem diſponit. Nam *qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Unde, *mens Deo dicata ſic cavet minora vitia, ut majora. Quid intereſt enim, ſi fluctu magno, an guttis plurimis per ſentinam mergaris?* Accedit quòd plerúmque peccata hæc, ut palàm magis, & ſine rubore committuntur, ita gravioris frequentioríſque ſcandali & offendiculi cauſa apud proximũ ſint, autoritatem tollant, & contemptibilem reddant hominem. ita exempli gratiâ, *in multiloquio non deerit peccatũ.*

Iac. 3. v. 2.

Diſponit ſenſim ad lapſus mortales.

Eccli. 19.

D. Bern. de Ord. vitæ ad Frat.

Prov. 10. v. 19.

Præterea optimum gratiæ tempus malè prodigit, quíque ad majorem Dei gloriam, multa præclarè facere, & ſua poterat in cœlo augere præmia, ac poſt ingentem in hac vita collectum meritorum theſaurum, inter ſanctos Dei ami

Gratiam & gloriam prodigit.

nicóſque intimos in omnem æternitatem
enſeri; hic occaſionem nullo auro ævóque re-
imendam, quâ præ tot mortalibus, à Deo ne-
lectis, fruitus eſt, tam ſtultè ſibi elabi eſt paſ-
ıs, illúmque, quem demereri ſibi mille ratio-
ibus, & ſuaviſſimè devincire Deum poterat,
tiam offendit. Angelum bonum contriſtavit,
cclesiam auxilio pietatis ſpoliavit, proximum
etardavit.

AFFECTUS. O Domine, quàm fèlix & laudata eorum oram Deo & hominibus vita eſt, qui, ut Zacharias & E-ſabeth, *ante Deum incedunt in omnibus mandatis, & uſtificationibus Domini ſine querela!* Tales pacificam in erris vitam, lætam ſemper conſcientiam, Deum amicum & beneficum, Angelos applaudentes, homines faentes habent, omníque cœleſti benedictione replentur. Quis mihi hoc tribuat, ut eorum de numero ſim, qui tibi, Deus & amor meus, ita hìc ſtudent placere, ut æternùm placeant, ità glorificare in terris, ut tecum æternùm glorificentur in cœlis. O quantum bonum eſt, ta vixiſſe! quanta verò inſania, quod factum eſſe optes ac velis, occaſione nunc oblatâ, ipſo opere non ıggredi! Quantus ille in hora mortis dolor tuus futurus eſt, quòd te videris neglexiſſe in tempore, quo frui poteras in æternitate! An ignoras etiam, quòd, *qui amat periculum, peribit in illo?* Quid eſt, quod te retardat, niſi voluntas propria, cùm tamen *voluntas Dei ſit ſanctificatio noſtra*, cui toties repugnamus, quoties per delicta etiam venialia ab illa diſcedimus? Quomodo dicere ex animo poſſumus, *fiat voluntas tua*, quando illi ita frequenter ac temerè adverſamur? quomodo profitemur nos Deum diligere, quem toties offendimus? O quàm grave judicium nobis imminet, qui ſæpe obſervatu facillima, ſine cura, ſine conſcientia, ſine numero præterimus! O Domine, doce me facere voluntatem tuam, & illa quæ tibi placita ſunt majori ſtudio ſectari, illa pietatis officia N.N. quæ ex debito, aut ultro etiam ſuſcepi, attentè devotéq; exſolvere, ne ſim *quaſi homo qui tentet Deum.*

Luc. 1. 6. *Aſpiratio ad vitæ inculpatæ puritatem.*

Eccli. 3. 27. *Deteſtatio voluntatis propriæ.*

III. PUNCTUM.

Peccati venialis gravitas, ex pœnis inflictis cognoſcitur
Gen. 19.

CONſidera; Quot quantáſque Deus pœnas delictis venialibus, tam in hac, quàm altera vita infligat. S. literæ his exemplis plenæ ſunt. Uxor Loth à Sodomorum igne per Angelum Dei ſingulari divinæ providentiæ favore educta, & reluctans penè extracta, juſſáque egrediens non reſpicere; cùm naturæ propenſione victa, ad caram ſibi patriam vertiſſet oculos (quantilla res) in ſtatuam ſalis eſt commutata. Quid profuit, ità educi ab ignibus, ſi ſic debuit perire: niſi quòd exemplò docere nos Deus vellet, quàm graviter leviculam etiam mandatorum prætergreſſionē caſtigaret. Quis non obſtupeſcat? Loth ebrio & inceſtuoſo Deus parcit: uxori reſpectanti non parcit! Moyſes qualis quantúſque Dei amicus, quot ornatus privilegiis, quot donis cumulatus, quantum ceteris Iſraelitis prælatus, quàm diuturnus & ſedulus Dei ſervus, aut filius potius, qui facie ad faciem cum Deo loquebatur; verùm ubi apud aquas contradictionis hæſitâſſet, licet obſequutus voci Dei, tamen ipſe cum Aarone terrâ promiſſionis, tot annis, laboribus, ſuſpiriiſque quæſitâ, in ultionem, excluſus eſt. Quantillus error Bethſamitarum, qui admirabilem Dei arcam, de qua tam ſingularia auxilia in populum Iſraëliticum noverant profecta, aviditate ſpectandi ſolum intuentur, & ſeptuaginta illorum millia, cum populi Principibus, repentinâ morte concidunt! Oza ad eandem arcam, caſu nutantem periclitantémque, ut ſuſtineret, manum extendit; ſed quòd profano

1. Reg. 6.

2. Reg. 6.

profano non liceret tangere, morte ſubitaneâ temeritatem luit. Saul inter tot millia Iſraëlitici populi delectus, poſtquam devictis Amalecitis, quos funditus evertere juſſus erat, reſervâſſet cum Rege Agag meliora pecora, ut Domino immolaret, ratus optima Domino rectè ſervari, projectus à Deo eſt, & pro Rege inunctus David, quòd *melior eſſet obedientia, quàm victima.* Sed & David, *vir ſecundùm cor Dei,* ob numeratum tantummodo populum, graviſſimâ toto regno peſte caſtigatur, quâ ſeptuaginta virorum millia ſublata ſunt. Propheta adJeroboam àDeo miſſus, juſſúſque redire impranſus, cum Regis menſam ſubterfugiſſet, ab alio tamen Propheta, fingente, ſe à Deo monitum, ut paſceret, divertit; idcóque à leone in via oppreſſus periit. Ananias & Saphira, quod non omnia bona ſua detuliſſent ad pedes Apoſtolorum, quæ licebat retinere univerſa, ob ſolum mendacium improviſa morte fulminantur. Hæc aliáque delicta cùm ità in præſenti vita, & ſtatu illo, qui miſericordiæ eſt, plectantur, quid futurum credimus in vita altera, ubi ex juſtitiæ divinæ rigore ſententia fertur? ubi de ſervo nequam in carcerem projecto dicitur: *non exibit inde, donec ſolvat noviſſimum quadrantem*?

1. Reg. 15.

2. Reg. 24.

3. Reg. 13.

Act. 5.

Matt. 5.

Purgatorii ignis horrendis pœnis leviſſimi etiã errores purgantur.

Nimirum, uti Deus æternum præparavit ignem in unico etiam mortali peccato morienti, eúmque talem, cui nullæ hujus mundi pœnæ queant comparari; ita & temporarium, quo venialia delicta purgentur; ut licèt ſanctiſſimi quique, uno etiam verbo otioſo inquinati,

diſceſſerint, hi purgatorias haſce pœnas nequeant evadere; quia *nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.* & *oculi Dei puri ſunt, qui reſpicere ad iniquitatem non poſſunt.* Quare, cùm Apoſtolus monuiſſet quoſdam *ſuper fundamentum* fidei *ædificare aurum, argentum, & lapides pretioſos*: alios *ligna, fœnum, & ſtipulas*: ſubjicit: *uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. ſi cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit mercedem accipiet: ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.* unde Auguſtinus: *illo*, ait, *tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus, non capitalia, ſed minuta peccata purgantur.* Quis hunc rigorem juſtitiæ divinæ, ità in gratiſſimos ſibi amicos, ob leves defectus (quanquam leve non eſt, quidquid Deum offendit) ſeverè animadvertentis, non admiretur, & perhorreſcat!

Apoc. 21. Habac. 1. 1. Cor. 3. Ser. 41. de Sanct.

AFFECTUS. O Domine, *quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Et quis etiam eſt, qui te poſſit arguere, infinitè non minùs miſericordem, quàm juſtum; nec minùs pium, quàm ſeverum, & ſuper omnia ſapientem, & bonum. Noſtra hæc culpa eſt, qui cum tuæ ſimus creaturæ, tôt præventæ, & ornatæ beneficiis, talem tamen tantúmque Dominum non veremur offendere, in cujus oculis verſamur, cujus portamur in manibus, in quo, & per quem ſunt omnia, *in quo vivimus, movemur, & ſumus.* Si terreni Regis faciem ſputo fædare, & colaphis cædere graviſſimum ſcelus haberi debeat, præſertim ſi à ſervo, omne obſequium debente, perpetretur; quantæ res impudentiæ eſt, his non leviora in oculis divinæ majeſtatis perpetrare? & quæ poterit huic pœna ſat digna reponi? O quanta ſolicitudine vita nobis in conſpectu tuo jure eſt tranſigenda, nè tanto opprobrio & periculo noſtro Deum offendamus! ô mi Deus: *Manè aſtabo tibi, & videbo: quoniam*

Pſal. 89. *Horror offenſæ divinæ etiam in culpis levioribus.* Act. 17. *Neglectus divinæ præſentiæ minimè levis.*

niam non Deus volens iniquitatem tu es. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem : perdes omnes qui loquuntur mendacium. Domine deduc me in juſtitia tua, dirige in conſpectu tuo viam meam : ne in leviſſimis etiam delictis, verborum ac cogitationis, te Deum meum, omni honore & amore digniſſimum, offendam : aut dignâ expiem hic pœnitentiâ, ſiquid ex fragilitate humanâ commiſſum fuerit. Te tantùm, nè *in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me,* ſed in miſericordia & miſerationibus : ut omnem filium, quem amas etiam caſtigas. Pſal. 5. *Deſiderium vitæ purioris.* Pſal. 6.

COLLOQUIUM *cum deteſtatione peccati venialis.*

„ Cogita tibi à Deo illud, quod olim Abrahamo, dici: *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Et hoc proponi mandatum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima, & ex omnibus viribus tuis.* Simulque Davidicum illud ingeri: *qui diligitis Dominum, odite malum.* Gen. 17. Matt. 22. Pſal. 96.

℞. Agnoſco, ô Domine, digniſſimum eſſe te, qui non tantùm honoreris ab omnibus, ſed in omnibus, verbis, cogitationibus, & actionibus noſtris, cùm enim in univerſis ita à te dependeat homo: ut *nec ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis* : tibi jure tanquam principio & fonti omnium, omnia debentur. Cúmque omnè bonum in nos à te ſummo atque infinito bono derivetur, nec ulla nobis creatura, ſine te, prodeſſe poſſit quicquam, per te verò ad omnem uſum ſerviat, ita, ut nobis ſis omnia in omnibus, obligatiſſimi tibi ſumus, ac tenemur ex toto corde, atque animâ te ſpectare, amplecti, ac diligere in univerſis; &, ſi te verè diligi- *Digniſſimus Deus qui per omnia ab omnibus honoretur.* 2. Cor. 3. *Agnitio obligationis Deum ſemper amandi.*

Matt. 26. diligimus, odiſſe malum, quod deteſtaris. Sed, eheu Domine, *ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* nimis verum experior, quia *in multis offendimus omnes.* multa ex ignorantia, multa indeliberatè, & per cupiditatem abſtracti committimus. *Non igitur intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Nemo ſuâ in juſtitiâ confidere poterit: quando etiam *ſepties in die cadit juſtus, & reſurgit:* quod cadit, humanæ infirmitatis eſt, quod reſurgit divinæ poteſtatis. Fac itaque, ut quantocyus, ſi cecidero fragilitate mea, tua bonitate reſurgam. Qui enim nihil poſſum ex me, *omnia poſſim in eo, qui me confortat.* Deteſtor atque execror ex animo omne illud, quidquid te Deum ſummum bonum meum poteſt offendere, quia immenſæ majeſtati divinæque bonitati tuæ tantopere adverſatur, ut tam grave erga illud odium concipias, & in dilectis etiam filiis tuis unicum hoc graviſſimè averſeris ac punias. Confirma me Domine adjutor fortis, & hoc unum te amanti largire adverſus omne peccatum odium, ut mori potius malim, quàm illud, qualecúnque demum ſit, admittere. O ſi tuâ fretus gratiâ hos N. N. quotidianos errores, & magis mihi uſitatos lapſus vitare queam! has omiſſiones, & negligentias N. N. corrigere! ô mi Deus concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas in omni tempore.

Confeſſio imbecillitatis, & auxilii divini imploratio.

Pſ. 142.

Phil. 4. 13.

Pſ. 118.

O beatiſſima Dei Mater Virgo ac Domina Patrona mea, quæ ab omni labe peccati remotiſſima,

tiſſima, fontem ipſum puritatis ac ſanctitatis Deum Salvatorem meum caſtiſſimis tuis viſceribus ſuſcepiſti, ideóque ſummo horrore omne etiam leviſſimum peccatum deteſtaris, impetra quæſo mihi, per merita dilectiſsimi filii tui Jeſu Chriſti, per illum divinum amorem, quo ille in te, & tu in illo puritatem tantam tenerrimè amaſti; ut ad peccati omnis deteſtationem ſummo tecum horrore inciter, & ſancto iſto puritatis amore tecum vehementer accendar. Noſti, ô ſuaviſsima Patrona, fragilitatem meam: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Pſal. 50. Sed tu ſi pro me, apud dilectum filium tuum, qui nihil tibi negare poteſt, interceſſeris, facilè impetrabis, ut *cor mundum creet in me Deus, & ſpiritum rectum innovet in viſceribus meis.* O mitiſsima Domina, nihil aliud à te peto, quàm ut interceſſione tua, à peccatis, quæ tu ſummè cum filio tuo averſaris, liber eſſe poſsim, & in puritate conſcientiæ, quâ ſummè delectaris tibi tuóque filio placere. Non potes me repudiare, cum ſis mater miſericordiæ, quæ es tam certum refugium omnium peccatorum, ut Bernardus ſervus tuus, confidenter dicat: *Sileat miſericordiam tuam, ô Virgo, qui te ſuis in neceſſitatibus invocatam, ſibi unquam meminerit defuiſſe.* Ser. 5. de Aſſumpt. Cupio, ô piiſsima Mater, dilecto filio tuo impoſterum, in omni animæ puritate placere, & ſcio hoc tibi gratum eſſe deſiderium meum, ac propter hoc implendum Deum in beatis viſceribus tuis incarna-

tum,

tum, in cruce mortuum, & ex morte, propria virtute, ſuſcitatum, ut nos ex morte peccatorum erueret. Exaudi me igitur, & *in omni tribulatione & anguſtia noſtra, ſuccurre nobis beatiſſima Virgo Maria.* Per te acceſſum habeamus ad filium, ut per filium habeamus ad patrem.

Vos denique, ô puriſsimæ mentes Angelicæ, quos nulla unquam labes ſcelerum aſperſit, ſupplex appello. Teque inprimis, Cuſtos mi ſanctiſsime, nolite permittere, ut prævaleat adverſum me inimicus Diabolus, hoſtis Dei & veſter, & puritatis omnis: méque in tot peccandi occaſionibus quibus hæc vitâ plena eſt, rurſum præcipitet. Qui, cùm *tanquam leo circumiens quærat quem devoret*; quomodo ſtabo contra illum firmus tutúſque niſi veſtro præſidio defendar? Succurrite igitur, ô ſancti Angeli Dei, & cavete, ne ille Dei & veſter juratus adverſarius, unquam me ſuperato, potentior ad me perdendum, quàm vos ad ſervandum exiſtat, adeóque de me & vobis ſuperbè triumphet. Offerte obſecro has preces & hoc deſiderium meum, ô ſancti omnes, glorioſi Diaboli victores, ante thronum, in conſpectu Dei mei, ut illi, per me in omni vobiſcum puritate viventem, ſit gloria in ſecula ſeculorum.

DISTICHON MEMORIALE.

Noxa levis gravis ante Deum eſt (2) minuitque favoris
Dona, ſtygémque aperit (3) plectitur hic & ibi.

JACULA-

JACULATORIÆ PRECES ET ASPIRATIONES PER DIEM CREBRIUS, IN VIA purgativa iterandæ.

O Miſericordiſſime Deus, per merita Jeſu Chriſti dilecti filii tui, *lava me ab omni iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Pſal. 50.

O *Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Fac ô mi Deus, ut ex animo omne peccatum deteſter. Pſal. 37.

Tu ſcis, ô Deus meus, quia *iniquitatem odio habui, & abominatus ſum, legem autem tuam dilexi.* Pſal. 118.

O quam doleo ex toto corde meo, quòd per peccata mea odium tuum promeritus ſim, teque offenderim Deum meum! propterea *lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Pſal. 6.

Convertere Domine & eripe animam meam, ſalvam me fac propter miſericordiam tuam. Ib.

Agnoſco, ô Deus meus graviſſima delicta mea. Verùm ô *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ib.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Pſal. 50.

Non avertas faciem tuam à me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. Pſal. 101.

Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Miſerere mei, quia ſperavi in te, *nam apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Pſal. 129.

Converte nos Deus ſalutaris noſter, & averte iram tuam à nobis. Nunquid in æternum iraſceris nobis, aut extendis iram tuam à generatione in generationem? Pſal. 84.

O Domine, *cognoſce ſemitas meas, & vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna.* Pſal. 138.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte? Ier. 9.

Lætifica animam ſervi tui, quia ad te Domine animam meam levavi. Pſal. 85.

OBSER-

OBSERVATIO AD LECTOREM.

Cum dies hic ſecundus de gravitate peccatorum, pœnisque à Deo Angelis & hominibus inflictis tractet, operæ precium erit, ſi hoc tempore meditaturus, ſe quoque ad integram illorum Confeſſionem, per accuratũ Conſcientiæ examen diſponat, quod vel generatim de tota vita, vel à Confeſſione alia generali ritè peracta inſtituere poterit. Ita quidem, ut cùm volens ſciens nullum gravius peccatum omiſerit, nimium ſolicitè peccatis universè recolendis non adhæreat: cùm anxia hac diſquiſitione, præcipuus Meditationum fructus impediatur, qui hìc in verâ peccatorum omnium, & vitæ anteactæ deteſtatione, cum propoſito emendationis vitæ futuræ, conſiſtit. Ad quod impetrandum inprimis faciet Noviſſimorum hominis, quæ in tertia Die exhibetur, conſideratio. Ubi ad verum de peccatis dolorem variis anima cogitationibus & affectibus excitatur. Poterit his etiam Meditationibus, ſeu legendo, ſeu conſiderando adjungi Meditatio de filio Prodigo, *dolori ex amore Dei excitando idonea, quam ad calcem octavæ Diei ſubjeci.* Confeſſionis *rectè inſtituendæ* Ratio, *ante primæ Diei initium exhibetur. quâ tertia denique Die peracta, & ſacra ſynaxi ſumpta, expedit acquieſcere, neque ſcrupuloſè amplius de peccatis fortè omiſſis inquirere, cùm etiam occulta nobis, per verum dolorẽ & ſacramentalem abſolutionem remiſſa eſſe, dubitari non poſſit. Totus deinde animus ad cogitationes de vita ſeriò conſtantérque emendanda eſt transferendus.*

DIES III.



stote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Mat. 5 c.

DIES III. EXERCITIORUM.

De conſideratione Noviſſimorum hominis.

CUm ad deteſtationem ſcelerum, & firmum emendandæ vitæ propoſitum, inprimis facere ſoleat Noviſſimorum hominis conſideratio, monente Syracide:
Eccli. 7. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*: Ideóque & Joannes Baptiſta pœnitentiam prædicans, hoc argumento uſus ſit: *facite fructum dignum pœnitentiæ:*
Matt. 3. *omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*: & Chriſtus ipſe ſic orſus prædicationem, dicente Evangeliſta: cœpit Jeſus prædi-
Matt. 4. care, & dicere: *pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*; jure D. IGNATIUS, poſt conſiderationem peccatorum, Meditationem de pœnis Inferni, in Exercitio quinto ſubjecit; monuítque ſub hujus finem, conſultò facturum, qui de Morte, Judicio, aliiſque peccati pœnis, cùm ad profectum expedire viſum ſit, adjecerit. Cujus nos conſilium ſecuti, breviter de ſingulis commentati ſumus.

MEDIT. I

Diei III. MEDITATIO I.

De Morte.

VERITAS. Moriendum omnibus, nemine, nec Chriſto quidem excepto; idque ſemel tantùm ad æternitatem tranſeundo. Mors verò, ut certa eſt omnium, ita tempore, loco, modóque incerta. (2) cogitandum nunc, quid quiſque in morte factum velit, quo animo ſenſúque præterita, præſentia, & futura tunc ſibi propoſiturus ſit, præſertim ſi malè vixerit, (3) ſi verò benè exacta vita, quanto animi ſolatio ad æternitatem, unde nullus reditus, ſit tranſiturus.

ORATIO PRÆPARATORIA cõmunis.

PRÆLUDIUM I. *Statue tibi ante oculos illud tempus, quod aliquando, & fortè propediem, habiturus in morte es ultimum, & ſi vera ſit Chriſti ſententia,* quâ hora minimè putabis, *aderit, finge jam adeſſe, ut quæ cogitaturus, facturúſque ſis, expendas.*

PRÆLUDIUM II. *Ora, ut ex conſideratione prævia finis, & mortis tibi imminentis, gratiam tè dignè ad illam diſponendi impetres.*

I. PUNCTUM.

In mundo ut theatro verſamur; brevi perſonam in morte depoſituri.

Heb. 9.

COnſidera, quòd Deus te in hanc vitam, tanquam in theatrum & ſcenam quandam emiſerit, ut perſonam tuam in morte rurſum deponeres. Quæ licèt perſona ab aliis diutius, ab aliis brevius ſuſtineatur, deponenda ab omnibus eſt, ſive Rex ille, ſive ruſticus fuerit. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Omnibus*, inquam, ne quiſquam ſpem evadendi habere poſſit: nemine, nec divite, nec principe, nec Chriſto quidem ipſo excepto. Deus hac lege homo factus eſt, ut moreretur. Hoc ſolatium pauperes, contempti, afflicti habent, quòd parem cum locupletibus, honoratis, omníque voluptate affluentibus exitum ſortiantur. In morte utrique coguntur deſerere omnia; nil aurum, nil dignitas, nil potentia nil amici, nil medici, nil ſcientia, auxilii adferent. Corpus non minùs hi vermibus, quàm illi relicturi ſunt: animam Angelis, aut Dæmonibus. Sola illic virtus, ut fides & ſpes Deo charitas ex toto corde Deo proximíſque impenſa, ad cœlum felici animæ viam aperient: & ſi his deſtituatur, æternùm infelix futura eſt.

In quâ omnia mundi & corporis bona deſerentur, ſola animi virtus adhærebit.

Semel tantum hæc alea mortis ſubitur. Nec ſi erres, licet corrigere.

Expende prætereà, quòd dicatur *Semel mori* quemlibet. Non enim *bis* licet: ut corrigere mortem infelicem quis poſſit. Semel igitur in morte jacitur alea de æternitate totâ, vel miſerrimâ & calamitoſiſſimâ; vel beatiſſimâ & glorioſiſſimâ. Putáſne, ſi bis liceret, atque experimentum illius habere diſcriminis, quiſquam eſſet, qui damnationem illam infeliciſſimam non omni ſtudio ſubterfugeret? Quid verò

verò nunc eſt, quòd non magis Divinæ & infallibili veritati, quàm tuæ debeas experientiæ credere? Nihil certius, *quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ*, cujus felicitas à morte pendet, *ſemel omnibus* obeunda; hujus verò felix exitus à bona vita. Nunc igitur tibi ſtatuendum eſt, ex præſentis vitæ tuæ rationibus, quâ morte mori velis, quâ æternitate frui. Bene mori vis? bene vive. *Non poteſt malè mori, qui bene vixerit.*

Eccl. 12. 5.

Qualis vita, talis mors eſſe ſolet.

Aug. de diſc. Chriſt c. 12.

Verùm ne differ in horas. Nam quod denique hoc loco expendendum, quàm certa mors eſt, tam illius horam incertam eſſe Deus voluit, unde monet Servator noſter: *Eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Circumſpice (ſiquam habes ætatem) & plures ex notis hìc illícque, ubi nec tu, nec illi putabant, mors eoſdem occupavit; quod illis factum, tibi noveris eventurum. Nec diem, nec locum, nec modum tuæ mortis nôſti. Veniet tibi, aſſerente Chriſto; ſicut *fur in nocte*: ut ſtulto illi, qui dicebat animæ: *habes multa bona repoſita in annos plurimos*; ſed inſperatò audiit: *ſtulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ paraſti, cujus erunt?* Balthaſari Regi inter epulas, mortis ſententia ſcribitur: Siſaræ quieſcenti caput à muliere transverberatur: centum octoginta quinque hominum millia Angelus in caſtris Sennacherib unâ nocte tollit. Nihil certius incertâ morte. Unde tam ſedulò monet Chriſtus: *vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.* Tria hæc frequenter mente volvenda ſunt. *Semel* tibi, & *certò*, ſed *incerto* lo-

Matt. 5.

Mors certa, ſed tempus locus, modus incerta.

Luc. 12. 19.

4. Reg. 19.

Matt. 25. 13.

Bern. Med. c. 3. co, modo, ac tempore mors obeunda eſt. *Quoniam* igitur *ubique te mors exſpectat, tu quoque ſi ſapiens fueris, ubique eam exſpectabis.* Quomodo verò exſpectanda? Eccli. 5. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* c. 30. 24. Quocirca: *miſerere animæ tuæ, placens Deo*, avulſus à nimio amore mundi, carnis & amicorum, quæ univerſa in morte te deſtituent.

Agnitio fragilis vitæ Eccli 14. AFFECTUS. Agnoſco, ô Domine, &, tot exemplis ante oculos poſitis, certiſſimum eſſe diſco: tam certam omnium eſſe mortem, quàm horam incertam. *Teſtamentum enim hujus mundi; morte morieris.* Scio, quia *veniet dies Domini tanquam fur de nocte.* Iſa. 14. 11. Non fallit, qui dixit: *ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Hæc videlicet hereditas illius eſt corporis, quod tam delicatè nunc foveo: Sap. 9. 15. illi *corpori, quod corrumpitur, & aggravat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantem*, ut volupe aliquando ſit, animam perdo: ut honoretur, animam contemno: ut nutriatur, animam deſtituo. *Metus malæ mortis bonâ vitâ tollendus.* O quid in illo conſtitutus termino dicturus ſum, quando ingentibus preſſus doloribus, anima divelletur à corpore, mundo, amicis, & ab omnibus mortalis boni cõmodis, intelligetque, quàm hæc vana ſint univerſa, quàm utilia animæ in æternitatis vaſtiſſimã abyſſum proſpicienti! quando videbit, peractâ hujus vitæ brevi ſcenâ, perſonam deponendam eſſe, 2. Cor. 5. *ut referat unuſquiſque prout geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum.* Quidquid eſt, quod eo me tempore feciſſe cupiam, hoc omnino jam nunc faciendum eſt. *Propoſitum emendationis.* quia hoc ſolum, quod præſens eſt tempus, certum eſt, illo Deus jubet vigilare, & niſi audiero, hæc omnino tonitrua formidanda ſunt Judicis tui. Prov. 1. 24. *Vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Gratiæ tibi, ô Deus meus, quòd hac nondum in me ſententiâ, licet jamdiu meritum, fulminaveris; ſed tempus hoc mihi

mihi ad pœnitentiam & emendationem largitus ſis. Hanc igitur jam nunc in vita aggrediar, nè in morte fruſtra requiram. Ipſam hanc horam non patiar mihi eripi, cum quidquid illam ſequitur incertum ſit. Tu, ô Domine, perfice in me propoſitum, quod cœpiſti. Ne momentum amplius labatur, quod tuo honori non impendam.

II. PUNCTUM.

Conſidera, quis tibi ſenſus in morte futurus ſit de præterita vita tua, de præſenti ſtatu tuo, de futura denique æternitate, niſi piè ſanctéque vixeris. Nam quò *vita præterita* majori in voluptate, aut honore & abundantiâ tranſacta fuerit, tantò graviori affligeris dolore, quòd hæc jam ſint deſerenda, tantò etiam pluribus conſcientia peccatis turbabitur; & cum gemitu repetet: *circumdederunt me dolores mortis, torrentes iniquitatis conturbaverunt me, dolores inferni circumdederunt me.* Pretioſum illud atque unicum vitæ meæ tempus, quod ad Dei gloriam, ad ſalutem animæ meæ, ad æternam felicitatem meam, ingentibus meritis ac præmiis amplificandam mihi benigniſſimè à Deo conceſſum erat, hoc ſtultè neglexi ac prodegi, quin etiam ingratè ac perditè ad ſcelera multiplicanda, augendámque æternam ignominiam, ac pœnam meam converti. Ergóne tot ſalutis media fruſtra mihi Deus creator, & redemptor meus impendit? tot támque nobiles creaturas, mihi ad ſuum obſequium uſurpandas, fruſtra condidit? fruſtra ipſe homo factus, pro mea ſalute ſanguinem fudit, & tot ſalubria Eccleſiæ Sacramenta inſtituit? Hæc videlicet mihi perierunt univerſa, quando his omnibus neglectis, meæ cupiditati potiùs, quàm

Senſus & cogitationes in morte occurſuræ: in vita præmeditandæ ſunt.

Pſal. 17. 5.

Diſſolutam vitam mors ſequitur anxia.

quàm divinæ voluntati morem geſſi. At nunc, quò me vertam in *præſenti ſtatu* meo, quando in ſimili Antiochus Rex *orabat ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus?* Quod modò à mundo, à carne, ab arte, aut ſcientia, à voluptate, ab amicis auxilium ſperare poſſum? ab his non ſolùm deſertus, ſed etiam deceptus ac proditus ſum hoſti. Jam *ſi futura* intuear, ſto in oſtio æternitatis, accuſandus ab angelis, & conſcientia: ac de tempore malè perdito, juſto Dei judicio judicandus. O quis qualíſque te hìc exſpectat eventus! *ſi juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Hæc igitur, ô anima mea, ſi cogitatura tunc es, quando ſtabis in termino voluptatis tuæ, quam ex omni peccato percepiſti; ſtabis etiam in termino virtutum ac pœnitentiæ, cùm tempus non erit amplius; quin agis, & modò, quando adhuc tempus pœnitendi ſuppetit, expendis, & ſic demum incipis vivere, ut mori deſideras.

2.Mach. 9. 13.

1.Pet. 4.

Deteſtatio noxia ſecuritatis vivendi per quam pœnitentia dilata eſt.

Affectus. Vah nimiam ſecuritatem meam, qui hactenus ità vivo, ut ſi non eſſem moriturus: ita perituris ſervio, ut ſi non eſſem deſerturus. quando adeò brevicula & penè momentanea eſt vita hæc noſtra cum æternitate futurâ compoſita! Quoties ejuſmodi inſpirationes piæ ad vitæ emendationem me impulerunt, monita ſacrorum librorum, aut concionum me à torpore & peccatis revocarunt; ad virtutem excitàrunt, & nunquam ſeriam converſionem impetràrunt, plurimúmque temporis, ad ſalutem conceſſi, in otio aut futilibus occupationibus conſumptum eſt! Ah, quid demum, cùm mors inſtabit acturus es, quando ingenti dolore corpus oppreſſum erit, & majori fortè conſcientiâ: quando præteritorum tibi ſcelerum, & neglectæ toties divinæ gratiæ

Timor mortis dura ac perplexa.

imago obverſabitur, horrenda terrebit Judicis ſententia, graviſſima imminebit ante conſpectum pœnarum æternitas? Quanto tunc ſenſu vitam damnabis exactam! quàm velles ad correctionem ſeriam tempus aliud indulgeri! quàm optares jacturam temporis gratiæque vel mille cruciatibus te poſſe redimere! Eja age, & quod vitæ reliquum eſt, quod Deus etiamnum benevolè, licèt prodigo hactenus filio, indulſit, hoc nec horâ quidem unicâ perge negligere: *Memor eſto, quoniam mors non tardat, & teſtamentum inferorum, quia demonſtratum eſt tibi. Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Ante obitum tuum operare juſtitiam.* Ita Domine, ita cupio, ita ſtatuo, damnata ſit omnis mora, quæ me à tuo ſervitio diſtinebit, & omnis hora pereat, quæ tuæ gloriæ, meæque ſaluti non impendetur. Aut æternùm ardendum erit, aut nunc pœnitendum. *Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Vivens vivens, ô Domine, ipſe confitebitur tibi: ſicut & ego hodie.*

Propoſitum ſeriæ emendationis.

Eccli. 14. v. 12. 14. & 17.

Aug. Ser. 57. de Temp.

III. PUNCTUM.

COnſidera, quàm parum horribilis, imò etiam, quàm optabilis & exſpectata mors piorum futura ſit. Si *præterita* inſpicient, non retinebit illos ſuis irretitum vinculis, quidquid à carne & mundo eſt; quia jam dudum terrenarum voluptas rerum, præ deſiderio cœleſtium deſipuit: potiùs gaudebunt laborum tentationúmque ſuarum inſtare finem, & vitæ cum virtute tranſactæ imminere præmia. uti laudatiſſimus ille quondam athleta exultabat, qui lætus concinebat, *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona gloriæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus.* Magnum bonæ vitæ conſcientiæque argumentum, adventum Chriſti diligere. Sed ut diligas,

Mors probis optabilis.

2. Timot. 4.

gas, ante certandum eſt. *nemo* enim *coronatur, niſi qui legitimè certaverit.* Hæc eadem perpetuis mandare chartis, & memoriæ omnium inſcribere Angelus ille Apocalypticus voluit, qui Joanni dicebat: *ſcribe; beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis; opera enim illorum ſequuntur illos.* Si afflictus fuit, ſi morbis, ſi propriis cupiditatibus oppugnatus: en afflictionis & pugnæ terminum, victoriarum etiam præmium. Quod ſi quandoque victus ſuccubuit, ſi lapſus Deum conſcientiámque offendit: en culparum, & offenſionis divinæ finem. mors, ut carnem ſubiget, ita cupiditatem extinguet. Si verò præſentem juſtus in morte dolorem ſpectet, longè minus patitur: tum quia volens patitur, divinæque voluntati acquieſcit; tum etiam, quia his pœnis ſe gaudet expiare poſſe, ſiquid ex vita anteacta luendum ſuperſit: tum quia ſpes vitæ melioris & gaudiorum ſequentium facilè præſentem dolorem mitigat, ſolatio *futurorum*: quando cum David ſuſpirat: *quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini!* Nam ſi ad præparatam in cœlis gloriam illam, tam ſublimem eximiámque intendat animum, *quam oculus non vidit, nec in cor hominis aſcendit*, qualis hinc quantáque lætitia affluet! ubi copia indefectibilis, honor incorruptibilis, voluptas pura, gaudium liquidum, vita immortalis, Deus omnia in omnibus, tantúmque bonum ſperatur, quantum poteſt eſſe infinitum. Ejuſmodi mors, non tam mors, quàm migratio

Apoc. 14. 13.

Juſtorum mors dolorem mitigat.

Pſal. 83.

Migratio potius ad vitam quàm mors dicenda.

io ad vitam dicenda. Verè, *juſtorum animæ in manu Dei ſunt; viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.* Lætantur igitur tali morte. *Si juſtus penitus interiret, atque in nihilum abiret, mœrendum ac dolendum eſſet; ſin autem ad quietum & placitum defertur portum, non lacrymis, ſed lætitiæ hic locus eſt. Etenim hæc non mors, ſed migratio ac domicilii mutatio, à deterioribus ad meliora, à terra ad cœlum, ab hominibus ad Angelos, & ad ipſum Dominum Angelorum transfert.* Sap. 3. v. 1. Chryſoſt. Epiſt. ad viduam Iun. tom. 5.

AFFECTUS. *Vtinam moriatur anima mea morte juſtorum, & noviſſima mea fiant horum ſimilia!* hoc unicum votum ac deſiderium meum eſt; ſed cùm hoc impiorum etiam ſit, qui vitâ ſuâ vivere, & morte piorum mori deſiderant: tu, ô Domine, piè vivendi in me deſiderium excita: cùm vitâ quoque juſtorum vivendum illi ſit, qui morte illorum defungi cupit. Gratias tibi immortales debeo, quòd adhuc præſens mihi tempus ad pœnitendum, vitámque rectius inſtituendam largitus ſis, poſtquam ſæpius, & tamdiu indulto mihi ex tua benignitate tempore abuſus ſum. O miſericordiſſime Deus: ſentio has mihi à te voces identidem ingeri. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Breve illud tibi adhuc ſupereſt: *poſthac tempus non erit amplius.* Scio Domine, ſcio, quia, *breves dies hominis ſunt, & numerus menſium ejus apud te eſt; conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Putáſne mortuus homo rurſum vivet?* Ita planè, credo quia vivet, Domine: neque fallere nos poteſt tam manifeſta tua veritas. *Cunctis* igitur *diebus, quibus nunc milito, exſpecto, donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram,* deducendo me in via mandatorum tuorum, per quam Angelo ſancto comite, & te duce, incedam, donec vita hac mortali feliciter defunctus, tecum vivam in æternum.

Num. 23. v. 10. *Votum bene moriendi cum deſiderio piè vivendi.* 2. Cor. 6. Iob. 14. v. 5. *Spes vitæ futuræ.* v. 14.

COLLO-

COLLOQUIUM *cum emendationis* PROPOSITO.

Puta illam te audire Dei increpationem,
Deut. 23. v. 28. „ *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. uti-*
„ *nam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima*
1. Cor. 7. „ *providerent.* Nam velociſſimè *præterit figu-*
Pſal. 75. v. 6. „ *ra hujus mundi.* Centena jam millia *dormie-*
„ *runt ſomnum ſuum, & nihil omnes viri divitia-*
Pſ. 115. „ *rum invenerunt in manibus ſuis*; contrà, *pre-*
„ *tioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.*
Pſ. 126. „ *Cùm* enim *dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce he-*
„ *reditas Domini filii merces.*

℞. Ita eſt, ô Domine, credo æternæ veritati tuæ. Intelligo, quantum ad evitanda ſcelera, & virtutem incitandam interſit, habere ante oculos mortem nobis imminentem, fideliter mo-
Eccli. 7. 40. nente Syracide: *in omnibus operibus memorare*
Memoria noviſſimorum ſalutaris. *noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* O ſi hoc feciſſem hactenus, quot quantíſque ſceleribus nec conſcientiam oneráſſem, nec Deum
Eccli. 41. v. 1. meum offendiſſem! Sed *ô mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis, viro quieto.* Quo magis omnia mihi ex divina bonitate ad votum affluxerunt, tantò Deo meo fui ingratior, & excluſa mortis recordatione, meis indulſi concupiſcentiis, ac creaturis, neglecto creatore, adhæſi. Verùm, *quid proderit, ſi univerſum mundum lucratus, animæ*
Matt. 16. 26. *meæ detrimentum patiar?* An non *vanitas vanitatum* eſt, quidquid præter ſalutis curam in mundo quæritur? quam breve, quam incertum & fallax hujus vitæ bonum eſt! velut avis, concitato volatu, in aëre omnia cum homine præte-

prætereunt; & ne veſtigium plerorúmque tot ante nos Majorum ſupereſt, qui nunc in æternitate perenni & nunquam finienda ſubſiſtunt, ſuâ, quam hìc coluerunt, virtute aut vitio æternùm, vel præmiandi, vel plectendi. Quod illi ſe in æternitate feciſſe vel dolent, vel gaudent; hoc ego, cur in præſenti tempore negligo? O Domine, aperi oculos meos ad tam diverſam proborum & improborum in morte ſortem, & emolli ferreum cor meum, ut illo nunc ſenſu de virtutis & vitii æſtimatione tangar, quem aliquando in morte percepturus ſum. Ne mihi illud ſerpentinum perſuaderi patiar: *nequaquam moriemini: toties tibi Deus, & tot aliis pepercit; iterum parcet. Mors nondum inſtat. Adhuc tempus pœnitendi eſt.* Nam hac una fraude Diabolus infernum hactenus implevit, mille hominum millia præcipitavit, & quomodo ſecurus eſſe poſſum? hoc longè certius: *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* Rom. 8. O Domine, ne tam infelici morte defungar, malo ex hoc momento, carni ejúſque cupiditatibus reſiſtere: nam *qui Jeſu Chriſti ſunt, crucifixerunt carnē cum vitiis & concupiſcentiis ſuis.* His illiſque vitiis N. N. obnuntio æternùm: ante millies moriar, quàm iterum labar, aut in illa etiam peccandi pericula N.N. me ingeram. Tibi, Domine, tibi impoſterum ex toto corde, in quotidianis precibus ritè peragendis, & operibus univerſis, ad meam ſalutem & tuam gloriam dirigendis, ſervire conabor. Succurre ô bone Jeſu, & per interceſſionem SS.mæ Matris tuæ, & omnium Sanctorum magis magiſque

Petitio luminis divini ad agnitionem futurorum.

que accende in me hoc deſiderium meum: ut tuus in vita ac morte eſſe poſſim.

DISTICHON MEMORIALE

O mors certa, incerta dies! (2) Quis ſenſus in hora Mortis erit? (3) quanti tunc erit eſſe probum!

MEDITATIO II. DIEI III.

De extremo judicio particulari & univerſali.

VERITAS. A morte ſtatim quilibet judicabitur, daturus rationem de univerſis bonis maliſque, cogitatis, verbis, & operibus. (2) Deinde ultimo mundi die palàm in oculis totius creaturæ manifeſtabuntur ſecreta omnia, ad improborum confuſionem; gloriam electorum, & æquitatem Dei Judicantis aperiendam. (3) Poſtremò ſententia improbis metuenda, probis optanda pronuntiabitur.

ORATIO PRÆPARATORIA uſitata.

PRÆLUDIUM I. *Conſtitue te ante Deum Judicem, primùm in illo momento, quando anima decedit à corpore. Deinde & in illo quando anima rurſum corpori juncta in valle Joſaphat ſtatuetur, in totius mundi oculis.*

PRÆLUDIUM II. *Pete gratiam agnoſcendi rigidiſſimi examinis rationem, & ſententiæ ſeveritatem. ut tanto meliori cura paratus accedas; ne ſemel rejectus, æternùm cadas.*

I. PUNCT

I. PUNCTUM.

CONſidera, te ſtatim à morte ante faciem Dei Judicis, jam non ex miſericordia amplius (cujus tempus cum vita finitum eſt) ſed æquitate ſola acturi, conſtituendum. *Statutum* enim *eſt hominibus ſemel mori, & poſt hoc judicium.* Quid hìc futurum? reſpondet ſapiens. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium. pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit.* Et Chriſtus ipſe exemplo rei minimæ, hujus judicii rigorem exponit: *Dico vobis, quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Cuncta, inquam, adducet: tibique, libro conſcientiæ aperto, totum anteactæ vitæ tempus, cũ omnibus facultatibus conceſſis, ita exponet, ut videas, quid actum, quid omiſſum, in verbis, cogitatis, operibus. O quantum hic temporis apparebit neglecti quantũ malè impenſi! quot gratiæ, & dona, tam corporis, quàm animi malè collocata! ſi cogitationes & verba ponderentur otioſa etiam, ah prope infinita! ſi peccata colligantur omnia, ah quantus horror & abominatio! ſi non tantùm propria, ſed etiam aliena, vel complicum, vel mihi commiſſorum, vel meo hortatu aut exemplo delinquentium peccata expendantur, quanta moles! Et ſi pro *omni errato* etiam *bono* reddenda ratio, ſi de ſe profitetur Deus: *cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo,* ſi bonorum operum intentio ac perfectio etiam ac hoc examen vocanda ſit, quis in aliquo tandem opere ſuo coram hoc judice ſecurè ſubſiſtet? Et ſi hæc cogitatio ſanctiſſimos

A morte judicabit Deus hominem ex rigore juſtitiæ.
Heb. 9. v. 27.
Ecclæ. 12. v. 14.
Matt. 12. v. 37.
Nihil indiſcuſſum manebit, nec otioſum quidem verbũ.
Et peccata aliena diſcutientur.
Pſal. 74. v. 3.
Et bonorum operum imperfectiones.

mos viros trepidatione concuſſit, cùm de ſingulis poſcendam rationem, pœnámque exigendam ſcirent: ego miſer peccator, vix de opere etiam bono rectè peracto ſecurus; quomodo ante hunc Judicem comparebo? Jobum trepidè fatentem audio: *verebar omnia opera mea ſciens, quòd non parceres delinquenti.* Et *quid faciam, cùm ſurrexerit ad judicandum Deus? & cum quæſierit, quid reſpondebo illi?* Si vir tantus tam Deo dilectus, anxiè trepidat: quo me indignum convertam? David hoc tam ſeverum Dei judicium etiam deprecatur: *Non intres,* ait *in judicium cum ſervo tuo Domine; quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Jure horret ſubire, ubi viventium neminem juſtificandum intelligit. Verùm fruſtra; quia *cuncta Deus adducet in judicium. Peccatori* enim *dixit Deus. Tu odiſti diſciplinam & projeciſti ſermones meos retrorſum, os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos; ſedens adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti, & tacui. Exiſtimáſti iniquè quòd ero tui ſimilis? arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.* Non poteris hunc Judicem ſubterfugere, quia poteſt omnia: nec in minimo fallere, quia novit omnia: nec quicquam impune deliquiſſe; quia ut bona remunerat, ita delicta hìc punit univerſa. Hoc infinitæ juſtitiæ tribunal eſt, & tribunal ultimum, quod nullam patitur exceptionem.

Job. 9. v. 28. c. 31. v. 14.

Sancti ad hoc judiciũ trepidant.

Pſ. 142. v. 3.

Pſ. 49. v. 16.

Deus omniſcius omnia in medium producet.

AFFECTUS

AFFECTUS. O hora metuenda, hora funeſta, & horrenda, quam tamen effugere & declinare non potero! hora fortè brevi ſubeunda! O *Anguſtia! hinc erunt accuſantia peccata, indè terrens juſtitia; ſubtus patens horridum chaos inferni; deſuper iratus Iudex; intus urens conſcientia. Et ſi juſtus vix ſalvabitur, peccator ſic depreſſus in quam partem ſe premet conſtrictus? Vbi latebo, ubi apparebo? latere erit impoſſibile, apparere intolerabile. Quid dormitas anima tepida, & digna evomi? qui non experiſcitur, qui non tremit ad tantum tonitruum, non dormit, ſed mortuus eſt.* O Domine, quò me vertam, quid nunc agam, ut mitigare queam hoc rigidum judicium tuum, ut *cum veneris judicare, nolis me condemnare?* Intelligo Apoſtolum tuum mihi reſpondere, *ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Quare frequenti examine conſcientiam meam diſcutiam, deteſtabor, deplorabo, & corrigam peccata mea. adverſus memetipſum exercebo judicium, confitebor delicta mea, jejuniis, ciliciis, orationibus pœnam infligam. Tu etiam ô Domine, hìc potius ure & ſeca, ut in æternum parcas. Quidquid à Te mihi adverſi illatum fuerit, tanquam à medicâ manu tua, vulnera mea ſanantis, lubenter admittam.

Timor judicii particularis.

S. Anſel. apud Bonav. Phar. l. 3. c. 49.

1. Cor. 11. v. 31.

Propoſitum examinandi conſcientiã, & ſe caſtigandi.

II. PUNCTUM.

CONſidera, quemadmodum Deus hoc privato judicio acquieturus non ſit, ſed producturus omnia, tam mala, quàm bona noſtra in apertum, publicum, atque univerſale judicium. *Sedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis.* Tum ut magis confundat improbos, qui in ſceleribus ſuis latebras ſectati ſunt; & ut probos, virtutibus illorum manifeſtatis, honoret; tum ut judicii ſui æquitatem Angelis hominibúſque manifeſtet, in conſpectu omnis creaturæ intelligibilis expoſiturus facta omnium, ac de-

In fine mundi publicè etiam Deus omnes judicaturus eſt, ut probos honoret, confundat improbos, & ſuam æquitatem declaret.

eis dicturus ſententiam. quando inſcrutabile hactenus viæ & judicia Dei patebunt omnibus. Expende, quale hoc judicium futurum ſit, quantóque apparatu inſtituendum ſit ſpectaculum ſpectaculorum omnium graviſſimi, ubi de rebus hucuſque occultiſſimis, de cogitatis, verbis, factíſque & neglectis univerſorum hominum, de vita & morte, de ſalute aut damnatione æterna, velut in ſpeculo clariſſimè collectímque omnia ſingulis repræſentante, i patebunt univerſa, ut nec minimum cogitatum ultimi cerdonis latere queat. Quid enim ſcienti omnia, & potenti impoſſibile ſit proponere? Qualis, obſecro, hæc confuſio cujuſque futura eſt peccatoris, quando in Christi, D. Virginis & SS. oculis, in notorum juxta & ignotorum conſpectu, occultæ ipſius intentiones, fraudes, conſilia, proditiones, libidines, & quæcunque altiſſimis niſus eſt latebris ac tenebris recondere, propalam, & in luce tam hoſtium, quàm amicorum facinora exprobrantium inſultantiúmque malevolo hominiexponentur! Tam ingens, coram Deo hominibúſque, támque ſenſibilis hæc erit confuſio, ut & ſeipſos horreant, & quo ſe recondant miſeri, locum reperturi non ſint; ideoque, *montibus operite nos, & collibus, cadite ſuper nos*, deſperatis vocibus acclamaturi. Ad hoc igitur judicium omnes temere in hoc mundo judicantes proximum ſuum, & velut Dei munus ante tempus occupantes, Paulus jubet reſpicere. *Nolite*, ait, *ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui judicabit abſcondita tenebr*

Ingens hæc erit confuſio improborum.

Iudicium humanum fallax, non divinum.

1. Cor. 4. v. 5.

tenebrarũ, & manifeſtabit conſilia cordium. Aliud erit judiciũ, quàm hìc in mundo erga graviſſimorum ſcelerũ reos, per equuleos, rotáſque & diſtorſiones membrorum omnium, per uncos crucéſque & ignes propoſitos exercetur. Et tamen quàm hoc multis terribile! Hìc de pœna unius alteriúſve horæ, aut etiam diei non agitur, nec de infamia inter paucos homines, aut ſeculum unum terminanda; ſed de ignominia, opprobrio, tormentíſque æternis. *Sicut*, ait Deus, *exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* ideóque & Paulus in tot carceribus & judicum terrenorum quæſtionibus exercitatus; *mihi* inquit, *pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum; qui autem judicat me, Dominus eſt.* Hoc judicium erit, ad quod cœlum terráque repentè commovebitur, ac contremiſcet. *Adveniet dies Domini ſicut fur, in quo cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur.* Ad hoc judicium omnes de cœlo Angeli, de terra homines judicandi confluent. Tunc *mittet Deus Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabit electos à quatuor ventis.* Tunc videbis *magnos & puſillos ſtantes ante thronum Dei, & libri aperientur, & iudicabuntur mortui ſecundum opera ipſorum, & qui non invenietur in libro vitæ, mittetur in ſtagnum ignis.*

Humani judicii brevis pœna, levis infamia, non divini.

Iſa. 55.

1. Cor. 4.

Horribile Dei judiciũ omnia commovebit in cœlo & terra.

2. Petr. 3.

Matt. 24. 31.

Apoc. 12.

AFFECTUS. *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis,*

liginis, dies tubæ & clangoris, &c. Quando in igne Sophon. 1. *zeli ejus devorabitur omnis terra.* Quam ſalutare Chriſti monitum eſt! *attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis* Luc. 21. *hujus mundi, & ſuperveniat in vos repentina dies illa.* O ſi cum Hieronymo: ſive comedam, ſive bibam, ſive aliud quicquam agam, ſemper vox illa auribus meis inſonare videatur: *ſurgite mortui, & venite ad judicium! Væ enim mihi miſero, cùm venerit dies judicii, & aperti fuerint libri conſcientiarum, cùm dicetur de me: Ecce homo, & opera ejus. Quid faciam tunc, Domine Deus meus, cùm cœli revelabunt iniquitatem meam, & adverſum me terra conſurget? Ecce nihil reſpondere potero; ſed demiſſo capite, præ confuſione, coram te ſtabo trepidus & confuſus. Heu me miſerum! quid dicam? clamabo ad te Domine Deus meus:* Miſerere me Domine, dum adhuc tempus miſerendi eſt, & *ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Ne mea quæſo reſerves peccata, ad illum diem iræ ſupremi Judicis; quando *ardens erit furor ejus, & gravis ad portandum: labia ejus repleta erunt indignatione, & lingua ejus, quaſi ignis devorans: ſpiritus ejus, velut torrens inundans, ad perdendas gentes in nihilum.* O Domine, contere nunc durum cor meum, & oculos ſolve in lacrymas pœnitentiæ: *Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui.* Et quia per ſingulos te dies offendo, *lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* His atque illis pœnitentiæ operibus N.N. ſedulò inſiſtam. melius enim eſt lugere & dolere modicè in tempore, quàm immensùm in æternitate.

Timor judicii univerſalis. Auguſt. Med. c. 39. Iſa 30. v. 27. *Pœnitentiæ votum.* Pſ. 118.

III. PUNCTUM.

Horror & lamentatio improborũ in hoc judicio. Gaudiũ & exultatio proborum.

CONſidera, quale diſcrimen in hoc judicio futurum ſit proborum & improborum, dum illi exſpectatione cœleſtis gloriæ ad ultimam anhelabunt Judicis ſententiam: hi ſcelerum convicti, terrore æternarum pœnarum jam imminentium, attoniti perculsíque, in Judici

dicis conſpectu apparebunt. *Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Hi verò videntes turbabuntur timore horribili, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritûs gementes; hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo erravimus à via veritatis. Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra.* Videbunt hinc cœlos apertos, & gloriam ejus inenarrabilem beatis paratam: inde verò occurret oculis animíſque *Tophet,* abyſſus pœnarum, *præparata, profunda, & dilatata, cuius nutrimenta ignis & ligna multa flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Quàm hæc diverſa conſideratione electis & reprobis objicientur: dum illi tantam ſe calamitatem effugere, tantam felicitatem ſubire jam mox poſſe intelligent; hi omnia ad ſuam perniciem inſtructa cognoſcent! Vide nunc, atque expende ſedulò, inter quos aliquando futurus ſis. quod ex præſenti magis vita tua, quàm futura, quæ incerta eſt, poteris arbitrari. Illud in animo certiſſimũ ſæpius revolve. *Ecce dies venit ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi & facientes impietatem ſtipula: & inflammabit eos dies veniens; & orietur vobis timentibus eum ſol iuſtitiæ, & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento, & calcabitis impios, cùm fuerint*

[Margin: Sap. 5. — Iſ. 30. v. 33. — *Cœlum & infernus patens.* — Malach. 4.]

rint cinis ſub planta pedum veſtrorum. Dic, obſecro, ſi hoc momento talis, qualis nunc es, ſtares in hoc judicio, inter quos te futurum conſideres? Putáſne meliorem te ſtaturum, niſi jam nunc te emendes? O infelix impiorum dies, & felix piorum! *omnem creaturam armabit Deus ad ultionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Ipſe Judex vultu terribili inter fulmineas nubes metuendus eiſdem in ſede Majeſtatis ſuæ comparebit. Contrà his, qui Chriſtum ſecuti ſunt Judex amabilis & tanquam frater futurus eſt: quibus, poſtquam à reprobis ſeparati fuerint, blando vultu verbíſque hanc dicet ſententiam: *venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Nimirum, *innocens manibus, & mundo corde, hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* Hæc autem benedictio eſt, quæ omne bonum adfert, omne malum avertit. Ad quam conſternati mali, cùm ſe excluſos viderint, pluſquam Eſau, paternâ benedictione privatus, clamore magno irrugient; ſed ad hos iratus Judex voce vultúque horribili converſus exclamabit: *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & Angelis eius. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.* ô voces ſupra tonitrua & fulmina terribiles! diſcedite à me patre veſtro, creatore, Deo, fonte omnis boni, à vultu, in quem deſiderant Angeli proſpicere, à facie, ſolo aſpectu beatificante, ab omni amore ac beneficiis meis, quibus eſtis indigni, ab hereditate & regno

Sap. 5.

Judex aliis terribilis, aliis amabilis.

Mat. 25. v. 3.

Pſ. 23. v. 4.

Sententia alios fulminans, alios beans.

gno

no vobis cum Angelis præparato: maledicti n bonis externis, internisque omnibus, corporis & animæ, ſenſibus, potentiiſque univerſis, pro quibus fruſtra ego in carne maledictum actus ſum, ut vos benedictione implerem. nunc igitur diſcedite in ignem æternum. Non præparavi vobis aliquot dierum, annorum, aut ſeculorum pœnam, ſed æternam. non mollem in ſtramine carcerem, non ſolubilia vincula, ſed ignem intima viſcera, in horribili carcere comburentem & ardores ſempiternos. Quæ tunc vox miſeris, quis ſenſus, quæ cogitatio futura eſt? Quò ſe vertent, quando omnis præter Deum creatura in horum damnatorum execrationem & tormenta conſpirabunt, & ſibimetipſis adeò execrabiles futuri ſunt, ut ſe præ rabie ac deſperatione lacerare, perdere, annihilare velint, & non poterunt? Horum igitur ſocietatem qui volent olim vitare in tam formidabili judicio: nunc etiam in terris vitent in quovis flagitio, & omne opus ita peragant, tanquam rationem Deo præſenti reddituri.

AFFECTUS ET COLLOQUIUM. *Magna & mirabilia* Apoc. 15.
ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens, juſta & vera v. 3.
ſunt viæ tuæ Rex omnium ſeculorum. Quis non timebit te, *Admiratio*
& magnificabit nomen tuum, quoniam judicia tua mani- *judiciorum*
feſta ſunt? Quàm terribilia judicia tua Domine, quæ in *Dei.*
extremum illum diem reſervâſti! Nunc igitur, *judica me* Pſal. 42.
Domine. & diſcerne cauſam meam, de gente non ſancta, ab homine iniquo & doloſo eripe me. In hoc tempore miſericordiæ tuæ corrige me, & *doce me facere juſtificationes tuas: à judiciis enim tuis timui. Loquere* nunc *Domine, quia audit ſervus tuus:* in extremo enim judicio ad improbos *loqueris in ira tua, & in furore tuo conturbabis eos.* Pſ. 2. v. 5.
Fac ut hìc meipſum judicem, agnoſcam, & plangam peccata

Pſal. 18. cata mea. *ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.*

O Domine, quàm diverſus ille judiciorum tuorum exitus, quo de tuis creaturis immutabili decreto, irrevocabili ſententia ſtatuis, *venite benedicti*, & *diſcedite à me maledicti!* quàm illis optanda, amanda, læta; his abominanda, fugienda, triſtia nuntias! illos æternùm, te videre atque omne poſſidere bonum jubes; hos ardere ſempiternis ignibus, atque interminabili abyſſo malorum abſorberi mandas. Et tamen utrique creaturæ tuæ ſunt, quibus animum, ſenſum, vitam, omnia bona tribuiſti, tanquam benignus pater hactenus. Nôſti, quàm fragiles creaturæ fuerint, quando etiam Apoſtolus tuus queritur: *non quod volo bonum, facio; ſed quod nolo malum* Quid ergo eſt, quòd tam horrenda irâ in illas deſævias? quia inquis, Prov. 1. 26. *vocavi & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum: ego quoque in interitu veſtro ridebo.*

Deſiderium ſerviendi Deo. O mi Deus, fac igitur, ut vocem tuam, in ſacris libris, in concionibus, in divinis inſpirationibus tuis agnoſcam, & non ſolùm mandata tua, quæ gravia non ſunt, verùm etiam conſilia libenter audiam, & pro ſtatûs mei conditione, ac viribus datis expleam: divinam etiam manum tuam, quam ſæpe in hoc mundo ad plectenda ſcelera extendis, tanquam corrigentem, & ad emendationem provocantem, aſpiciam, atque exoſculer; ut in extremo die te placare queam judicem meum. O Salvator, *cùm veneris judicare, noli me condemnare.* Ecce, ab hoc

hoc momento emendationem, in his illiſque delictis ac defectibus meis N. N. quibus te ſæpius offendi juro ac promitto His impoſterum precibus, ac pietatis operibus N. N. conſtanter inſiſtam. Quod, ut impetrem Domine, fac ut ſonent nunc ſæpius illæ voces tuæ in auribus meis: *venite benedicti*; *diſcedite maledicti.* Nec permitte me unquam ſeparari à te, donec in æternum videam te, & cum omnibus ſanctis glorificem te, Deum meum, benedictum in ſecula.

DISTICHON MEMORIALE

Iudicium fatale ſubit, (2) ſecreta patebunt
Omnia, (3) clareſcent ira, favorque Dei.

MEDITATIO III. DIEI III.

De Inferno. reſpondens quinto Exercitio S. IGNATII.

VERITAS. Horrenda inferni pœna omnia hujus mundi excogitabilia ſupplicia vincit, ſenſus & membra corporis ſingula pervadens. (2) Animam quoque, ejuſque potentias univerſas immenſùm cruciatura. (3) Verùm ſola æternitas eſt, quæ inter hæc omnem ſuppliciorum atrocitatem longè ſuperat.

ORATIO PRÆPARATORIA communis.

PRÆLUDIUM I. *Imaginare te, dehiſcente velut in Ætna monte, terrâ, locum damnatorum in ejus centro, tanquam in camino ſuccenſo, contemplari, & eſto cum illis, qui deſcendunt in infernum viventes, ne periclitentur morientes.*

PRÆLUDIUM II. *Pete à Deo gratiam intimè cognoſcendi harum pœnarum gravitatem: ut ſi minus amore Dei, ſaltem terrore horum ſuppliciorum à peccato abſtraharis.*

I. PUNCTUM.

Horrenda infernalis ignis tormenta, non magis concipi animo poſſunt, quàm cœli gaudia.

Conſidera, quam horrenda inferni pœna omnes corporis ſenſus afflictura ſit. Nam ſicut Deus in beatis potentiam & divitias gloriæ ſuæ oſtenſurus, talia in cœlis præparavit, quæ *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt*; ita contra in damnatis potentiam iræ & gravitatem pœnarum tantam accumulare voluit, quantam nec oculus vidit, nec auris audivit. ut non immeritò David aſſerat: *quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* (Pſ. 89.) Quare Doctores Chriſtiani ſentiunt, quod ſicut major gloria in cœlo ultimi beati, qui à baptiſmo ſtatim cœlum ſubiit, futura eſt, quàm ſi omnis hujus vitæ felicitates voluptates & gaudia, excluſo omni mœrore, cumularentur; ita majorem infimi damnati, qui ob unicum ſolum peccatum lethiferum periit, pœnam fore, quàm ſi omnis hujus mundi, tam morborum, quàm martyrum

rum tormenta, omni ſolatio excluſo, in unum hominem per ſingula ipſius membra congererentur. Deo enim conſtitutum eſt in utriſque ſuprema experiri, in beatis gaudia, in damnatis ſupplicia. ut attonitus Iſaias Propheta exclamet: *quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit de vobis cum ardoribus ſempiternis*? Et ſanè omni momento homo mortalis in illis totus præ dolore abſumeretur, niſi Deus in corpore immortali vim ſentiendi patiendique infinita ſua potentia confirmaſſet, & intendiſſet. Nam cum hoſtes Dei graviſſimi & implacabiles damnati futuri ſint, poteſtatem iræ ſuæ in illos non minus, quàm gratiæ in amicos profundet. ut ex illorum calamitatis abyſſo, horum gloriæ altitudo & redemptionis beneficium tantò clarius elucescat. Cumque offenſa infinitæ majeſtatis ſit peccatum, pœna etiam quodam modo erit infinita, quæ ex juſtitiæ divinæ rigore hìc citra miſericordiam eſt exigenda, quanquam adhuc infra condignum, quòd abſolutè ſua intenſione non ſit infinita.

Minima illic tormenta, maxima hujus mundi vincunt.

Iſa. 33.

Propone igitur ſenſibus quidquid potes malorum fingere, & nondum aſſequeris. torquebuntur oculi horrore loci tetro ac truculento igne inflammati horribili Dæmonum atque hoſtium illic etiam inſultantium dilaniantiumque ſpecie. ut bufonum, ſerpentum & draconum ſe lacerantium, quam illo tam abominabili conſortio ſtipari mallent. Nam *mittentur in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Sed nec auditus

Singuli ſenſus pœnas ferent inexplicabiles.

Marc. 9.

hic

hic aliud præter execrationes horrendas in Deum, ſanctos, creaturas omnes, maledictiones ſuipſius & ſociorum, triſtiſſimos ejulatus, deſperatiſſimoſque ululatus percipiet. *Erit illic fletus & ſtridor dentium.* Odoratus intolerando loci, ignis, corporum fœtore, *in ſtagno ardenti igne ac ſulphure,* replebitur. Guſtus velut felle plenus, ſiti ac fame acerrima, torquebitur. nam *famem patientur ut canes,* & *dives epulo,* fruſtra guttam pro refrigerio in æternum deſiderabit, nunquam aſſequetur. Jam verò tactus, toto diffuſus corpore, ut in hac vita molliora ubique ſectatur, ita illic atrociſſimis per membra ſingula pœnis, atque illa inprimis, quibus plus peccatum eſt, affligetur. Quia *paleas comburet igne inextinguibili.* Et reprobi *ibunt in ſupplicium æternum.* Quæſo te igitur expende, ſi Deus hoc terreno igne, & inter ipſa alimenta fugiente ac diſſipato, ita tamen corpora noſtra torquet, ut ferendo non ſint, & vix quiſquam carbonem vivum in manu, aut digitum in flamma candelæ immotum ſuſtineat; caro etiam præ dolore diffluat: quid illi futurum eſt, ubi & *ignis ſuccenſus, ut caminus,* & tam ipſe immortalis concluſuſque, quàm noſtra erunt corpora? ubi æternum immutabiléque ſupplicium, & tale, quale *nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcendit.* Quid illi mollicelli homines, & ad quemvis hìc dolorem queruli facturi ſunt? quò ſe vertent, qui in lecto triduum inſomne vix hìc æquo animo ſuſtinerent? quid facient, qui ut ferrum in fornace ignea ſuccenſi, ardebunt tanquam fax

Apoc. 21.

Luc. 16.

Matt. 3.

Malach. 4.

viva, incredibilibus tormentis, ſine ſolatio, ſine remiſſione, ſine ſpe evadendi immerſi, horrendúmque ſibimet ſpectaculum futuri ſunt?

AFFECTUS. O furor, atque inſania humani generis, in tanto diſcrimine conſtituti, & tamen adhuc peccantis! an certa adeò atque explorata, quin ab ipſis etiam ethnicis cognita, peccatorum ſupplicia nondum poſſunt horrorem toties mihi delinquenti incutere? Quid times, quid perhorreſcis, ô anima mea, ſi ad hæc pericula & tormenta, fortè ad proximum peccatum, vel dilatam ultra hoc momentum ſeriam pœnitentiam interminata non trepidas? *Cogita profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem ſplendore, vermium genus venenum immittens, ac carnem vorans, inexplebiliter edens, intolerabiles dolores corroſione ipſa infigens.* Exclama cum Bernardo, *contremiſco à dentibus beſtiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad eſcam: horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum & vaporem & ſulphur, ſpiritum procellarum; horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & ſtridorem dentium?* ut quidquid ad tam horribile præcipitium ducit, deteſter, execrer, fugiam æternùm. Ita cupio ſtatuóque ex hoc momento. ante millies moriar, quam volens offendam Deum meum.

Horror peccati ex horrore ſuppliciorum.

Baſil. in Pſal. 31.

Serm. 16. in Cant.

II. PUNCTUM.

CONſidera, quod anima, ut corpore nobilior, eique moderando præfecta fuit, per cujus liberam voluntatem peccatum & damnatio ſecuta eſt, maximis tormentis ſit excrucianda. Hic enim ignis *miris, ſed veris modis* in animas deſæviet, penetrabitque inexplicabili dolore ſpiritualem ipſius ſubſtantiam, omneſque ipſius facultates horribili pœna affliget. Phantaſia imaginibus terrificis monſtroſiſque plena, non minus apprehenſis, quam infligendis in omnem æternitatem

In animas hic ignis miris ſed veris modis deſævit.

Aug. de civ. l. 21. c. 20.

Singulæ potentiæ interiores cruciabuntur.

tem pœnis obruetur. Appetitus hic concupiſcibilis omnia nequicquam averſabitur, horrebit, fugiet: iraſcibilis irâ atque indignatione in Deum, in ſanctos, in damnatos, ſocios, in ſeipſum denique converſa rabie horrendum fremet ac ſæviet. mœrore, deſperatione, furore opprimetur. Memoria cùm præſenti calamitate præteritas componet voluptates ex peccatis acceptas, & deteſtabitur, tantillo, tam brevi, & inani gaudio, tam incomparabilem ſe incurriſſe dolorem. Cui ſi deinde illa accedet de perpetua interminabilique pœnarum ſucceſſione recordatio, heu! quo ſe convertet? Ratio ſive intellectus, quando cognoſcet, hec tanta ſupplicia, pœnitendo de peccatis, viamque virtutis, minus quam peccatorum difficilem, amplectendo, potuiſſe evadere, toties admonente conſcientiâ, toties ſtimulante Dei gratiâ, toties Deo beneficiis aliis provocante: idque tam exili tempore, quot quantiſque ſe accuſationibus non vellicabit & arguet! Denique ſi expendet tam ingentibus bonis, quibus æternùm beata cum ſanctis omnibus in cœlo frui poterat, tam levi prævaricatione ſeſe ſpoliatam, illo exutam regno, ubi liquidiſſimum ſine omni faſtidio gaudium, ſine dolore voluptas, ſummum ſine omni malo bonum: ubi tam felix ſocietas, tam jucunda ſatietas, tam inexhauſta beatitas; quantis ob hæc neglecta ſtimulis conſcientiæ fodicabitur! Vox Dei eſt: *Qui prævaricati ſunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Poſtremò videbit tot amicos inimicoſque, quoſqu

Pœna damni ingens.

Conſcientia atrox vermis.

Iſa. 66. 24.

ii

in mundo deſpexit, homines, illic lætos exſultare, ſuiſque cum Deo & Sanctis omnibus inſultare cervicibus, exprobare ſtultitiam, neglectum tempus & Dei gratiam: gaudere etiam de ignominia pœniſq; ſibi æternùm inflictis, & hæc in ſecuturam totam æternitatem præterea minari. Nam *lætabitur juſtus cũ viderit vindictã.* Pſal. 57.

Voluntas denique, ex his omnibus, tantum erga ſe, erga Deum, erga ſanctos, erga damnatos concipiet ex deſperatione odium, & indignationem, & vindictæ cupiditatem, ut univerſos perdere ſecum atque annihilare deſideret, furat, ſæviat, execretur, blaſphemet. atque iccirco etiam maxima rabie excandeſcat, quod irrito furore debacchetur: hinc planctus & ululatus implacabilis. *Væ vobis, qui ridetis nunc,* Christus exclamat, *quia lugebitis & flebitis.* *Deſperatio erit rabioſa.* Luc. 6.

AFFECTUS O quanta pœnarum congeries, ô moles non ferenda, & tamen ſuſtinenda! ô qualis calamitas tot malis obrui. Horror divinæ offenſæ, præcipuè ob ſeparationem animæ à Deo, bono infinito. Quanta acerbitas, vel à ſolo Deo (licet, ſine omni etiam ſenſibili pœna) hoc eſt, bono ſummo ſeparari! nam pœna ſenſus in damnatis, licet atrociſſima, nondum tamen omni ex parte infinita eſt; at pœna damni, quæ nos ſeparat à Deo noſtro, ad quem videndum fruendumque conditi ſumus, bono nos privat infinito. *Intolerabilis quidem res eſt gehenna, ſed tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus eſt quale eſt à beatæ illius gloriæ honore repelli.* Quin igitur exſurgis, ô anima mea cum univerſis potentiis, eaſque à rebus perituris abſtractas, uni hic Deo tuo, cum quo deſideras æternùm ſociari, ita hic obligas, ut nullo unquam crimine ab illo te divelli patiaris. Quin illud admittis Dei præceptum: *Diliges Dominum Deum ex toto corde, ex tota anima tua ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis:* quando alia non eſt ad infiniti illius *Horror divinæ offenſæ, præcipuè ob ſeparationem animæ à Deo, bono infinito.* Chryſoſt. hom. 24. in Matt. *Deſiderium amandi Deũ ſuper omnia.*

boni

boni poſſeſſionem via ; alius nullus ab inexhauſta pœnarum abyſſo exitus. Quid tam arduum eſt, quod non debeat, ac facilè poſſit, hoc intuitu ſuperari: quando ipſi de ſe queruntur impii : *ambulavimus vias difficiles, laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, viam autem Domini* (viam dilectionis) *ignoravimus ?* O Domine, ſubmitte, per gratiam tuam, divinæ legi tuæ indomitam phantaſiam, & appetitum meum : ſit memoria mea affixa tibi ubique præſenti, *cujus oculi contemplantur univerſam terram , & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum* : itáque devoto intellectu affectuque te hic complectar in terris, ut æternum videam complectarque indefectibili amore in cœlis. Cogitem ſemper, quàm brevis voluptas peccati ſit, quæ æternos hos pariat dolores, quàm ſolida voluptas ſit, tibi adhærere, ſummo bono, quæ æterna etiam voluptate in cœlo ſit compenſanda.

Sap. 5. v. 7.

2. Par. 16. v. 9.

III. PUNCTUM.

Inter pœnas varias terribiles ſola æternitas eſt terribiliſſima.

CONſidera, his quidem alias jungi pœnas, ut carceris abominandi anguſtias, hoſtium noſtrorum acerbiſſimam ſocietatem, & inſultationem, Dæmonum truculentam ſævitiam, quâ in ſubjecta ſibi corpora extremâ rabie graſſabuntur, ut qui aliter Chriſtum niſi in ſua imagine ulciſci nequeunt : Verùm unam æternitatem quæ has aliaſque pœnas non intolerabiles ſolum reddet, verùm & inevitabiles maximè formidandam , & terribilium omnium eſſe terribiliſſimam. Quid enim eſt æternitas ? Quæ hanc mens concipere, quæ exprimere lingua poterit ? Quàm hæc longa, quàm immenſa ! quando etiam , poſt congeſta tempora & ſecula univerſa , quæ, & homines , & angeli numerare poſſunt , nihil huic æternitati vel addere poſſum, vel demere ! Si Cain jam quater mille & amplius

amplius annis in flammis arſerit, tantundem
eſt, ac ſi hodie primùm has pœnas ordiretur,
& poſt centies centena annorum millia hoc in
rogo tranſacta, tantundem eſt futurum. tot annorum
myriades, quot ſunt in terra gramina,
in litore arenæ, in mari guttæ, in aëre atomi,
in arithmetica numeri, in ſole ſtelliſque radii
nondum facient inter pœnas jam inceptæ æternitatis
initium. nihil igitur quod numerabile
eſt æternitati poteſt comparari. Si poſt
mille annorum myriades, vel una gutta lacrymarum
ab uno damnatorum fuſa ſervaretur,
talis antè infernum, terram, aërem, cœloſque
omnes ſuis lacrymis ſubmergeret, quam æternitati
quicquam demeret. O quale beneficium
damnatis foret, vel tali fine pœnas tam horrendas
terminari! *Quærent mortem, & non invenient
eam; deſiderabunt mori, & mors fugiet ab
iis.* Non fallit, qui dixit: *ignis accenſus eſt in furore
meo, & ardebit, uſque ad inferni noviſſima.* Apoc. 9. v. 6. Deut. 32. v. 22.
non revocabit ſententiam immutabilis Judex:
diſcedite maledicti in ignem æternum. Nimirum
omnem, ſuper contemptores legis & autoritatis
ſuæ, furorem exeret: *congregabo*, ait, *ſuper
eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.* Hìc quivis
Dei hoſtis: *bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur
igne & ſulphure, in conſpectu Angelorum
ſanctorum, & fumus tormentorum eorum aſcendet
in ſecula ſeculorum.* Si ad mollem lectum
tota æternitate damnatus eſſes, aut carcerem,
ubi, *uſque in æternum, non videres lumen*, quo
hoc animo ſuſtineres? fac unius calculi, aut
podagræ dolorem tibi æternùm ferendum, Apoc. 14. v. 10. Pſal. 84.

quantùm ſub hoc onere ingemiſces? Jam pœnas tales tantaſque, quarum tantùm umbram ſupra deſcripſimus, quæque omnem à te excogitabilem dolorem vincunt, ut hora in his unica homini deſperatiſſimo ſeculum videri poſſit, quo animi deliquio, quo ſenſu miſeriarum accepturus es? O pœnarum æternitas! horrenda æternitas! immenſa, incredibilis, inexhauſta malorum omnium abyſſus æternitas! Quam verè piéque nos Servator hortatur. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſthac non habent amplius quid faciant* Luc. 16. v. 22. *Oſtendam autem vobis, quem timeatis: Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.* Et meritò. *Quis enim habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?*

Ier. 2. v. 12. *Inſania obſtupeſcenda eſt peccando æternitati pœnarum ſeſe exponere.*

Affectus. *Obſtupeſcite cœli, & portæ ejus deſolamini vehementer, dereliquerunt* homines *fontem aquæ vivæ* omni bono affluentem, & ſtagnum ignis & ſulphuris, ſtagnum omnium malorum, abyſſum æternæ calamitatis ſibi foderunt: *Scito, & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* O quam formidanda res eſt pœnarum æternitas! *Nunquid projiciet in æternum Deus, & non apponet ut complacitior ſit adhuc aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet?* Ah, quid egi, Deus meus, quando non cum David *annos æternos in mente habui*; ſed immemor Dei & ſalutis populum tam væcordem & furioſum peccando ſecutus ſum, meque in tantum de tota æternitate diſcrimen conjeci? Quomodo ſatis deprædicabo infinitas miſerationes tuas erga me qui toties peccanti peperciſti, etiam tunc, quando minus ſceleratos peccatores æternæ damnationis ſententia nunquam redimendos fulminaſti: *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo & glorificabo nomen tuum in æternum, quia miſericordia tua magna eſt ſuper me & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* O mitiſſime Deus! Deus meus, poſthac, *deduc me Domine in via tua, & ingredia*

Pſal. 85. *Miſericordia Dei inexplicabilis eſt peperciſſe peccanti.*

gredіar in veritate tua: ne in tale damnationis pericu- *fuga peccati.*
lum rurſus devolvar. Agnoſco, ô Deus meus, & fateor,
quia millies mori præſtat, & omnia hujus mundi mala
ſuſtinere, quàm vel ſemel æternæ illius tam horrendæ
ſententiæ & pœnæ diſcrimen ſubire. O quis ſenſus, quæ
confuſio, quæ deſperatio illorum, qui hoc neglecto pe-
riêre, ſeque jam ſempiternis iſtis ſuppliciis nunquam li-
berandos vident attineri. Quid ſi tu jam unus ex illis eſ-
ſes, qui parium, aut majorum etiam ſcelerum reus tene-
ris? quæ mens, quæ cogitatio, quæ anguſtia tua eſſet?
Quod verò non ſis, cujus eſt beneficium? nunquid tuo
ex merito, an ſolius Dei miſericordia obtines? An aude-
bis hanc amplius peccando aſpernari, & non formidare
tantæ ingratudinis ultionem? Ex nunc, Domine, *in æter-
num non obliviſcar juſtificationes tuas, quia in ipſis viviſi-
caſti me.* Pſ. 118, 93.

COLLOQUIUM.

O vos ſancti electi Dei, & cuſtodes Angeli *Invocatio ſanctorum ad impetrandum per illos à Deo verum ſenſum æternitatis quo extimuler.*
qui jam æternæ illius felicitatis poſſeſſores,
hanc æternæ damnationis abyſſum longè me-
liori ſenſu penetratis, & præ nobis intelligitis,
quid ſit illa vitæ cœleſtis beatitas, quid pœnæ
infernalis acerbitas, ideóque ſummo gaudio
exultatis *de uno etiam peccatore pœnitentiam a-
gente*, quod à tanta calamitate eductum, ſummi
illum apud vos boni capacem eſſe agnoſcitis,
adeſte obſecro, veſtriſque apud Deum inter-
ceſſionibus, hunc mihi de æternitate ſenſum in-
telligentiámque impetrate, quo ad omnis pec-
cati deteſtationem, fructúſque dignos pœni-
tentiæ in hac vita impellar. Tuque inprimis re-
gie Propheta David, fac ut illa mihi æternita-
tis ponderatio nunquam excidat, quam tunc
habuiſti cum caneres: *annos æternos in mente
habui: memor fui Dei & delectatus ſum.* Pſ. 76. 4.
Recogitam mecum ſæpius, quàm brevi vos labore &

 dolore

dolore hujus vitæ defuncti: nunc gaudeatis æternum, quàm brevi Judas aliique damnatorum gaudio ſcelerum ſuorum fruiti, nunc æternum lugeant, æternumque lugebunt. quam verè *momentaneum ſit, quod delectet, æternum quod cruciet*: Jam ante ſedecim & plura ſecul dives epulo clamabat, *Crucior in hac flamma* & refrigerandæ linguæ guttam aquæ nequicquam poſtulabat. Adhuc cruciatur, & eoden refrigerio deſtituitur, & de æternitate nihil imminutum eſt.

Deprecatiò ira divina. O mi Deus, quamdiu tu, qui æternus es Deus futurus es, tamdiu damnatus quilibet i barathro torquebitur; & tamdiu beati tecum omni felicitate & gaudiorum affluentia felices in cœlis regnabunt. *Regnum tuum regnum omnium ſeculorum*, & dominatio tua ſuper cœlos & abyſſos. Ne obſecro inter illos ſim, quibu *juraſti in ira tua, ſi introibunt in requiem tuam* & quibus dicturus es, *ite maledicti in ignem æternum.* Execror univerſa, ô Deus meus, qu

Deteſtatiò omnis Dei offenſæ, & negligentiæ in via ſalutis. tibi diſplicere novi, etiam levia & venialia delicta, quæ ad graviora ſenſim deducunt; etia neglectâ hæc & iſta N.N. pietatis opera, & te piditatem omnem deteſtor: ne aliquando au

Apoc. 3, 7. diam, *quia tepidus es incipiam te evomere ex o meo*; etiam Dei conſilia non admiſſa, cum E vangelico adoleſcente, qui mœſtus abiit, oſtendit, quàm difficile multis ſit, citra obſe vationem conſiliorum, intrare in regnum De

Pſal. 118. *Juravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ* u niverſa, ut vitatis his & illis peccatis N.N. t bi in omnibus placere poſſim. Verùm tu,

De

Deus meus, ſine quo nihil, nec cogitare quidem boni poſſumus, confirma hanc voluntatem meam, qua tibi ſupremo bono ac Deo meo ſic deſidero placere in terris, ut eidem æternùm jungar in cœlis.

DISTICHON MEMORIALE

Supplicium ſtygis horrendum! (2) membra omnia, mentemque
Excrucians! (3) ingens, quod ſine fine malum eſt!

MEDITATIO IV. DIEI III.

De numero, & via arcta ſalvandorum.

VERITAS. Via ſalutis tam arcta eſt, ut ſumma contentione opus ſit, cum pauciſſimi hominum ſalventur. (2) Ex vocatis etiam ad fidem plures pereant, quam ſalvi fiant, ob neglectam Dei gratiã, & admiſſa peccata. (3) Quæ Deus certo numero permittit, ac deinde peccatorem deſerit; ut jure quodvis peccatum ſummè averſari debeamus, & quamvis gratiam amplecti.

ORATIO PRÆPARATORIA communis.

PRÆLUDIUM I. *Viam ad cœlum anguſtam, & ad infernum latam, ſibi proponat.*

PRÆLUDIUM II. *Petat à Deo gratiam penetrandi viam anguſtam.*

I. PUNCTUM.

Singulari ſtudio ſalus quærenda eſt; quia pauci ſalvi futuri ſunt.

Conſidera, quòd magna ſit hominum vitam æternam conſequentium paucitas: quia pauci, ut par eſt, à malo declinare, & bonum facere ſatagunt. Hanc enim veritatem tam apertis nobis verbis Deus in S. Scriptura tradidit, ut dubitare prudenter non poſſimus.
Matt. 7. Luc. 13. *Intrate*, ait Chriſtus, *per anguſtam portam; quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam!* Per varias verò figuras, tam in novo, quàm veteri teſtamento damnandorum multitudo, & ſalvandorum
Gen. 7. paucitas nobis exponitur. ut, quòd in diluvio
Gen. 19. tantùm octo animæ ſalvæ factæ ſint: quòd ex Sodomis tantùm Loth, cum uxore & binis fi-
Exod. 12. Num. 14. liabus, flammas evaſerit: quòd ex Ægypto ſexcenta millia virorũ, præter mulieres & parvulos egreſſa, tantùm duos, ad terram promiſſionis Joſuen & Caleb ſervatos, complexa ſint.
c. 24. v. 13. Sic Iſaias de ſervandis in judicio Dei hominibus loquẽs: *Hæc erunt*, ait, *in medio terræ, in medio populorũ, quomodo ſi paucæ olivæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, & racemi, ſi fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem ſuam atque laudabunt, cùm glorificatus fuerit Dominus.* Sic Chri-
Luc. 14. ſtus cœnæ parabola uſus eſt, ad quam multi ſunt invitati, qui omnes ſeſe excuſare cœperunt, paucis tantùm ſubeuntibus. Alibi repro-
Matt. 3. bi paleis tritici, probi granis comparantur. Apoſtolus illos etiam vaſis in domo fictilibus &
Rom. 2. ligneis; hos aureis & argenteis componit. En quanta

quanta ſalvandorum paucitas, & multitudo damnandorum, iccircò, quòd tam pauci ſint, qui magis ſeriò de ſalute ſua æterna, quàm temporali hujus mundi felicitate procuranda ſolliciti ſint, atque ob hanc cauſam juſto Dei judicio condemnentur. Quoti hominum in univerſo terrarum orbe Chriſtiani ſunt; & inter eoſdem quot hæretici, ac ſchiſmatici. Quoti inter honoratos, qui magis de ſalute ſua, quàm dignitate tuenda laborent? Quoti inter contemptos, qui magis arctam Chriſtianæ legis diſciplinam, quàm infimæ plebis licentiam ſequantur? Quotus inter opulentos eſt, de quo dici queat: *poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecuniæ theſauris. Quis eſt enim hic, & laudabimus eum?* Quoti inter egenos, qui multa non deſiderent, & quibus illud conveniat: *beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum?* Expende, quo in ſtatu tu ſis, & an hactenus majorem tuæ ſalutis, quàm pereuntium rerum curam geſſeris? an modò in priſtina negligentia tua perſiſtas, aut propinquum periculum ſit eodem relabendi? Neque enim eſt, quod exiſtimes felici te morte obiturum, ſi in vita ſalutem tuam, præ rebus ceteris non curaveris, & tot divinis beneficiis, quibus præ infidelibus cumulatus es, ut par eſt, reſponderis. Nam, ut innumera alia taceam; ſi conſideres, quanta ſit vocationis tuæ gratia, quâ inter tot gentiles, Judæos, Mahumetanos, alioſque infideles, ad Chriſti Eccleſiam per baptiſmum admiſſus es; ſi illam, qua inter tot hæreſes vera Dei cognitione imbutus; ſi denique iſtam, quâ

Pauci majorem ſuæ ſalutis, quàm aliarum rerum curam gerunt.

Eccli. 31.

Matt. 5.

Qui vocationis gratiæ non reſpondent, gravius quam gentiles, judicium ſuſtinebunt.

quâ ſingulari Dei benevolentia, tot mortalibus inter ſua ſcelera pereuntibus, hactenus ad pœnitentiam ſervatus: ingratiſſimum te mortalium, quique meritò Dei in ſe vindictam brevi provocet, fortè agnoſces, intelligeſque, aut nunc tibi ad meliora tranſeundum eſſe; aut nunquam, poſt irrita toties propoſita, id eſſe ſperandum. auditurus alioquin brevi his à Chriſto ſimilia, qualia urbibus Galilææ exprobravit olim: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſet virtutes* (hoc eſt, in urbibus gentilium res adeò mirificæ) *quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere egiſſent pœnitentiam. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit in die judicii.*

Mat. 11. v. 21.

Timor Dei ex periculo ſalutis.

AFFECTUS. Vah ſocordiam & ingratitudinem meam, qui tam remiſsè in ſalutis æternæ cura & negotio verſor, & in tanto animæ, ſalutis, & ſempiternæ felicitatis diſcrimine, juſtiſſimam Dei indignationem non expaveſco! Quin *unum* hoc ago *neceſſarium*, ex quo pendent omnia? Jure D. Paulus admonet: *cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Omnia autem facite, ſine murmurationibus, & hæſitationibus, ut ſitis ſine querela, & ſimplices filii Dei ſine reprehenſione, in medio nationis pravæ.* Sed, ô mi Deus, quàm pauci tam ſalutari metu perculſi ita tibi ſerviunt, & non potius nationis pravæ exemplis vitáque trahuntur ad ſimilem cum illis exitum, quòd *totus mundus in maligno poſitus* ſit. *Confige* igitur ô Deus meus, *timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui. Servus tuus ſum ego, da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.* Æquiſſimum ſanè eſt, ut omnes prorſus actiones noſtræ Dei gloriam noſtrámque ſalutem ſpectent, monente Paulo: *ſive ergo manducatis, ſive bibitis omnia in gloriam Dei facite*: Et ſi Chriſtus ipſe ſemper ante oculos habuit voluntatem Patris ſui, adeò, ut diceret: *meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me*, idque etiam in difficillima mortis agonia, non pro-

Phil. 2. v. 12.

Pſal. 118. v. 120.

Propoſitum vitæ melioris.

1. Cor. 10. v. 31.

Ioan. 4. v. 35.

priæ,

riæ, ſed noſtræ ſalutis gratia; quomodo pro eadem hac ſalute mea, indultum gratiæ tempus, non omni ſtudio cuaque Deo obſequendi impendo? An non propius me tangit, quod dixit: *me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt* (& tempus miſerendi) *venit nox, quãdo nemo poteſt operari?* O infelix mihi nox, niſi hic, cum Servatore ac Duce meo, bene diem impendero! Quàm metuendum, ne & ego in tanto reproborum numero cenſear, niſi ab hoc momento vitam corrigo, Dei voluntatem & meam in omni opere ſalutem ſpecto! Ita cupio ac ſtatuo, fac ut poſſim, ô Deus meus. Ioan. 9.

II. PUNCTUM.

COnſidera, quod licet ſingulari favore & beneficio Dei præ tot millibus gentium ad Chriſti legem & diſciplinam ſalutiferam vocatus ſis; licet etiam in antiqua Apoſtolicæ Eccleſiæ fide catholica perſiſtas; licet denique communi fidelium more vivas, & graviora ſcelera devites, non tamen idcirco te ſalutis tuæ ſecurum eſſe, docente Chriſto: *non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt.* Neceſſe igitur eſt, nos *ſatagere, ut per bona opera certam noſtram vocationem & electionẽ noſtram faciamus. Sic enim abundanter miniſtrabitur nobis introitus in regnum Domini.* Quin etiam, ſi cui cum Petro dicatur: *ſequere me*, ſequendum erit, ac præter mandata Dei, conſilia quoque ampleсtenda erunt. Nam quibuſdam alia ad ſalutem via non patet. Ita Evangelico adoleſcenti dictum eſt. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Quod cum renueret, licet mandata Dei obſervaſſet, à Chriſto tamen deſperatæ ſalutis homo judicatur. Porrò, nemo

Ex vocatis ad fidem multi pereunt ob neglecta Dei mandata.

Matt. 7.

2. Petr. 1, v. 10.

Alii, ob neglecta conſilia.

Matt. 19. v. 21.

ſervari poterit, niſi omnibus carnis cupiditati-
Gal. 5. v. 19. bus renuntiarit. *Manifeſta enim ſunt opera carnis, quæ ſunt impudicitia, ira, contentiones ebrietates, &c. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Quia verò pauci, Chriſtianorum quoque, univerſa carnis deſideria vitant, ſataguntque per bona mandatorum, aut etiam conſiliorum Dei opera vocationē ſuam certam facere, hinc illa Chriſti de vocatis prædictio impletur; *multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Nam ut Paulus ait, *non vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem* : itaque qui hæc ſpernit non hominem ſpernit, ſed Deum. Jam verò quota pars vocatorum ad fidem eſt, quæ immunditiâ peccati vitatâ ſanctificationem ſectatur? *Siquis enim conſideret multitudinem eorum, qui in Eccleſiis congregantur, & diſcuſſerit, quanti ſint, qui converſentur diſciplinatè, judicabit verum eſſe ſermonem Dei dicentis: multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Quare Apoſtolus tam ſollicitè nos obteſtatur: *obſecro ego vos vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in charitate.* Electi Dei erga proximos benigni, erga ſeipſos duri ſunt, mortificationem Chriſti in corpore ſuo circumferentes: erga Deum devoti, Chriſto jurato Duci adhærentes. Hæc eſt via, & non alia præter eam, *qui* enim *non abnegat ſemetipſum* ait Chriſtus, *& tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* quia, *per multas tribulationes oporte*

Multi ob vitia carnis pereunt.

Matt. 22.

1. Theſ. 4.

Orig. in Matt. 22.

Eph. 4. v. 1.

Electi pauci ſunt.

Matt. 11.

oportet nos intrare in regnum Dei. Hæccine credis ab æterna veritate profecta eſſe? Expende igitur, quæſo te, an hactenus arcta hac via, quæ ſola ad ſalutem ducit, inceſſeris; an potius ex communi Chriſtianorum conſuetudine vitam tuam inſtitueris? Heu! plerique viâ latâ incedunt, pauci à via mandatorum Dei non aberrant, pauciores licet Deo per bonas inſpirationes vocante conſilia ſequuntur; jejunia carnis afflictiones & adverſitates quaſcúnque à Deo immiſſas lubentes amplectuntur. Plurimi in cœpto Dei ſervitio langueſcunt, quos tanquam tepidos denique evómit Deus ex ore ſuo. Tu vide, quid de te, tam ex conſcientia vitæ anteactæ, quàm præſentis poſſis ſtatuere, & cave, ne inter hos tales deprehendaris, aut diu ſubſiſtas. Si etiamnum inter hos cuncteris, neque ſeria pœnitudine tangaris, magnum æternæ reprobationis tuæ eſt argumentum. Proponis fortè emendationem. Sed quoties hoc à te factum, & tamen neglectum eſt. Et hæc crede hora præteribit, & propoſitum evaneſcet, eriſque qui fuiſti, fortè etiam deterior teipſo.

Act. 5.

Qui inter electos conſeri volet, tempeſtivè à via reproborum diſcedat.

AFFECTUS. O infelix illorum vita, qui vel carni, vel mundo obnoxii, alteri magis, quàm Deo ſerviunt! Et quid tales juverit Chriſtianos fuiſſe? *quid prodeſt, ſi ſidem quis ſe habere dicat: opera autem non habeat! fides enim ſine operibus mortua eſt.* Imò illa etiam ſine his ad majorem damnationem eſt obfutura: Nam, *cui plus datum eſt, plus requiretur ab illo.* Et quid aſperiorem hanc viam Chriſti horremus, quando improbi quoque & mundani homines, qui ad honores opeſque contendunt, *ambulant vias difficiles?* Et ſi *omnis is qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam:* quantò majori

Iac. 2.

Deteſtatio fidei mortua.

Sap. 5.

1. Cor. 9. v. 25.

Labor improborum probos in opere languidos confundit. majori nobis ſtudio erit laborandum? Si militiæ addictus regiæ tenetur graviſſimas difficultates, etiam cum præſenti vitæ diſcrimine perrumpere; quid eſt, quod illius ego Domini, cujus jugum longè ſuavius eſt, detrectem? O quàm jucundum, cum Paulo, erit dicere: *Bonum certamen certavi, curſum conſumavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Iudex!* ſed ſi te delectet ô anima mea præmium bonorum, delectet etiam certamen laborum. *Contende intrare per portam anguſtam quia multi* (ſerius) *quærent intrare, & non poterunt.* O Domine, *da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo!* Nunquam ſciens volens prævaricabor; ſed implebo pro viribus omnia præcepta tua: illa præcipue N. N. contra quæ hactenus ſæpius deliqui. O mi Deus, da ut poſſim, qui ut velim tribuiſti.

2. Tim. 4.

Sine certamine nemo præmiatur.

Luc. 13.

Pſal. 118.

III. PUNCTUM.

Deus cuilibet certam dare gratiā ſtatuit, quā neglectā, nullam det amplius.

Conſidera, quòd Deus ab æterno cuilibét hominum ſtatuerit certum gratiarum ſuarum communicare numerum ac menſuram, & omnibus quidem illam, quæ ad ſalutem poſſet ſufficere; ſed aliis minorem, aliis crebriorem & majorem, quâ ſine fructu completâ, dicat: *curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Pari ratione Deus certum peccatorum numerum in delinquentibus tolerare ſtatuit: in aliis minorem, uti in Angelis, & pluribus etiam hominibus, poſt unum alterúmve delictum pereuntibus: in aliis majorem, ut Balthaſare & Saule Regibus: poſt quem expletum, aut ſtatim æternâ morte punit, aut certè, in hac vita, efficaci ſuâ gratiâ deſerit; ut peccata peccatis cumulando, funeſtior illis ad pœnam ſecuturam vita ſit, quàm aliis peccatoribus mors repentina, quæ cum peccatis pœnam

Ier. 57.

Ita & certo in numero peccata tolerat, poſt quæ punitio decreta eſt.

nam quoque graviorem abrumpit. *Nemo enim poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit.* Pro quibus nec preces quidem ſuſcipit. Unde Samueli dictum : *uſquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum?* Quod Balthaſari Regi Babylonio judicium in pariete ſcriptum fuit: MANE: *numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud.* THECEL : *appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens.* PHARES : *Diviſum eſt regnum tuum* : hoc judicium ſubeundum omnibus aliquando peccatoribus eſt. Sed quis ſcire poterit, quem Deus numerum, vel in gratiis ſuis, vel in noſtris peccatis ſtatuerit? cum juſtiſſimè, poſt primum peccatum, gratiâ ſuâ deſtituere nos poſſit : multique propter unicum peccatum æternùm damnentur, aut à Deo, gratiam miſericordiámque ſuam ſubtrahente, in ſuis ſordibus deſerantur, cumulandóque peccata horrendas in omnem æternitatem pœnas quoque accumulent. quâ nulla poteſt eſſe gravior Dei ab homine peccatore averſio. Cum igitur nemo hominum ſecurus eſſe poſſit, neglectâ hac, quam Deus e g. offert, ad pœnitendum, aut cum ſingulari virtute agendum gratiâ; eandem, aut parem ſe deinde habiturum, ſi hanc modò neglexerit : cúmque illo ſcelere e.g. luxuriæ patrato, neſciat, an non ultimum hoc peccatum ſit, quo admiſſo Deus in gratiam recepturus amplius non ſit, ſed juſto immutabilique decreto ſuo deſerturus ac damnaturus; quis non horreat ad ſolius peccati memoriam, aut gratiæ divinæ neglectum? *Balthaſar ad ſolam ſcribentis in pariete manum*, ita inhorruit, *ut fa-*

Eccle. 7.

1. Reg. 16.

Dan. 5.

Graviſſima punitio eſt, peccatorem in peccatis diu tolerare.

v. 6.

ut facies Regis turbata ſit, compages renum ejus ſoluta, & genua ad ſe invicem colliſa, ſolâ conſcientiâ ſcelerum & contempti Numinis arguente. Quid ergo facturus eſt puniens qui ſic etiam terret veniens?

Deteſtatio peccati ob quod Deus reprobat. AFFECTUS. O quam triſtis & formidanda res eſt completa peccatorum menſura, ſi vel unius delicti offenſa ad hanc ſufficit. Quis enim numerum fatalem non perhorreſcat, qui gratiam nobis adimit, bonorum operum mercedem tollit, tempus non indulget ad conciliationem amplius, cœlum nobis claudit, infernum aperit, atque æternæ felicitatis poſſeſſionem eripit, æternæ calamitatis abyſſum pandit. O vel nomen ipſum peccati abominandum, horam deteſtandam, quâ illud admittitur, horam

Pſal. 12. quavis morte magis declinandam! *Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.*

COLLOQUIUM *cum emendationis* PROPOSITO.

Illud Apoſtoli dictum attentâ mente excipe:

1. Cor. 1. v. 9. *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Et ad Deum

Amor vocationis. converſus opta, cum iiſdem Corinthiis à Paulo

v. 5. lo audire. *In omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis; ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia, exſpectantibus revelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui & confirmabit vos in finem, ſine crimine, in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti.* O Deus miſericordiarum, Deus ſalutis meæ, ſpes mea, & refugium meum, aperi quæſo oculos meos, ut intelligam quemadmodum omnia in numero, pondere, & menſura à te conſtituta ſint, & quod *poſueris homini terminos ejus*, tam in peccatis ipſius,

quàm

quàm tua gratia, *qui præteriri non poterunt*, ideóque nunquam impoſterum ſciens volensque te offendam, ſed millies mori præeligam, quàm in peccatū adeò formidandum conſentire; neque unquam gratiam à te oblatam, occaſionémq; emendatioris vitæ prætermittam. Et quis novit Domine ſenſum tuum? quis ſcit, an non hæc ipſa modò gratia, quâ hæc agnoſco, talis ſit, ex qua tota æternitas & felicitas mea ſuſpendatur, ut ſi hanc negligam, neque ad emendationem ſeriam convertam, deinde ſimilem mihi, cum occaſione veræ pœnitentiæ, & converſionis ad meliorem vitam, largiturus nunquam ſis! O clementiſſime Deus, qui, præ tot mortalibus in ſua cæcitate pereuntibus, largitus mihi es, ut te in vera *fide* agnoſcerem, *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*, ignoſce, quod hactenus pro inæſtimabili hac gratia tua, tam ingratus fuerim, & fac, ut dignè impoſterum ambulem vocatione, quâ præ tot aliis vocatus ſum. Cum verò *multi vocati* ſint, & *pauci electi*, fac ut perpetuò conſtantérque *ſatagam, per bona opera certam facere vocationem meam*, confirma me in finem, ut ſim ſine crimine in die adventus tui. *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.* Credo tibi, quia arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam; ſed in his paucis numera me indignum ſervum. *Erravi* ſæpius hactenus, *ſicut ovis quæ periit; ſed tu Domine, quære ſervum tuū*, ô Pater, ecce prodigus ille filius tuus ad pedes tuos devolvitur, *ne memineris iniquitatū noſtrarum antiquarum, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ*,

Deſiderium reſpondendi vocationi ſuæ.

2. Pet. 1.

Pſal. 118.

Pſal. 78.

tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis! O *Pater, peccavi in cœlum & coram te, & jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis*, ex hoc enim momento me tuæ voluntati & beneplacito ad univerſa, quæ præceperis & ſuaſeris, offero. Malo per gladios & ignes in apertam mortem ruere, quam bonitatem tuam ullo deinde peccato lædere. Illa, quæ poſſum juxta ſtatum meum, pietatis officia exequi, ut hæc & iſta N. N. ſunt, conſtantiſſimè deinde explebo. neque ulla neceſſitas curarum mundi tam gravis futura eſt, quæ me ab hac ſpiritus & animæ cura dimovebit. Verùm tu Domine, qui noſti hæc ſyncero me corde totóque animi affectu] tibi offerre, adjuva & conforta me per gratiam tuam, ne unquam in hoc propoſito deficiam. O Sanctiſſima Dei genitrix, & vos omnes ſancti Angeli & Patroni mei, qui cum gaudio mandatorum Dei viam ambulaſtis, & nunc cum eodem exultatis in gloria, intercedite, adeſte, ſubvenite imbecillitati meæ, quodque indignis meis apud Deum precibus obtinere non mereor, hoc veſtra interceſſione longè digniori impetrate. ut vobiſcum, ſuperatis mortis & inferni periculis, aliquando Deum ſpectare, & laudare ac glorificare æternùm poſſim in cœlis.

DISTICHON MEMORIALE

Arcta via eſt cœli (2) *multi periere vocati.*
(3) *Menſura eſt ſcelerum certa, notata Deo.*

(†)

DIES IV.



Sic Deus dilexit mundum ut filium ſuum daret unig. ut omnis qui credit in eum non pereat. Ioan. 3. D.

DIES IV. EXERCITIORUM.

Ratio ac Finis Meditationum ſequentium.

ABſolvimus viam, quam vocant purgativam in ſacris Excitationibus, & ad illuminativam tranſimus. Illâ enim, purgatur anima à vitiis, & pravis cupiditatibus, hâc ad virtutum exercitium, Chriſti Domini ac Ducis noſtr. exemplo & imitatione, illuminatur, qui tranſiturus ex
Luc. 24. hoc mundo dixit: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis.*

S. IGNATIUS igitur primò contemplationem de *regni Chriſti* tanquam generalem quandam, quæ fundamentum ceterarum contineret, proponit: ut oſtendat omnibus Chriſtum ſecuturis, ſub quali quantóque Duce militaturi ſint. Deinde ad originem ac Nativitatem ipſius reliquamque ejus vitam, & inſtitutam ab eo vivendi diſciplinam tranſit; ut quod antè univerſim, poſtea ſigillatim in hoc Duce ſummo contemplentur, ac ſiquem vitæ ſtatum elegerint, in eo ſe firment conformentque exemplo vitæ Chriſti: ſi nondum de eo conſtituerint, videant quo potiſſimum in ſtatu eum (qui omnibus exemplar factus eſt) juxta naturæ, ingenii, & gratiæ vires, ita queant imitari in hac vita, ut non excidant æterna. *Nemo enim*
Ioan. 14. *venit ad patrem* (Chriſto monente) *niſi per me, qui ſum via, veritas, & vita.* Sequere igitur hanc viam, ut aſſequaris veritatem, & pervenias ad vitam.

MEDIT.

MEDITATIO I. DIEI IV.

Reſpondens contemplationi de regno Dei. *Hebd.* 2.

VERITAS. Rex Regum Chriſtus ſummè potens ſapienſque, pari nos ſecum conditione ad hoſtes ſalutis noſtræ debellandos invitat, (2) ſuumque in omnibus ad certam victoriam exemplum ſequi jubet, ipſe tamen aſperiora viarum prævius complanans (3) cujus imitationis ac ſequelæ tanta eſt neceſſitas ſimulque & gloria, & jucunditas, atque utilitas, ut refragari nemo, niſi Dei ſuæque ſalutis contemptor queat.

ORATIO PRÆPARATORIA uſitata.

PRÆLUDIUM I. *Chriſtum Dominum tibi inter Doctores in templo de regno Dei diſſerentem propone.*

PRÆLUDIUM II. *Petes gratiam aſſequendi quæ ipſe tradit, & obſequendi ſalutaria ſuadenti.*

I. PUNCTUM.

COnſidera, quanta ambitione multi in bello prenſent ſimili cum Rege aut Imperatore ſuo conditione militare, iiſdemque cum eo commodis periculiſque belli perfungi. Pone igitur, Regem aliquem adoleſcentem gratioſum omnibus, qualis Salomon recens ele-

ctus videri potuit, qui opibus, potentia, ſapientia, clementia, omnibuſque illis bonis ac virtutibus fretus ſit, quibus univerſum ſibi orbem ſubjugare poſſit, quemque omnes Chriſtiani Principes, ut ſupremum Dominum ſuum venerentur. Hunc verò oratione ad ſuos ſubditos inſtituta, ſignificare, decretum ſibi eſſe univerſas infidelium nationes regno ſuo fideique adjicere: liberum cuique ſuorum fore huic militiæ accedere. Omnes iiſdem ſecum milites armis & inſignibus, victu veſtituque pari; nec commodis minus fructuque victoriæ, quàm incommodis, vigiliis, laboribuſque iiſdem ad pugnandum, uſuros, tantóque amplioribus victoriæ præmiis potituros, quantò laboribus moleſtiiſque gravioribus perfuncti fuerint. Fratrum denique filiorumque ſibi futuros loco quotquot ſecuti fuerint. Contra ſi recuſaverint, hoſtium inſtar ſuo ex regno proſcribendos, æternóque exilio multandos eſſe. Quid putas, fideles tam liberalis, amabiliſque ſimul & ſeveri, Regis ſubditos reſponſuros eſſe? quam promptè illius obſequio ac voluntati acceſſuros? quanto odio execrationique futuros hominibus ceteris, qui talis tantique Regis benevolentiam ſocietatemque in armis averſentur?

Chriſtus nos, ut Rex, ad hoſtes ſalutis debellandos invitat, optimis conditionibus.

Jam te oro, ô anima mea, expende in cujus Regis ſocietatem, communionemque vitæ & pugnæ; victoriæ etiam ac præmiorum, niſi detrectes, minimè dubiorũ participationem vocéris. Ille te invitat: qui tanquam novus Salomon, apparens in templo & domo Patris ſui

Regnum illi æternum à Patre traditum.

conſtitutu

conſtitutus à Deo eſt Rex ſuper Sion: cui dabit Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. ille, *cujus thronus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta, in æternum.* Et ne de illius virtute atque excellentia dubites. Ille te invitat, qui *eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens; quia in ipſo complacuit (Deo) omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia.* ille invitat, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi: in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: &, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis:* qui *tantò melior Angelis effectus eſt, quantò differentius præ illis nomen hereditavit.* Ille te invitat, cujus in manu certa eſt victoria, qui *poteſt rogare patrem, & exhibebit illi pluſquam duodecim legiones Angelorum:* qui aliquando *venturus eſt in gloria patris ſui, cum Angelis ſuis, & reddet unicuique ſecundum opera ſua.*

Pſ. 2. 6. Luc. 1. 32. Pſ. 90. 37. Col. 1. 18. Col. 2. 3. & 9. Heb. 1. 4. Matt. 26. 52. Matt. 16. 27.

Et quâ lege, quamque amabili conditione invitat? *Qui mihi,* inquit, *miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Potuítne conditio, aut æquior, aut glorioſior offerri? *Non* enim *eſt diſcipulus ſuper magiſtrū, aut ſervus ſuper Dominum ſuum. ſufficit diſcipulo, ſi ſit ſicut Magiſter ejus, & ſervo ſicut Dominus ejus.*

Miniſtros hic Rex ſibi æquat. Ioan. 12. 26. Matt. 10. 24.

Non igitur omnis in hoc bello laboris, patientiæ, & periculorum alea declinanda erit, ſi ipſe hanc Rex & Dominus haud gravatè ſubierit, quæ enim unquam victoria ſine his vel obtigit,

Ioan. 15. 20. tigit, vel glorioſa potuit haberi? *Si me,* inquit ipſe Dominus, *perſecuti fuerint, & vos perſequentur.* Et, *qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.* Et quid, ſi etiam uſque ad mortem pugnandum ſit; nemo tamen prorſus occumbet; ſed erit hæc mors tranſitus ad certam vitam. *Nolite,* ait, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Nihil itaque tam arduum eſt, quod ab hac tanti Ducis militia ac ſocietate nos debeat ſeparare, quando & ipſa cum Domino mors optabilis & glorioſa prædicatur, & brevi exiguoque dolore æternos dolores avertit, gaudiáque ſempiterna conciliat.

Matt. 10. 38.

v. 28.

Deprædicatio divinæ benevolentiæ & charitatis erga ſubditum hominem.

AFFECTUS. O immenſa ſupremæ majeſtatis dignatio quæ talem tantúmque nobis mortalibus Regem, præ ipſis Angelis, largita eſt! ô benevolentia Principis noſtri Jeſu Chriſti admirabilis, qui pari nos ſecum conditione & faciliori etiam, contra hoſtes ſalutis noſtræ voluit decertare! quin etiam, quod longè admirabilius, pro nobis corpus ſuum ad vulnera excipienda objicere, noſtram ſalutem ſuâ morte tueri, ſuâ vitâ redimere, ſuæ victoriæ præmiis cohoneſtare. Ceteri Regum minus plerúmque egeſtatis, miſeriarum, laborum, periculorúmque in bello ſubeunt, quàm ſubjecti illorum imperio milites, ſed Rex noſter *cum eſſet dives, propter nos, egenus factus eſt, ut illius inopiâ nos divites eſſemus.* cum eſſet feliciſſimus, propter nos, *opprobrium hominum & abjectio plebis fuit attritus propter ſcelera noſtra, & vulneratus propter iniquitates noſtras.* cùmque eſſet immortalis atque innocentiſſimus, *dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem.* *In hoc enim cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit.* Et talem ego tantæque dignitatis Regem, tam incomparabili me amore compl

2. Cor. 8.

Pſal. 21. 6.

Iſ. 53.

Tit. 2. 4.

1. Ioan. 3. 16.

complectentem, non ſequar votis omnibus, non amplectar amore mutuo, non omni obſequio & honore deveherer? O me ingratum & indignum tam eximio Rege hactenus, cujus majeſtas ſupra Cherubim ac Seraphim elevata, benignitas & clementia ad infimos homines inclinata, charitas ſupra omnem mortalem amorem eſt inflammata! Erubeſco & confundor in conſpectu Regis mei, ita me benevolè amanterque invitantis, quando me ſæpius ab illo receſſiſſe, ejuſque tam ſuavem ac glorioſam ſocietatem in multis detrectâſſe comperio. O quantum bonorum hunc ubique ſecutus, & piè fideliterque obſecutus, colligere poteram! quàm copioſo nunc gaudio horum obſequiorum fruerer! quantum ex pugnis victoriiſque præmiorum colligerem: quæ nunc cunctatione & deſidia obſequendi amiſi! ô Domine, jube me venire ad te, per efficacem gratiam tuam, & in omnibus te ſequar quocunque ieris.

Confuſio ſui, ob neglectum Dei obſequium.

II. PUNCTUM.

CONſidera, quo fine, & cujus bono hæc expeditio à Chriſto Rege ſit inſtituta, & intelliges hominis tantùm cauſa commodóque ſuſceptam eſſe: ut ſcilicet 1. hunc à fœda ſervitute Dæmonis in libertatem aſſereret filiorum Dei. *Qui* enim *facit peccatum ex Diabolo eſt*: *In hoc* autem *apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli.* 1. Ioan. 3. 8.

Chriſtus noſtri cauſa ad pugnā procedit.

1. ut liberet à Dæmone.

2. Ut, quâ ratione Mundus vincendus eſſet, & Caro debellanda, ſuo nos exemplo doceret, animarétque ipſe prævius Rex ac Dominus noſter. Unde, ait, *ſi mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Ioan. 15. 18. Vos quidem *in mundo preſſuram habebitis; ſed confidite, ego vici mundum.* Ioan. 16. 33. Suo itaque exemplo vincere nos mundum voluit: *Exemplum* (jam brevi moriturus) ait, *dedi vobis, ut quemadmodum feci, & vos faciatis.* Quod juſtius à nobis exigit, quàm

2. ut doceat vincere.

Gedeon à ſuis militibus, cùm omnibus adverſus hoſtem contendentibus mandavit, *quod me facere videritis, facite.* Suarum deinde virtutum in manſuetudine & humilitate, per victoriam ſui, nos voluit eſſe imitatores *Diſcite* ait, *à me quia mitis ſum & humilis corde*, quia *Rex tuus venit tibi manſuetus.* Poſtremò per adverſitatum & mortis ipſiuſmet anguſtias nos fortiter patientérque ad vitam ſequi voluit. Unde & nobis convenit: *inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Illo præſertim monte, ubi operi redemptionis, ultima veluti lineamenta adjecit, cum diceret: *conſummatum eſt.* quale quantúmque exemplum!

Iud 7. 17. Matt. 11. Matt. 21. Exod. 25.40.

3. ut ſuo nos labore ad regnum præparatum deducat.

3. Hoc certamen exemplumque durioris vitæ, Deus ipſe, Rex noſter factus, non ſuæ, qui erat feliciſſimus, verùm noſtræ redemptionis gratia, ita inſtituit, ut ille laborem moleſtiámque præcipuam; nos illius fructum longè minori labore percipiamus: ille per tormenta & atrociſſimam mortem ad palmam victoriámque de hoſtibus contendat; nos plerique ſine his ad ejuſdem victoriæ præmia vocemur: ille ad præparatum à Deo Patre regnum prævius aſperrima viarum complanet, nos ſolum in partem laboris atque imitationis venire ſufficiat, ut ejuſdem regni felicitate potiamur. Quiſquámne talem in mundo Regem, tam ſuarum rerum ipſiuſque vitæ pro incolumitate ſubditorum prodigum, tam populorum ſuorum ſalutem profusè cupientem amantémque, vel ſola cogitatione, fingere potuit, qualem nos Chriſtum Regem noſtrum reipſa fuiſſe experimur:

imur? Et quæ obſecro ingratitudo foret, tam impensè ſibi benevolum Regem, tam æqua in compenſationem amoris poſtulantem, tam glorioſa poſt ſe via invitantem, nolle ſequi, aut imitari? Audio & admiror Ethai Gethæi peregrini hominis ad Regem Davidem voces, cum Abſalonem filium, à pleriſque ſuorum deſertus, fugeret: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit & ſervus tuus*: & non erubeſcam, te Regem meum, non alienigena, ſed pretio ſanguinis tui, tuæ familiæ adſcriptus; non tuæ, ſed meæ ſalutis cauſa periclitantem, tàm in vita, quàm in morte conſectari? 2. Reg. 15. 21.

AFFECTUS. O me ingratiſſimum hactenus ſervum, hæc mecum beneficia tua, hunc exceſſum amoris tui, hunc zelum in te ſalutis meæ, hos labores doloréſque pro me ſuſceptos, hoc exemplum vitæ ſanctiſſimæ tam leviter conſiderantem, tam viliter æſtimantem, tam frigidè imitantem! An ignoro, quod *qui non eſt tecum, contra te eſt?* an dulcius mihi poteſt eſſe ſervitium ſub gravi jugo illius, *qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, quam ſub *levi jugo tuo?* an nondum intelligo, quia *nemo poteſt duobus Dominis ſervire*; Deo & Mammonæ? Mundi & cœli voluptatibus ſimul potiri? Aut mundus igitur & caro deſerenda ſunt, aut certè tu Deus meus. Imò propria voluntas & cupiditas repudianda, & juxta ſanctiſſimã voluntatẽ tuam vivendum erit illi, qui tecum voluerit, & hìc & in æternum vivere, teipſo atteſtante; *ſiquis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Venio mi Domine, venio ad te Regem humiliũ & deteſtor Regẽ ſuperborum: jugum illud infelix Diaboli, viam perditionis, viam mundi & carnis: ad te curro, qui es *via, veritas, & vita.* Quocunque loco fueris, Domine mi Rex, ſive in morte cum pateris, ſive in vita cum laboras, ibi erit & ſervus tuus, cujus tu laborem labore tuo, dolorem morte tua ſublevaſti.

Deteſtatio ignaviæ in ſequela Chriſti. Luc. 11. Iob. 41. Matt. 16. *Propoſitum imitationis Chriſti.*

III. PUNCT.

III. PUNCTUM.

CONſidera quot quantaque ſint, quæ ad Chriſtum audiendum & ſequendum, ejuſque te imitationem impellant.

Neceſſe eſt nos Chriſtũ ſequi.

1. Summa neceſſitas eſt, in Dei ordinatione ac voluntate fundata. Sic enim Deus ipſe voce ſuper filium in monte Thabor de cœlo lapſa teſtatur: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipſum audite.* Dei ergo voluntas eſt, ut Chriſto obſequamur. Citra hoc obſequium & conformationem cum Chriſto, ſalvus eſſe nemo poteſt. nam *quos præſcivit, hos & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui. ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, & quaſi norma ac forma ceterorum. Quod ſi igitur inter prædeſtinatos cenſeri volueris, debes Chriſto conformari. reprobus eſt, & æternæ filius damnationis, quiſquis ei in vita & moribus noluerit aſſimilari. Neque enim aliter aſſociari, aut amari à Chriſto poterit. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare*, exercendo quod docuit, & ſperando quod promiſit. *Debet*, inquam: non eſt alia ad ſalutem via, præterquam hæc unica: *debet.*

Mat. 17. 5. Rom. 8. 29. 1. Ioan. 2.

Chriſtum ſequi magna eſt gloria.

Eccli. 23. 2. Magna *eſt gloria ſequi Dominum*, & talem Dominum, atque ab eodem invitari tam vilem abjectamque creaturam, qualis tu es, præ ipſis Angelis, qui hoc ſibi perhonorificum ducerent: & præ tot mortalibus ad hanc invitationem ultro lubenterque accederent. Præſertim ubi tantum Dominum, duriora quæque ſibi depoſcentem onera, ut ſequentes ſublevet; & aſpe-

& aſperiora viarum ſua paſſione calcantem, ne illi patiantur, admirabundi ſpectarent. Mirum eſt, hic pleroſque non certare cum Domino ſuo, & non minus dura atque aſpera, quàm ipſe ſuſtinuit, pro ſe quoque depoſcere: ne vel in hoc diſſimiles Domino ſuo reperiantur. O quàm glorioſum hoc certamen foret, ex amore placendi magis Deo ſuo, illumque propius aſſequendi orum! ô quanta ignominia qualis confuſio futura eſt illorum, in omnem retrò æternitatem, qui fœdum Dæmonis & carnis ſuæ ſervitium ſecuti, tam benevolè amanterque poſt ſe invitantis Domini, tantâ gloriâ & honore propoſito, vocem ſequi detrectarunt! Non fallit, qui dixit: *qui mihi miniſtraverit, honorificabit eum pater meus.* Ioan. 12. v. 26.

3. Magna etiam jucunditas & gaudiorum ingentium fons eſt. Quòd tales Chriſti imitatores norint, ſe Deo placere, quia *acceperunt ſpiritum adoptionis filiorum, & ipſe ſpiritus teſtimonium reddit illis, quod ſint filii Dei, ſi autem filii, & heredes.* Contra *qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Si enim ſecundum carnem vixerint, morientur.* *Iucundum eſt.* Rom. 8. 15. v. 8. & 13.

4. Summa ejuſdem ſequelæ & imitationis utilitas eſt. Nam *ſi ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis,* ait Paulus, *habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra.* Vivit itaque talis imitator, hìc in Dei gratia, victurus olim in gloria. in quibus duobus, hujus & futuræ vitæ, præcipua bona continentur. Facit enim hæc imitatio omnia opera noſtra Deifica quodammodo, v. 11.

quia Dei ſpiritu animata, & ad exemplar divinū expreſſa; ideóque Deo gratiſſima & acceptiſſima, ac mercedem æternùm in cœlis nobiliſſimam habitura. ut, quod olim Salomon, nos longè verius ex hujus ſapientiæ poſſeſſione dicturi ſimus : *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Sap. 7.

Gratiarum actio Deo Patri pro Chriſto Duce conceſſo.

AFFECTUS ET COLLOQUIUM. Qua voce, quo animo, qua intenſione tibi dignas ſatis gratias referam, ô Pater cœleſtis, quòd unigenitum filium ab æterno tecum beatum, tuæ divinitatis perfectiſſimam imaginem, mea indutam carne, ad me formandum juxta idem exemplar, in hunc mundum dimiſeris; ad quod, tot millenis retrò annis, fruſtra noſtri majores aſpirarunt? Quanti amoris hoc argumentum dare atque offerre hoc mihi, quo nihil habes carius pretioſiuſque, quodq; ipſam divinam tuam includit eſſentiam; & dare hoc mihi, ut regulam normamque vitæ meæ, ac deinde in certæ pignus hereditatis ac felicitatis ſempiternæ poſſidendum! Maledicta hora, quâ illud unquam à mea cogitatione abſceſſit, quâ ad mundi vanitatem potius, quàm pulcherrimam hanc omnis perfectionis ideam reſpexi. *Nihil tamen ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, extingvit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum omnino IESVM cogito, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum ſobrium, caſtum miſericordem, & omni denique honeſtate & ſanctitate conſpicuum; eundemque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adjutorio.* Hoc intelligo tam mihi eſſe neceſſarium, ut ſine illo dignè coram Deo ambulare non poſſim: tam glorioſum, ut maior nulli ex obſervatione gloria poſſit obtingere: tam jucundum, ut æternorum gaudiorum unicus fons ſit atque principium: tam denique utile, ut bona in ſe complectatur omnia.

Bern. Ser. 15. in Cant.

S. Ignatius heb. 2. Exerc. 1.

En igitur, o Rex ſupreme, ac Domine univerſorum, Tuâ ego, licet indigniſſimus, fretus tamen gratiâ & ope, me Tibi penitus offero

„ fero, meaque omnia tuæ ſubjicio voluntati: „ atteſtans coram infinita bonitate tua, nec „ non in conſpectu glorioſæ Virginis Matris „ tuæ, totiuſque curiæ cœleſtis, hunc eſſe ani- „ mum meum, hoc deſiderium, hoc certiſſi- „ mum decretum, ut quàm poſſum proximè te „ ſequar, & imiter, in ferendis injuriis, & „ adverſis omnibus, cum vera tum ſpiritus, „ tum etiam rerum paupertate, ſi ad hoc vitæ „ inſtitutum ſanctiſſimæ tuæ majeſtati me pla- „ ceat vocare, idque ad majorem tui nomi- „ nis gloriam, & animæ meæ ſalutem ſpe- „ ctet. *Oblatio ſui ad Chriſtum ſequendum.*

DISTICHON MEMORIALE

Rex Regum tibi Dux factus, pugnabitis unà,
(2) Ut præit exemplo (3) ſic imitare ducem.

OBSERVATIO.

NOTA. *Poſt hanc Meditationem, illi, qui nondum certum vitæ genus, aut Statum elegerunt, ſéque per ætatem & animi quoddam æquilibrium ad electionem faciendam inveniunt diſpoſitos, ea legere atque expendere poterunt, quæ in fine hujus Tractatûs, de ſana eligendi ratione proponuntur. Qui verò elegerunt, ad majorem ſe poſſunt ſui ſtatus perfectionem accendere.*

MEDIT. II.

MEDITATIO II. DIEI IV.

Reſpondens 1. Diei, ſecundæ Hebdomadis.

DE INCARNATIONE JESU CHRISTI.

VERITAS. Admirabile divinæ bonitatis, charitatis, potentiæ ac ſapientiæ opus eſt Verbi incarnatio (2) quod ſingulari modo à Deo & Virgine Maria perfectum, Deum per omnia, abſque peccato, nobis fecit ſimilem (3) ut in carne peccatum deſtrueret, nobiſque exemplum vitæ daret, & ad ſalutem æternamque gloriam dux ipſe autorque præiret.

ORATIO PRÆPARATORIA communis.

PRÆLUDIUM Triplex ſit. I. *Sibi hiſtoriam de Gabriele cœlitus à Deo ad Virginem in Nazareth miſſo proponat.* II. *Imaginationem loci formet.* III. *Gratiam petat ad cognoſcendum, quo fine, quantoque amore Deus homo factus ſit, ut viciſſim ardenti amore complectatur.*

I. PUNCTUM.

In Dei filii incarnatione elucet.

COnſidera quàm admirabile opus Dei ſit: *Verbum caro factum*, ut hominem perditum, non tantùm ſalutis, verùm etiam divinitatis ſuæ participem faceret, modò ſe in carne viventem ſequi, & imitari dignaretur. In hoc enim opere 1. Bonitas ipſius infinita eminuit,

1. Sūma Dei bonitas.

nuit, dum hominem cum Deo ipſo hypoſtatica unione ita conjunxit, ut perſona eadem eſſet Deus & homo, ac per hoc totum genus humanum agnatione ſingulari ſibi devinciret. 2. Incomparabilis Dei erga humanum genus benevolentia & charitas. quia Deus, poſtquam homini, præter naturam, dediſſet in cœlis terriſque omnia, ad ipſius uſum potiſſimum condita, denique etiam dedit ſeipſum. & *quis* obſecro quantuſque! *cui*, quàm abjecto ingratoque homini! Poteſtne major charitatis erga creaturam exceſſus cogitari? 3. Summa Dei potentia, quæ hoc unum omnium divinorum operum fecit maximum, quo Deum in carne humana, carnem noſtram in perſona divina indiviſibili æternùm nexu ita ſociavit, ut idem jam eſſet homo Deuſque. Hoc videlicet omnium Dei operum excellentiſſimum diviniſſimumque eſt: hoc Angelicus etiam ſtupet intellectus, ſed non aſſequitur. 4. Hoc eſt opus admirabile divinæ ſapientiæ, in quo, *miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculata ſunt*. Nam cùm læſa per noſtra peccata divina majeſtas ex rigore juſtitiæ ſatisfactionem poſceret infinitam: tamen miſericors & miſerator Dominus ſimul ignoſcere cuperet delinquenti: hominem ipſe Deus induit, & ſuſcepit iniquitates omnium noſtrorum, mediator ipſe Dei & hominum Jeſus Chriſtus, attritus propter ſcelera noſtra, ut divinæ juſtitiæ ſatisfieret, & *ubi abundavit delictum, ſuperabundaret & gratia*, ſimulque *miſericordia Dei* eſſet, *ſuper omnia opera ejus*. Cum non tantum delictum

2. Charitas erga nos admirabilis.

3. Potentia.

4. Sapientia. Pſ. 84. v. 11.

Rom. 5. 20.

Iuſtitia divina ſatisfecit

Deus, nobis misericordiam reliquit. delictum noſtrum à nobis auferret, ſed in ſeipſum puniendum ſuſciperet. in ſe juſtitiæ ſuæ rigorem convertens, in nos viſcera effundens miſericordiæ, quia *peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus. cujus livore ſanati ſumus.* Quin etiam naturam humanam per peccatum uſque ad infernum depreſſam, per incarnationem uſque ad cœlos, & totius divinitatis participationem exaltârit. Vnde *tanta, & tam excellens eſt hæc naturæ humanæ ſubvectio, ut quò extollatur altius non habeat.*

1. Pet. 2. v. 24.

S. Aug de. præd. SS. c. 15.

Eph. 3. 14. *Laus & exaltatio divinæ erga nos bonitatis.*

AFFECTUS. *Flecto genua mea, ad Patrem* Domini N. J. C. *ut det nobis, ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum ejus, in interiori homine. Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris, ut in charitate radicati, & fundati, poſſimus comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ* (in tam admirabili incarnationis beneficio) *ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum* charitatis ejus. Quando enim *ſic Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam*; quid ultra potuit nobis facere, quod non fecit? quis latitudinem hujus beneficii ſatis exponet, quod omnia in ſe bona, quæ cælum terraque poſſidet, comprehendit, hominem Deumque, cui omnia ſerviunt, vitam felicitatemq; (ſi dignè æſtimamus, & amamus hoc bonum) æternam? quis longitudinem, quando ab æterno hoc beneficium à ſanctiſſima Trinitate decretum, omnem deinde æternitatem collatis in ſe bonis complectetur? quis illius ſatis ſublimitatem, & excellentiam comprehendet, quam humanus intellectus non poteſt aſſequi, ille in cœlis Angelus obſtupuit, atque invidit homini, qui dixit: *aſcendam in cælum, ſimilis ero altiſſimo*: quis profunditatem illius aſſequetur, quòd eductum ex nihilo hominem ſuper cœlos angeloſque elevatum, à dextris Dei collocat, noſque omnes facit filios & heredes Dei? O ſi tam admirabile Dei beneficium, univerſus mundus agnoſceret, ſi tantam Dei ſapien-

Ioan. 3. 16.

Deſiderium ut omnes il-

ſapientiam admiraretur, potentiam veneraretur, amplecteretur bonitatem, tantúmque Dei amorem flagrantiſſima charitate & pietate exciperet! Væ mihi ingratiſſimo, qui hæc ignorare non potui, nunquam tamen ſatis expendi, aut digno honore atque amore revereri & amplecti conatus ſum! Accende in me, ô mi Jeſu ignem amoris tui, quo conflagraſti, quando jam homo, æterno te patri pro peccatis meis in ſacrificium obtuliſti.

lam homines agnoſcant & amplectantur.

II. PUNCTUM.

CONſidera, quo modo hoc divinæ incarnationis opus perfectum ſit. Electa ad hoc Virgo Maria tanquam cooperatrix, cum Deus, qui condidit hominem, carnem ipſe ſine hominis concurſu poſſet aſſumere; ſed ut magis nobis aſſimularetur, de matre naſci voluit, utque infimis quodammodo par eſſet, ex paupere etiam parente: *per omnia nobis ſimilis, ſed abſque peccato*; quia ad hoc *venerat ut deſtrueret peccatum in corpore ſuo.* Quam admiranda hæc metamorphoſis! *Cùm in forma Dei eſſet, exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Quod opus perficere noluit, ſine Virginis illius conſenſu, ut appareat, quòd in hoc abſolvendo Matri ſuæ plurimum tribuerit. Nam honorifica legatione Gabriëlis Archangeli ad Virginem Mariam deſtinata, tam exquiſitis illam verbis ſalutat, tantum honoris & reverentiæ defert, ut nulli hominum plus unquam Deus detuliſſe cognoſcatur, donec has ab illa voces humilitatis & obſequii plenas impetravit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Hic quæ Angelus Virgini, quæ Virgo Angelo reſponderit, quæ totius

Maria Virgo ad opus Dei incarnandi delecta, mirificè honoratur.

Phil. 2. 7.

tius curiæ cœleſtis ad hoc ſpectaculum afflu-
entis exſpectatio, quis affectus Dei Patris hanc ſibi deſignantis in filiam, quis Spiritus S. optantis hanc ſpōſam, quis denique Dei filii hanc ſibi in matrem depoſcentis, jucundum erit expendere. præſertim ſiquis imaginatione & ſenſibus huic ſeſe hiſtoriæ veluti præſentem ſtiterit, ut audire loquentium verba, & ſpectare vultus modeſtiámque atque humanitatem invicem contuentium videatur. Porrò & hoc nuntium Patribus in limbo verſantibus, quantum attuliſſe gaudium cenſebimus, qui poſt tot ſeculorum vota ac deſideria, jam denique venire exſpectatum tamdiu Salvatorem: idque modo tam excellenti & glorioſo, lætiſſimis acclamationibus excipiebant felicéſque dicebant illos, qui tanti Regis ante oculos poſiti veſtigia poſſent conſectari.

Fit Dei Patris filia, filii mater, S. Spiritus ſponſa.

Admiratio excellentiarum D. Virginis.

Affectus. O felix, & verè beata Virgo, quæ ad diviniſſimum hoc incarnationis opus Mater Dei electa es! benedicta inter omnes mulieres, cui fecit magna qui potens eſt: quam ſuper omnes creaturas elevatam, Angelis ſublimiorem ſibíque proximam Deus eſſe voluit. *Hæc ej enim Virginis noſtræ gloria ſingularis, & excellens prærogativa, quod filium unum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem.* Quanta in terris gratia, in cœlis gloria, quod Dei filius, *factor hominum, ut homo fieret naſciturus de muliere, talem ſibi ex omnibus deligere debuit, imò condere matrem, qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi noverat placituram! voluit itaque Virginem de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculis purgaturus: voluit & humilem, de qua mitis & humilis corde prodiret, harum virtutum in ſe neceſſarium omnibus ſaluberrimumque exemplum oſtenſurus.* O admirabile opus Dei incarnatio, ſive enim Deum ſpectem in humana carne, ſive Virginem Dei factam parentem, ſive i

S. Bern. ſer. 2. de Annunt.

Hom. 2. ſuper miſſus.

lau

am noſtram, propter quam hæc facta ſunt, ſalutem & gloriam, omnia reperio admiratione, Deique ſapientia, potentia ac bonitate pleniſſima. Nam *humanitas Chriſti ex hoc, quòd eſt unita Deo; & beatitudo creata ex hoc, quòd eſt ex fruitione Dei: & beata Virgo ex hoc, quòd eſt mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono, infinito, quod eſt Deus & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt eſſe aliquid melius [D]eo.* Ave igitur millies, ô Virgo gratia plena. Da, ut de illa tua plenitudine per incarnationem dilecti filii tui participemus; ut ille Dominus, qui tam admirabili modo tecum eſt, mecum etiam hic in gratia, olim in gloria, ſemper in amore ſuo eſſe dignetur, per illum Spiritum S. vivificantem, qui te virtute ex alta obumbratam in ſponſam ſuam eligere dignatus. O benedicta inter mulieres, fac ut ille benedictus fructus ventris tui JESUS, in cor meũ deſcendat, & in ipſo perpetua ſui vivat memoria, cognitione illuſtret, & amore inflammet, qui propterea in carnem venit, ut nos carnalibus deſideriis abſtractos ſecum in vinculis charitatis & unitate filiorum Dei ſociaret.

D. Thom. 1. p. q. 25. a. 6.

Matre Dei poſt Deum pura creatura excellentior fieri non potuit.

Invocatio Deiparæ.

III. PUNCTUM.

CONſidera, quo fine, & cujus bono potiſſimùm, tam ſtupendum Deus incarnationis opus molitus ſit? Non eſt dubium, quin iccirco, ut hominem in peccata prolapſum, mancipium Dæmonis, inimicum Dei, inferni pœnas promeritum, cœleſti excluſum gloria, à ſervitute, pœnis, morte æterna, in libertatem, Dei gratiam, æternæque felicitatis poſſeſſionem ipſe homo factus, reduceret; tum, ut ipſe in carne noſtra exemplum nobis vitæ melioris factus, non tantùm inſtructor, verùm & dux auctorque præiret in omnibus, ſuaque, cùm naturæ, tum morum vitæque ſimilitudine, & ſingularem ſuum erga nos teſtaretur amorem, & viciſſim noſtrum in ſe provocaret;

Deus carnem aſſumpſit.

1. ut Dæmonem in hac vinceret, in qua homo victus erat.

2. ut in hac exemplum vitæ daret.

cùm amor vel inveniat, vel faciat pares. poſtremò ut qui nobis hic in vita aſſimilatus, olim in gloria quoque ſocius, & par quodammodo eſſet. Nam *cùm apparuerit, ſimiles illi erimus*, quæ univerſa qualia, quantaque Dei beneficia erga nos ſint, ab uno hoc divinæ incarnationis beneficio promanantia, quæ mens ſatis concipere, aut lingua poterit explicare? Compara Deum & hominem, creatorem & creaturam, omnipotentem & impotentem, æternum & mortalem, immenſum & exili anguſtoque clauſum corpore. Hunc tamen protervè illum offendentem, qui *nec Angelis quidem peccantibus pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*: hunc illius aſpernantem, & minas, & promiſſa, & pœnam, & gratiam, *in quo vivimus, movemur, & ſumus*: hunc ab illo averſum, *ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia*, qui eſt *ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, Rex Regum & Dominus dominantium*, in quo ſunt *omnes theſauri ſapientiæ, ſcientiæ, & bonitatis Dei.* Contra intuere illum, hujus tam abjecti & perditi hominis amore, ac deſiderio revocandi inflammatum, poſthabitâ æterni patris gloriâ, & majeſtatis ſuæ excellentiâ, noſtra indutum carne ſervi & peccatoris in ſpecie apparentem, in ſe onus damnationis noſtræ ſuſcipere, ad pœnas nobis debitas offerre, labores noſtros ſuſtinere, dolores ferre, ignominiam ſubire. Ergóne propter hominem redimendum, & tam vilem, tam ingratum, tam longè infra Angelos abjectum, *curſum naturæ mutavit ſapientia Dei, & ubique divinitas*

dila-

3. ut in gloria par ille vobis, nos illi eſſemus.

Et quis eſt homo, qui talem offendit Deum?

2. Pet. 2.

D. Auguſt. ſerm. 4. de Nativ. D.

dilatata ſic eſt circumdata muliebri utero, cũ univerſa ambiret implens omnia, & excedens cuncta, & intra ſe omnia continens, & extra univerſa complectens? Opus igitur ſuum refecit quod creaverat, ſalvans quod perierat, ad vitam revocans, quod mortuum erat. O mira res! ſed non minus admiranda, quod *Chriſtus Jeſus factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio:* ipſe in carne noſtra mortali apparens, ut nobis ad omnem virtutem dux ipſe atque exemplar fieret. *Niſi enim Chriſtus verus eſſet Deus remedium nobis non adferret, niſi eſſet homo verus, nobis non præberet exemplum.* Denique an non ſtupendus ille exceſſus divini amoris in ſua eſt incarnatione; quod ipſe Deus offenſus, ille in cujus manu prompta vindicatio erat ſcelerum, ille quem nemo vindicantem arguere poterat; pro inimicis, pro viliſſimis homuncionibus, pro illis ipſis, quos mortem illaturos ſibi videbat, & carnem induerit, & vitam acceperit, quam eſſet in duriſſima morte poſiturus, eo tantùm conſilio, ut hoſtibus etiam ſuis vitam ſalutemque tribueret?

1. Cor. 1. *Qui Deus, qui talem diligit hominem?* S. Leo ſerm. 1. de Nat. D.

AFFECTUS ET COLLOQUIUM. *Benedic, anima mea, Dominum, & noli oblviſci omnes retributiones ejus, qui coronat nos in miſericordia & miſerationibus, & replet in bonis* (incarnationis ſuæ) *deſiderium noſtrum.* Graviſſimum à nobis peccati onus in ſeipſum transfert, ut nos afferat in libertatem filiorum Dei! *Reſpirate perditi, venit enim Ieſus ſalvum facere quod perierat; morbidi convaleſcite, venit enim Chriſtus qui contritos ſanat unctione miſericordiæ ſuæ; exultate quicunque eſtis grandia concupiſcentes, deſcendit enim ad vos filius Dei, ut regni ſui faciat coheredes.*

Pſ. 102. *Laus Dei.* D. Bern. ſerm. 1. in Vig. Nat.

Gratiarum actio Deo Patri pro miſſo in carne filio.

O quas Tibi, Pater omnipotens, æterne Deus gratias referam, pro tam admirabili charitate & liberalitate tua, quâ unigenitum filium tuũ, unius tecum naturæ, infinito abs te amore dilectum, tecum ab omni retrò æternitate beatum, omni bono affluentem, ad mortalem fragilémque hanc carnem, tot calamitatibus obnoxiam, aſſumendam, noſtræ redemptionis, inſtructionis, & ſalutis causâ miſiſti, qui viles creaturæ tuæ, verbo conditæ, ſuoque conditori ingratæ ſæpius fuimus? Quid obſecro in nobis placere potuit, divinæ tuæ ſapientiæ, quod unigenitum filium tuum, in eadem nobiſcum carne omnibus velles aſſimilari? Nimirum quantò noſtra major indignitas, & tua filiique tui ſublimior dignitas, quantò ingratitudo noſtra conſpectior, conditio abjectior, ſervitus turpior; tantò manifeſtior in te miſeratio, bonitas gratuita copioſior, charitas impenſa ardentior eminet.

Dei filio pro tanta demiſſione.

Sed quando ad te me converto, ô ſapientia æterna, teque immenſam in exigua carnis menſura, æternam video in tempore, immortalem in mortali corpore, infinitæ majeſtatis in abjecta vilitate naturæ humanæ, in cœlis dominantem, & materno clauſam utero; & hæc univerſa mei redimendi cauſa, ac per viam ſalutis ad cœlum ſuo exemplo reducendi gratia factum intelligo, nec cogitationes, nec verba invenio, quibus gratias, ut par eſt, referre queam. Nam totum me tibi ô Jesu debeo, qui te totum pro me impendiſti, & tam copioſa redemptionis gratia, ut felix nobis videri poſſi

Ad

Adæ culpa, quæ talem ac tantum meruit redemptorem. *Vehementer* quidem *nobis vir unus & mulier una nocuêre; ſed gratias Deo, per unum nihilominus hominem, & mulierem unam omnia reſtaurantur, & non ſine fœnore gratiarum: neque enim ut delictum, ita & donum; ſed excedit damni æſtimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentiſſimus artifex, quod quaſſatum fuerat non confregit, ſed utilius omnino refecit; ut novum hominem nobis formaret ex veteri Adam, & Evam refunderet in Mariam.* O mi Deus, fac, ut hæc tanta benignitas tua, & profuſio tui, mihi in ruinam non cedat, ſi ingratus tanto beneficio exiſtam. Nam Simeonem dicentem audio: *Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum.* In ruinam utique illorum, de quibus inquis, *ſi non veniſſem, & locutus non fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent.* Quomodo enim excuſaturus ſim, ſi tantam bonitatem tuam neglexero, charitatem non amavero, majeſtatem in carne debita veneratione proſecutus non fuero?

Bern. in ſignum M. Apoc. 12.

Luc. 2. 34.

Ioan. 15.

O divine ſpiritus, qui electam à Deo ad mirabile incarnationis opus Virginem tua virtute elevaſti, adumbraſti fecunditate ardore inflammaſti, ut talem ac tantum conciperet ac pareret redemptorem, te ſupplex imploro, ut gratiam mihi ad hoc tantum beneficium agnoſcendum, fortitudinem ad vincenda peccata, & exemplum Chriſti ſequendum, conſtantiam denique ad perſeverandum in via ſalutis, & promeritam à verbo incarnato gloriam obtinendam tribuere digneris.

Deo Spiritûi S. pro Virgine fecundatâ.

 O Piiſ-

Deipara interceſſio apud Deum implorata.

O Piiſſima Dei Mater & Virgo, fac per interceſſionem tuam, ut quæ ego longè indigniſſimus poſtulo, tua interveniente gratia, ut queam impetrare. Qui te in filiam elegit æternus pater, hanc multò inferiorem gratiam lubens indulgebit: nec quicquam poterit negare illi filius, quam in Matrem ſibi adoptavit, nec Spiritus S. dilectiſſimæ ſibi ſponſæ preces repudiabit. Succurre, ô digniſſima Mater, indignitati meæ, & quæ ipſam de cœlo miſericordiam concepiſti, impetra miſerentis Dei perpetuam benedictionem. ut per illius beneficium illi me aſſimilare valeam in gratia, qui ſe mihi aſsimilare dignatus eſt in natura. Ita omnibus votis deſidero, omnibus ad hoc deſideriis anhelo.

DISTICHON MEMORIALE

O res mira, in carne Deus (2) quam Virgo Deúſque
Perficit (3) ad vitam duxque ſaluſque mihi!

MEDITATIO III. DIEI IV.

Reſpondens Contempl. DE NATIVITATE.

VERITAS. Deus in Bethlehem Judæ, in ſtabulo, inter pecora natus homo, admirabile nobis præbuit ſpectaculum, & virtutum omnium exemplum: illis, qui ſalutem ſuam amant, imitandum. (2) Inprimis verò humilitatis, quæ tanquam fundamentum ceterarum virtutum, in Salvatore noſtro naſcente præcipuè eminuit. (3) Tum contemptus mundi ejuſque bonorum: quæ, tanquam minus convenientia ſaluti, Chriſtus ſuo nobis exemplo docuit eſſe negligenda.

ORATIO PRÆPARATORIA.

PRÆLUDIUM triplex. I. *Hiſtoriam Virginis in Bethlehemitica ſpelunca inter pecora parientis, & reperti illic Chriſti nati recole.*

II. *Imaginationem hujus loci, infantiſque cum Matre exhibet.*

III. *Gratiam myſterium hoc dignè cognoſcendi fructumque inde ſpiritualem colligendi poſtulat.*

I. PUNCTUM.

COnſidera, quod ſi tu cum Paſtoribus aut Regibus ad hujus myſterii nati Dei contemplationem ab Angelis vocatus eſſes, quantâ admiratione, quâ mentis extaſi, defixus hæreres,

Chriſtus in ſtabulo virtutum omnium incentivũ & exemplum eſt.

reres, quantâ demiſsione ac veneratione te in terram abjiceres, quando ſupremam Dei majeſtatem ita cerneres humiliatam! quantâ patiendi cum illo promptitudine flagrares, quando illum vilibus contectum pannis, brumali in frigore rigentem, tremulum, lacrymantemque adſpiceres! quomodo mundi hujus vanitatem, pompam & honores aſpernareris, quando illum ſic deſpectum & abjectum inter pecora, qui regali in aula naſci poterat, contemplareris! quantum à mundi hujus deliciis, à carnis blandimentis abhorreres, quando intuereris hic Deum tuum, omnium rerum Dominum, omnis lætitiæ & voluptatis autorem, relictis hiſce illecebris, elegiſſe, quod carni aſperius eſt, mundúſque averſus deteſtatur! quanto amoris æſtu ſuccenſus arderes, quando hæc omnia tuæ ſalutis gratia, Deum tuum feciſſe expenderes, ex immortali factum mortalem, ut te immortalitate donaret; ex omnipotenti cœlorum Domino, imbecillem in terra & carne noſtra, ut te de terris ad cœlum erigeret; ex glorioſiſsimo Angelorum Rege, formam ſervi induentem, ut te ex ſervitute diabolica aſſertum in Angelorum gloria collocaret. At hæc ipſa non minus certò per fidem modò facta intueris, quàm ſi ipſe coram præſens adſiſteres. Certè Iſaias hunc jam olim in ſpiritu prævidens, cum gaudio exclamavit: *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Nobis, inquit, non Angelis, licet etiam per peccatum lapſis datus eſt; utque hominem peccatorem redimeret, factus eſt homo. Stupenda res! ille qui offen-

Deus offenſus magis de reconciliatione, quam

offenſus eſt, de conciliatione nobiſcum ineunda laborat, & modo tam admirabili, ut ſe ad hominem demittat Deus, quò ad Deum elevetur homo. *Ab initio naſcentis mundi creavit nos Deus ad ſimilitudinem ſuam; ecce in hac* (nativitatis) *die, factus eſt Deus ad ſimilitudinem noſtram.* Etenim, verbum caro factum eſt, ut homo fieret Deus. Quomodo in hoc ſpectaculo ſenex Simeon gaviſus eſt, quando deſideratum tot gentibus ſuis ipſe ſpectavit oculis, ſuis ulnis complexus exclamabat: *nunc dimitte ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum!*

homo, ſollicitus.

Aug. ſerm. de Nat.

Luc. 2.

AFFECTUS. O anima Chriſtiana, quanta tu præ tot gentibus antiquiſque Patribus, fruſtra hunc Salvatorem ſpectare præſentem, vel præteritum cupientibus, felicitate bearis! Ecce habes quod tantopere ab aliis deſideratum. Ecce jam venit Dominator Dominus exſpectatio gentium, ſalus noſtra, redemptor noſter. *Via, veritas & vita* noſtra; via ad perfectionem, quia dux ipſe & magiſter exemplum nobis dedit, ut quemadmodum ipſe fecit, & nos faciamus: veritas ad ſalutem, ut *qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Igitur & vita noſtra eſt, qui venit, ut perditi vitam habeant, & abundantius habeant. ut exclamare nunc liceat, *O felix Adæ peccatum, quod talem ac tantum meruit habere redemptorem!* Quam bene corrigitur Adæ error, per talem de cœlo inſtructorem! *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo, exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei.* Et hanc tantam gratiam ſoli homini, & mihi præ tot aliis ſingulari agnitionis beneficio præſtitam, ingratus negligam, Domini & Magiſtri talis inſtructionem non admittam! An qui in tenebris ſum, non ſequar illum, qui *eſt lux vera quæ illuminat omnem hominem?* an aliquid

Agnitio felicitatis Chriſtianorum ex eo, quòd Deum hominem factum præ gentibus & Iudæis agnoſcant.

Ioan. 14.

Ioan. 3.

Tit. 2, 11.

Igratus Chriſtianus

rectius

qui Dei ſui ſortem vitamque ſequi detrectat.

rectius invenire aut ſapere potero, quàm ipſa de cœlo ſapientia æterna? quomodo poſſum illa quæ ipſe contempſit amplecti, quæ amplexus eſt contemnere? opibus illis animum affigere, quæ ipſe opum conditor aſpernatus eſt? illis mundi carniſque voluptatibus delectari, quæ tantopere averſatus eſt, ut afflictionem doloremque his oppoſitum longè avidius ſit conſectatus? quomodo laudem honoremque vanum appetere, quando Deum meum pro his contemptam abjectamq; vitæ ſortem amaſſe video? Poterat ille rerum omnium Dominus, innoxiè his univerſis ad Dei patris ſui gloriam uti; quod verò abſtinuerit, & his ſe privaverit vitæ ſuavioris commodis, mei, his facilè ad perniciem abuſuri, causâ factum, ideóque *dedit* nobis *exemplum, ut quemadmodum ipſe fecit, & nos faciamus: non eſt enim ſervus major Domino ſuo.* Verùm, ô bone Jeſu, quia ſine te nihil poſſumus: aperi quæſo oculos, & cor meum, ut pulcherrimam virtutum tuarum ideam, quam nobis in carne naſcens ſtatim exprimere dignatus es, in perpetua memoria fixam habeam, cogitatione ſedula proſequar, & intimo cordis affectu deſiderioque imitationis amplectar, ut qui ad meam ſimilitudinem in carne factus es, ad tuam in moribus me poſſim conformare.

II. PUNCTUM.

Chriſtus natus ſingulare humilitatis exemplum dedit.

CONſidera, quod licet Deus in carne noſtra penè omnium nobis jam tum naſcens virtutum exemplum reliquerit: tamen ſingulare prorſus humilitatis, & contemptæ vanitatis mundanæ exemplum fuerit. Et humilitatis quidem, ut quemadmodum Angelorum & Adami lapſus, ex ſuperbia potiſſimum ortus eſt, quòd ſicut Dii eſſe cuperent: ita reparationem generis humani & fundamentum ſalutis noſtræ ab humilitate Chriſtus ducendum eſſe oſtenderet. Hinc & ſuis neceſſitatem hujus virtutis, ante ceteras omnes expoſiturus, parvulo infante in medium adducto, inquit: *Niſi converſi*

verſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. idque præcipuè in exemplo atque imitatione ſui obſervari voluit: *diſcite*, ait, *à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Matt. 18. 3. Matt. 11.

Expende igitur 1. quid vera humilitas ſit, & quomodo hanc Chriſtus, ſtatim natus, in ſe ſuaque vita expreſſerit. Eſt enim virtus, quâ homo, ex intima cognitione ſui & Dei, ſibimetipſi vileſcit, viliſque ab omnibus haberi deſiderat. Dum enim cogitat univerſa tam naturæ, quàm gratiæ dona, ſibi à Deo gratuitò collata eſſe, ſolumque, ut ſic loquar, nihilum, tam naturæ, quàm peccati, habere ex ſemetipſo, meritò ſibi vilis eſt: taliſque ab univerſis poſtulat haberi. Ita Chriſtus omnia ſe à patre ſuo habere teſtatus eſt: de ſe verò aſſeruit: *ego autem ſum vermis; & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebis.* nam & humana natura ex nihilo producta erat, & *peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo.* Quocirca *humiliavit ſemetipſum formam ſervi accipiens.* Et cum poſſet in hanc vitam natus, tanquam Meſſias & Rex ſupremus Judæorum illâ quâ erat, potentiâ, ſapientiâ, & majeſtate coram mundo univerſo in regali purpura apparere & adorari; maluit tanquam impotens, inſipiens, abjectusq; puer, à vulgaribus parentibus in vili ſtabulo, tanquam ultimus hominum, procreari, & pauculis tantùm paſtoribus ac peregrinis Regibus, unde fama tantæ nativitatis celebrari minus poſſet, innoteſcere. Tantus fuit amor pretiumque tradendæ nobis ſuo exemplo humilitatis, & publici contemptus deſiderium.

Quid ſit humilitas.

Pſ. 21.

Philip. 2.

Expen-

Quomodo hac ex te & à Salvatore diſcenda.

Expende 2. qua ratione hanc à Salvatore tuo diſcere, & ſequi illius humilitatem queas. Nempe ſi primò ſæpius recolas, quam omnino nihil ex te ſis ſecundum eſſe, poſſe, ac operari, tam in natura, quàm gratia, *qui enim putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Deinde quantò etiam infra hoc nihilum abjiciendus ſis, qui tuâ malitiâ in nihilum peccati, hoc eſt abyſſum miſeriarum omnium decideris, ideóque meritò infra omnem creaturam deſpiciendus ſis, etiamſi unum tantùm veniale delictum admiſiſſes, cùm hoc gravius ſit, quàm ut omnes pro illo homines, ſine Chriſto nato poſsint ſatisfacere. Quare ſi vilior etiam quovis cane haberetis, indignari jure non poteris, cùm nullus contemptus ſit, qui cum hac tua deſpectione queat æquiparari. Nec eſt, quòd aliis etiam graviſſimis peccatoribus te præferas; cùm divinæ tantùm gratiæ debeas, quòd pari caſu non ſis prolapſus, quia *non eſt peccatum quod fecit homo, quod non faceret alter homo, ſi deeſſet ille, per quem factus eſt homo* Et fortaſsè quem tu judicas peccatorem, à Deo in gratiam receptus jam eſt, aut certè recipietur, cùm tu adhuc in peccatis es relinquendus, ſignum autem majus in te gratiæ habere non poteris, quam ſi humilieris ſub potenti manu Dei. Denique credendum firmiter, quòd in omni verbo cogitatione & opere tuo magis pendeas à Deo, quam à ſole radii, à pictore penicillus & imago. quid enim habes, quod non accepiſti, & ſi accepiſti cur gloriaris? *Multa facit in homine Deus bona, quæ non facit homo; nulla autem facit homo, quæ non faciat*

Gal. 6.

D. Auguſt.

D. Aug. contra Epiſt. Pelag.

aciat Deus in homine. Ceterùm licet tot tantæque rationes humiliandi nobis deeſſent: *Deus factus humilis eſt, ut vel ſic ſuperbia generis humani non dedignetur ſequi veſtigia Dei.* Id. in pſ. 31.

AFFECTUS. Sequar te Domine Jeſu, ſequar quocunque ieris. Tu ante docuiſti exemplo, quod poſtea tradi-turus eras verbo; *qui ſe humiliat, exaltabitur:* quondam in ignominia, nunc in gloria, quondam in præſepi & inter pecora, nunc ad dexteram patris tui in gloria, quam rectè docuiſti' *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. O doctrinam ſalutarem! ô magiſtrum dominumque mortalium! Huccine redacti ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi in te, ut pro magno diſcamus à te, quoniam mitis es, & humilis corde? Itane magnum eſt, eſſe parvum; ut niſi à te, qui magnus eſt, fieret, diſci omnino non poſſet?* Tu pauperem, contemptamque vitam eligis; cùm, & locupletiſſimus, & honoratiſſimus mortalium eſſe poſſes, citra Dei hominumque injuriam; & nobis, quibus ad opes honoreſque tam difficilis, nec ſæpe niſi cum aliorum Deique ipſius offenſione, aperta via eſt, penuriam aut contemptum perferre grave atque intolerabile non rarò videatur. Deus vile ſordidumque pecorum ſtabulum, pannoſque inopum naſcens præ Regum aulâ purpurâque delegit, & nos mollem habitum pretioſamque habitationem conſectemur? Sanè *pretioſiores panni Salvatoris omni purpura, & glorioſius præſepe auratis Regum ſoliis, ditior deniq; Chriſti paupertas cunctis opibus, cunctiſque theſauris ſeculi. Quid enim humilitate ditius, quid pretioſius invenitur?* Tu cum eſſes Theanthropos, qui poſſes per te ipſum omnia, humiliaris: & ego, qui nihil poſſum à meipſo, ſed per te ſolum omnia, etiamnum extollar? Tu cum eſſes ab omni peccato remotiſſimus, gratiarum divinarum theſaurus, virtutum exemplar omnium, contemneris: & ego tot tantorumque colluvies ſcelerum, toties conceſſarum mihi gratiarum prodigus neglector, tam procul à tuis virtutibus, contemni non appetam? quid in me obſecro eſt, quo poſſim gloriari, quid non eſt contemptu & opprobrio digniſſimum? Si in conſpectu

Amor humilitatis ad exemplum Chriſti naſcentis.

Matt. 11. 29.

Aug. l. de S. Virg. c. 35.

Bern. ſer. 4 in Vigil. Nat Dom.

tuo

tuo Angeli obvelata facie confunduntur, atque humiliantur indignitate ſua, quis denique mihi locus relictus eſt quo me poſſim ex æquo demittere? Ipſum verò Angelorum Dominum, quando ſic video humiliatum, jam in ipſa humilitate mea propriam adhuc erubeſco ſuperbiam & vix umbram contemptus habet, quidquid in tanta vilitate perfero ignominiæ. Nulli igitur mortalium, qui me contemnet, in his illiſque occaſionibus N. N. indignabor amplius: memor ſemper, graviori me adhuc contemptu dignum, & acerbiora Chriſtum ſuſtinuiſſe.

III. PUNCTUM.

Gratiora hujus mundi bona, minus Deus ſaluti conducere voluit, quàm quæ parum grata ſunt.

CONſidera, Deum autorem omnium quæ in mundo ſunt, multa inter ſe oppoſita ut mutuò ſe illuſtrarent, miſcuiſſe. Aliis dediſſe opes, contraque aliis reliquiſſe inopiam aliis contuliſſe honores ac dignitates, aliis vile atque ignobile vitæ genus: aliis voluptatum conceſsiſſe uſum, aliis labores doloreſque impoſuiſſe ſuſtinendos. His verò omnibus hominem tam ad ſalutem uti poſſe quàm ad perniciem voluit. Eâ tamen lege, ut quo quæq; gratiora, magiſque accepta hominibus in hac vita acciderent, tantò ad ſalutem minus eſſent convenientia. Quod, ut mundo eſſet manifeſtius, ſuo ipſe exemplo & delectu illorum, à quibus homines potiſsimum abhorrerent, oſtendit. Diabolus enim jam à mundi exordio hominem per illa, quæ carni affectibusque humanis gratiora erant, præcipitavit. Ergo, *in hoc apparuit filius Dei in mundo, ut diſſolveret opera Diaboli*: Elegit ſibi Diabolus ad ſeducendum hominem concupiſcentiam gloriæ ac dignitatis, quâ Adamum & Evam pellexit: *eritis ſicut Dii:* concupiſcentiâ etiam carnis penè totum mundum in exitium traxit, diluvio punitum:

1. Ioan. 3. Diabolus gratiora pro ſeducendis hominibus elegit.

concu-

concupiſcentia oculorum divitiis inhiantium, tot præcipites rapit ut Chriſtus aſſerat: facilius camelum per foramen acus, quam divitem ad cœlorum regnum tranſiturum. Ita, prô dolor! *omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* 1. Ioan. 2. & Diabolus à Chriſto *princeps hujus mundi* dicitur. Cujus tanta ad ſeducendum audacia, ut ipſi etiam Salvatori noſtro in excelſum montem ſublato *regna hujus mundi* oſtenderit, obtuleritque, ſi cadens ſe adoraret. Verùm Chriſtus, his jam à prima ſua nativitate ſpretis, oſtendit exemplo, quod poſtea tradidit diſcipulis verbo: *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Tota vita Chriſti morum diſciplina fuit. Satellites voluptatum divitias perniciosè appetebant, pauper eſſe voluit: honoribus & imperiis inhiabant, Rex fieri noluit: carnales ſuos filios magnum bonum putabant, tale conjugium prolemque contempſit: contumelias ſuperbiſſimè horrebant, omne genus contumeliarum ſuſtinuit: injurias intolerabiles eſſe arbitrabantur, quæ major injuria, quàm juſtum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur, flagellatus atque cruciatus eſt. Mori metuebant, morte mulctatus eſt: ignominioſiſſimum mortis genus crucem putabant, crucifixus eſt. Omnia quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo vilia fecit: omnia quæ vitare cupientes, à ſtudio deviabamus virtutis, perpetiendo recepit.* Quid ergo? non ſequemur illum, qui eſt ſapientia æterna, ſolus perfectiſſimè *ſciens reprobare malum, & eligere bonum.* Equidem fateor: *Non eſt tale judicium*

Chriſtus graviora pro reducendis.

1. Ioan. 2.

S. Auguſt. de vera relig. c. 16.

Præſtat eligere cum Chriſto.

Iſa. 7.

Bern. ſer. 3. de Nat. *mundi. Aut iſte fallitur, aut mundus errat; ſed divinam falli impoſſibile eſt Sapientiam. Chriſtus elegit, quod moleſtius eſt. Id ego meliùs, id utilius, id potius eligendum.*

Affectus et Colloquium. O quam diverſa oratio illorum eſt apud Sapientem, qui clamant, *venite & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra*: & Chriſti in ſtabulo, contraria omnia agentis & ſuſtinentis! hic clamant ipſius panni, clamat ſtabulum & præſepe: vana eſſe mundi bona, creaturæ uſum fallacem, mollitiem & luxum luxuriámque damnabilem ac fugiendam, vanum omnem mundi faſtum & ſuperbiam. *Quid verò magis indignum, quid deteſtandum amplius, quid gravius puniendum, quàm ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra apponat homo ſe magnificare ſuper terram? Intolerabilis impudentia, ut ubi ſe exinanivit majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat.* Audio & admiror Uriam virum militarem à Davide ad mollem quietem, & voluptatem etiam honeſtam invitatum dicere: *Dominus meus Ioab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & dormiam cum uxore mea? per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Et ego videam Deum Salvatorem, meæ etiam ſalutis gratia, in abjecto procumbentem ſtabulo, inopem, deſertum, voluptate & honore omni deſtitutum, ſtulta mundi vanitate ſpreta, amplectentem contempta & aſpera, ac tali tantóque exemplo ad delitias divitiáſque hujus mundi vel deſerendas, vel minus perditè amandas non commovear?

Sap. 2. *Deſideria hominum mundanorum & Chriſti oppoſita.*

Bern. ſerm. 1. de Nat.

2. Reg. 11.

Colloquium.

Ioan. 1. *Deſiderium conformandi ſe Chriſto in electione mediorum ad ſalutem.*

O Domine Jesu, qui es *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, fac ut illud exemplum nativitatis ac vitæ tuæ ſanctiſſimæ impreſſum cordi meo, ſemper & dignè agnoſcam, & demiſsè venerer, & cupidè ſequar.

ſequar. Quid enim ſapientius potero, quàm quod ipſam videro, de cœlo amplecti Sapientiam? quid utilius, quàm quod ipſum ſalutis meæ autorem optimũ intueor, ad me invitandum, delegiſſe? quid glorioſius, quàm quod ipſe Dei filius ex voluntate æterni patris ſui ſecutum intelligo, *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*? O utinam, per illius patris gratiam conformis fieri poſſim imagini filii ipſius, & in hac illi vita per imitationem, in futura ſociari per gloriam! Scio enim quod *qui vult manere in ipſo debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Gaudebo igitur Deoque gratias agam, ubicúnque contigerit me in defectu commodorum hujus vitæ, præſertim in his illíſque, ubi facile queri ſoleo, occaſionibus NN. cum Chriſto redemptore meo affligi. Ita Domine, ſic ſtatuo coram te, ſic faciam.

Col. 2.

1. Ioan. 2.

DISTICHON MEMORIALE

In ſtabulo Deus ortus homo (2) virtutis imago
Naſcitur (3) & mundi quid ſit inane, docet.

MEDITATIO IV. DIEI IV.

Reſpondens Diei ſecundæ Hebd. 2.

DE PRIMA ÆTATE CHRISTI.

VERITAS. Chriſtus jam in prima ætate ſua ſingularis obedientiæ exemplar, legi Dei in circũciſione paruit, Herodi Regi in fuga cedendo, parentibus ſubditus. Oſtendens quanta eſſet hujus virtutis cùm utilitas, tum neceſſitas. (2) Huic pietatem erga Deum, ſingulari in templo Dei commoratione & ſtudio junxit, Deum parentibus & rebus ceteris præferendum docens, quod hinc derivetur in nos omne bonum. (3) Unde factum, ut proficeret ſapientiâ, & gratiâ, coram Deo & hominibus, nobis in his omnibus ad exemplum propoſitus.

ORATIO PRÆPARATORIA communis.

PRÆLUDIUM triplex. 1. *Hiſtoriam præcipuam primæ ætatis Chriſti proponit, ut circumciſionem, & oblationem in templo fugam in Ægyptum & reditum, moram in templo, & ſubjectionem parentibus præſtitam.* 2. *Imaginationem his conformat.* 3. *Gratiam hinc proficiendi poſtulat.*

I. PUNCT

I. PUNCTUM.

CUm tria ſint, quæ potiſſimum ornent primam ætatem noſtram, prompta obedientia, ſedula pietas & devotio, tum denique profectus in bonis artibus & ſapientia: videndum nobis erit, quemadmodum hæc in prima ſuæ ætate Chriſtus expreſſerit, nobíſque imitanda propoſuerit. *Ornamenta primæ ætatis.*

Conſidera 1. Obedientiam eſſe voluntariam ſubjectionem, quâ homo, propter Deum, alterius voluntatem exequitur, quæ tantò perfectior eſt, quantò res gravior, perſona imperans vilior, intentio operantis ſanctior, & promptitudo major. Sive illa legibus, ſive Regibus, ſive etiam parentibus præſtetur. In hac Chriſti perfectio ſuprema fuit. Nam duræ circumciſionis legi, cui obſtrictus ipſe nequaquam eſſet, quamque jam uſu rationis pollens, præ reliquis infantibus gravem ſentiebat, ad exemplum obedientiæ, ultrò ſe ſubmiſit. Regi improbo Herodi ſe perſequenti, cum opprimere Tyrannum mille modis poſſet, tanquam inferior & imbellis ceſſit: parentibus longè ſe inferioribus, ipſe Deus & homo, in omnibus ita obſequens, ut S. literæ hoc de illo elogium ſingulare reliquerint: *erat ſubditus illis.* Prompta fuit Chriſti obedientia, quia ſine cunctatione: integra, quæ in nullis quantumvis arduis deficeret: ſyncera, quæ optima ex intentione rectiſſimæ ſe Dei voluntati conformandi profecta eſſet: cum gaudio alacris, quòd Chriſti *cibus eſſet*, uti loquitur, *facere voluntatem patris ſui, qui in cœlis eſt*; denique perſeverans, ut *Obedientia eſt voluntaria ſubjectio homini præſtita propter Deum.* *Ioan. 4.*

quæ morte etiam duriſſima imminente, cùm citra hanc nos poſſet redimere, voluntate tamen patris intellectâ, obſequi voluit, donec conſummatum eſſet. Fuit igitur obedientia ipſius omnibus partibus abſoluta, & quaſi ad hoc ſolum agendum miſſus eſſet: *in capite*, ait, *libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam dilexi.*

Pſ.39. v.8.

Vtilis eſt ad errores judicii & voluntatis propria cavendos.

2. Conſidera hujus virtutis utilitatem. Nam cum judicii proprii imbecillitate ſæpe fallamur; falli nunquam poſſumus, ſed eligimus, quod optimum eſt, ſi judicio nobis imperantium, aut etiam legis præſcriptæ acquieſcamus. Nam cùm leges, aut ſuperiores audimus, Deũ audimus. *Qui vos audit*, ait Chriſtus, *me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* at Deum audiendo falli non poſſumus. Et Paulus monet: *obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis; ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Unde, ſi ex humana fragilitate ſuperiores præcipiendo aberraſſent: tota erroris ratio ſuperiori reddenda incumberet, ſubditus ſuæ obedientiæ merito non careret. Quæ etiam cauſa eſt, cur nefas ſit præcipientibus obloqui, rationéſque opponere; aut iccirco ſolùm obſequi; quia ratio ſuadet æquum eſſe, quod jubetur: talis enim non ſuperiori, & Deo, ſed ſuæ paret rationi. ut, qui credit, quia ratio ſola dictat, non credit Deo, ſed ſibi. Rurſum perverſa noſtra voluntas, ſenſibus nimium & carni obnoxia, melius certiúſque, quàm alieno imperio, regi non poterit; quia velut tranquillo in portu navigat, diverſos fluctus tentationum

Heb. 13.

ium evitat, publicam alit pacem & concordiam, ingentis apud Deum meriti theſaurum colligit; cum voluntas propria, tanquam tempeſtuoſum mare, & ſe, & alios concutiat, ac velut peſſima in corpore lepra, omnia opera propria inficiat. *Tollatur voluntas propria, & infernus non erit.* D. Bern.

3. Conſidera hujus virtutis neceſſitatẽ. Omnis enim creatura Deo neceſſariò ſubditur, ideóq; & homini propter Deum. *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Itaq; qui poteſtati reſiſtunt, Dei poteſtati reſiſtunt. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Unde Saul, quòd peperciſſet Agag & prædæ, ut victimam inde Deo immolaret, cùm Samuel juſſiſſet omnia deſtrui, reprobatus ejectúſque regno, audire coactus eſt: *nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius, ut obediatur voluntati Domini?* Attende etiam obedientiæ dignitatem. Nam Chriſto aſſerente, *qui facit voluntatem patris, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Tantùm Chriſtus ejuſmodi ſui imitatori tribuit, ut obedientiæ filium, ſibi velit eſſe dignitatẽ, & velut ſanguine, proximum.

Rom. 13.

Neceſſaria eſt, quia Deo obedire tenemur.

Et honorificum eſt, parere Deo.

Matt. 12.

AFFECTUS. Ergóne ô ſuaviſſime JESU, qui ſapientia patris æterna es, & tamen in carne mortali ab aliis regi voluiſti, mihi hoc ſit difficile? quid melius eſſe viventi agentíque in hoc mundo poterit, quàm quod ipſa ſapientia incarnata delegit? quid dulcius ſuaviuſque, quàm velut in brachiis aliorum adeò ſecurè portari, ut neque conſilio in agendo patiendôve deſtituaris, nec errore poſſis offendere; ſed tutiſſima ſequaris Salvatoris tui veſtigia *qui non venit facere voluntatem ſuam, ſed ejus qui miſit ſe patris?* Quid magis neceſſarium, quàm creaturam ſubjici creatori ſuo, quando *venti etiam & mare obediunt ei, &*

Admiratio ſuaviſſimæ diſpoſitionis Dei per obedientiam nos tutò dirigentis.

Ioan. 5.

non ſit qui voluntati ejus poſſit reſiſtere? quid magis denique glorioſum, quàm Deo redemptori ſuo, qui à prima nativitate ſua obediens factus eſt uſque ad mortem crucis, in vita ac morte etiam quantum licet, aſſimilari; ut ejus frater, & coheres dici, atque eſſe mereatur? Tu Deus cum eſſes patri obſequens, dixiſti *ecce venio*, & ego terræ vermiculus auſim obluctari? O mi JESU, ecce venio: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, & quoniam ego ſervus tuus.* Non tantùm amplectar omnia, quæ in lege tua ſcripta ſunt, verùm etiam ſequar *Eccleſiam* tuam, quam *qui non audierit, velut Ethnicus & publicanus, habendus eſt. Fidelia omnia mandata tua, confirmata in ſeculum ſeculi, facta in veritate & æquitate.* Ubi anceps res in fide, aut moribus fuerit, non meo fidam in ſcripturis judicio, quod omnes hæreticos decepit: non diſcedam à communi Eccleſiæ corpore, quod pace & charitate læſa ſchiſmatici faciunt; ſed *interrogabo majores meos, & dicent mihi:* quæram in omnibus actionibus meis, præſertim arduis & perplexis: *Domine, quid me vis facere?* nec deſpiciam perſonam hominis, aut legis mihi imperantis negligam autoritatem; ſed in omnibus te Deum meum ſanctiſſimamque tuam voluntatem intuebor, huic ſine diſputatione rationem omnem ſubmittam, ſine tergiverſatione, tam minima, quàm maxima ipſius mandata, promptè, integrè, alacriter, conſtantérque amplectar. Ecce *paratum cor meũ Deus, paratum cor meũ,* tu tantum, per gratiã tuam, *da quod jubes, & jube quod vis.*

Et quis ad Chriſti, hominibus obedientis, exemplum, obſequi detrectet?
Pſ. 142.
Pſ. 110.
Deut. 32.
Act. 9.
Aug.

II. PUNCTUM.

COnſidera, quæ Chriſtus, jam tum in prima adoleſcentia, pietatis ac devotionis ſpecimina dederit. Nam poſtquam cum Matre & Joſepho Solymitanum templum devotionis cauſa adiiſſet, tanto illic ardore ſtudioque orationis ac rerum divinarum verſatus eſt, ut à parentibus ſe ſubducens toto illic triduo ſine faſtidio hæſerit. *Remanſit puer Jeſus in templo*; parentum amans, ſed magis Dei: ſemper obe-

Devotio Chriſti in templo perſiſtentis, & à parentibus divulſi, ad majus Dei obſequium.
Luc. 2.

obediens & ſubditus; niſi ubi cultus, & honor Dei obſtitiſſet. Queruntur illi, & ajunt: *dolentes quærebamus te:* quibus ille: *neſciebatis, quod in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* Dei voces ſunt, *qui amat patrem & matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Hoc aliquando verbis docturus, nunc exemplo tradere voluit. Quia *oportet magis obedire Deo, quàm hominibus.* ut oſtenderet, tunc ſolùm non ſequendos parentes, cùm nos à domo Dei, pietate, ac religione avocant. Deinde & adoleſcentibus curæ eſſe debere pietatem; & parentibus, ut ad hanc ſedulò educentur. Matt. 10.

2. Conſidera, quæ Chriſti exercitia fuerint in domo Dei. Nempe vacare orationibus, quia *domus Dei, domus orationis* eſt: adeſſe reverenter ſacrificiis, quæ Deo immolabantur: & audire Eccleſiæ Doctores, interrogare, atque interrogatis reſponſa modeſtè prudentérque reddere. Quæ cum omnium ſtupore Chriſtus præſtitit; ut dubitandum non ſit, quin inter ſe dixerint: *quis putas puer iſte erit?* cum hæc ſint ſpiritualis vitæ noſtræ principia; hi canales gratiarum, & cœleſtis ſapientiæ; hæc interioris hominis, & qui ſecundum Deum eſt, decora atque ornamenta. Qui enim Deo conjunctus eſt, ex his exercitiis ſingularem cùm fructum, tum jucunditatem percipit. *Si enim, qui cum magno aliquo & admirabili viro multum verſatur, ex ejus conſuetudine non exiguum fructum percipit; quantò magis qui cum Deo perpetuam habet conſuetudinem?* *Occupatio Christi in templo.* Chryſoſt. in pſ. 4.

3. Conſidera, ſi hoc Chriſti exemplum ſe- *Qui exem-*

 cutus

plo Chriſti, Deo adhærent, his & temporalia, & ſpiritualia in hoc mundo bona ſuppeditantur.

cutus hactenus eſſes, quanta inde tum hujus, tum alterius vitæ commoda & ſolatia potuiſſes colligere; & ſeriò juxta expende, quemadmodum hæc tua negligentia, in reliquo quod ſupereſt vitæ tempore, queat compenſari, ſi ex hoc momento ardenti Chriſtum ſtudio coneris æmulari. Habebis enim primò temporalem benedictionem, niſi Chriſti fallat promiſſio: *quærite primum regnum Dei, & cetera omnia adjicientur vobis.* Deinde in omni adverſitate Deus te eruet, illique hujus beneficii gloriam tribues, ipſo teſte ac promiſſore: *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Peccata tibi dimittentur, ut Publicano in templo oranti, qui *deſcendit in domum ſuam juſtificatus.* Illuſtraberis divino virtutum lumine, monente regio pſalte: *accedite ad eum, & illuminamini.* Charitate Dei proximique inflammaberis, quando, in *meditatione tua exardeſcet ignis.* Denique hic potiſſimum licet *guſtare & videre, quam ſuavis eſt Dominus.*

Luc. 12. Pſ. 49. Luc. 18. Pſ. 33. Pſ. 38. Pſ. 33.

Et quid obſecro in hac vita agimus, ſi hoc non agimus, ob quod nati ſumus, propter quod omnes creaturæ nobis ſerviunt, *ut cognoſcamus te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum?* Quæ nobis converſatio placere dignè in hoc mundo poterit, ſi illam faſtidimus, quæ cum Deo eſt fonte bonorum omnium? In cujus, obſecro, familiaritate, aut jucundius innoxia mentis voluptate, aut ſecurius ab omni adverſitatis oppreſſuræ metu, aut utilius cum affluentia cæleſtium bonorum, aut glorioſius cum gratia & amicitia Domini Dominan-

Ioan. 17.

minantium Dei Patris conditoris, & filii ejus redemptoris noſtri, licet verſari?

AFFECTUS. *Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra* invitans nos amantiſſimè: *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* O quoties *dum renuit conſolari anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum!* Jure ô Chriſte, aſſerebas, in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe, quando nulla tibi converſatio in terris dignior, nulla jucundior, glorioſiorque offerri poterat, quàm cum patre tuo cæleſti. Neque melius quicquam nobis tuo exemplo tradere poteras, quàm ut eidem devotioni addicti, orationem, cultum ac familiaritatem cum Deo, omnibus hujus mundi occupationibus præferamus. *Agnoſce,* ô anima mea, *dignitatem tuam, & divinæ conſors facta naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Genus electum & regium, regenerationis ſuæ reſpondeat dignitati. Diligat quod diligit pater, & in nullo ab autore ſuo diſſentiat: ne Dominus dicat: filios genui & enutrivi, ipſi autem ſpreverunt me*: non dignati me alloquio, quando in domo mea cum deſiderio exſpectabam eos: averſati dona mea quæ petituris larga manu obtuli: repudiantes gratiam & amicitiam meam, ad quam, tanquam amantiſſima filiorum mater, ſuaviter invitavi. *O quoties volui te congregare ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti!* Heu dolor, ô Domine, quod tam amanter invitantem neglexerim hactenus! Quin minus, o anima, quin occurrimus tam dilecto patri, ſequimur Dei filium ad templum præeuntem, *qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Si à Rege terreno tam amanter invitatus & provocatus ad familiarem ejus converſationem, ſummæ id benevolentiæ loco ducerem, quid moror, aut hæreo, ſic invitatus à Deo & ſummo bono meo! Abſit, abſit, ut ullam deinde occaſionem negligam: aut ullo pietatis officio deſidiosè perfungar. Te ſequar, tibi adhærebo, ô Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

[Margin: 1. Cor. 1. — Matt. 11. — Pſ. 76. — *Glorioſa & jucunda cũ Deo converſatio.* — S. Leo ſer. 1. de Nat. Dom. — *Aſpiratio ad familiaritatem Dei.* — 1. Pet. 2.]

III. PUNCT.

III. PUNCTUM.

Luc. 2.

Exemplo Chriſti in ſapientia & & gratia, dum vivimus, proficiendum eſt, quod fiet Dei & Præpoſitorum obſervatione.

CONſidera, quàm glorioſum hoc Chriſti elogium ſit, quod illi S. tribuit ſcriptura: *Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines.* Nimirum externa ſpecie & uſu, ad exemplum & ædificationem noſtram: cùm ut primum conceptus fuit, in animo omni ſapientia & gratia repletus eſſet. Ita ſol, quamvis jam oriens pleno decoratus lumine ſurgat, ſenſim tantùm perfectum toto orbe effundit diem. Ad hanc, cum ætate, ſapientiæ, & gratiæ perfectionem, quâ nos Deo hominibuſque probemus, nobis quoque eſt contendendum. In Sapientia proficiemus iis paſſibus, quibus ad illam Chriſtum inceſſiſſe videmus, hoc eſt, Deum colendo, ejuſque Eccleſiæ Doctores audiendo, tum obſequendo legi iiſque qui nobis Dei loco præponentur. Hæc eſt enim vera

Sap. 7. 19.

Dei ſapientia, nam *initium ſapientiæ timor Domini.* Et qui *cuſtodit legem ſapiens eſt. Neminem*

Prov. 28, 7.

autem *diligit Deus, niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat.* Contra *ſapientia carnis inimica eſt Deo:*

Rom. 8. 7.

legi enim Dei non eſt ſubjecta qui autem in carne ſunt, placere Deo non poſſunt. At verò illa ſapientia, quæ de ſurſum eſt, omne in ſe bonum

Sap. 8. 3.

complectitur. *Dominus dilexit illam, doctrix enim eſt diſciplinæ Dei & electrix operum illius. Et ſi divitiæ appetuntur in vita, quid ſapientiâ locupletius, quæ operatur omnia? Sobrietatem enim & prudentiam docet, & juſtitiam & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* Expende igitur, quantum huic ſtudio tribueris hactenus

exemplo

exemplo Chriſti, & quid porrò faciendum tibi exiſtimes. Nam indiviſibilis eidem comes adhæret divina gratia, & favor humanus: cũ apud Deum & homines ſapientia hæc probetur. ut quæ eſt divinarum rerum cognitio & digna æſtimatio, quæ ad veram æternamque in cœlo gloriam, immortalemque felicitatem mortales deducit. Et ad hanc quis cum Chriſto, niſi amens, ſuæque ſalutis væcors oſor, non aſpiret? Non tantus à me labor requiritur, quanto ambitioſo ad honorem laudemque ſui nominis captandam opus eſt: nec ſollicitudo ac cura tanta, quantâ avarus ad opes opibus cumulandas contendit: neque vigiliæ ac diſcrimina tanta, quantis carnalis homo in turpi voluptatum conſectatione exponitur. Et tamen in perituris fluxiſque illi bonis deſudant; mihi æterna minori labore proponuntur, quæ tamen negligo. Illi adverſantes ſæpe homines, & ſæpius offenſum Deum, cùm graviſſima etiam pænarum comminatione ſuſtinent, conſcientiâ inquieti, vitâ turbidi, ſorte ſua incerti: ego hoc in ſtudio Deo favente, hominum offenſionem vix metuo, pœnas non formido, præmia etiam ſempiterna exſpecto, tranquillâ conſcientiâ, lætâ vitâ, ſorte certâ; & tamen langveo. An non jure erubeſcam, quando graviora in aula viros nobiles, in agris ruſticum, in exercitu militem, in mancipatu ſervum ſuſtinere, pro vili hujus terræ alimento intueor, quàm ego pro æternæ vitæ felicitate aggrediar? Integros ſæpe dies, menſeſque & annos ad vana ſcientiarum ſtudia profectumque in literis impendimus, & quan-

Minus laboris Deus pro bonis æternis conſequendis requirit, quàm pro temporalibus impendamus.

quantillum quod ad divinæ ſapientiæ virtutiſque aſſequendam perfectionem convertimus! An non ſtulti, qui lateres colligimus, & gemmas prætcrimus!

Confuſio ſui ex diligentia in ſtudio temporalium, & negligentia æternorum.

Affectus et Colloquium. Fateor, ô Deus meus, mundanorum hominum ſtudium, pro terrenis fluxiſque hiſce bonis tam ſedulum, ardens, atque indefeſſum, meam confundit in bonis cæleſtibus acquirendis cumulandiſque negligentiam. Imo ipſe memet arguo meaſque erubeſco actiones, pro te Deo meo, pro cælo, pro gloria ac felicitate æterna comparanda frigidas; pro corpore meo, pro evanido bono, pro vili gloriola hujus mundi aucupanda adeò ferventes. Quid dicam, niſi hunc eſſe inexcuſabilem torporem & incredibilem meam amentiam, qui illa, quæ tot rationibus improbo & damno, nihilominus conſector; quæ tot probo ac præfero argumentis, hæc deſidiosè prætereo? An ulla ſaga pernicioſius incantatione ſua demendare hominem poterit, quàm carnis & mundi illecebræ mentem evertunt! Heu mihi, qui *non quod volo bonum ago, ſed quod nolo malum*: illam perfectionem profectumque meum negligo, unde tota mea dependet felicitas, ad illa tot votis laboribuſque aſpiro, quæ non ſunt niſi vaniſſima tantùm vanitas, fluxum bonum breve atque inane gaudium! O quàm felices illæ ſunt animæ, quæ à prima ætate Chriſti veſtigia ſecutæ cum annis ſapientiâ & gratiâ profecerunt! quàm jucundum eſt has opes jam partas tenere, quas *fur non auferet, nec tinea demolietur!* quàm amœnum hac frui apud Regem cælorum gratia, ad quam æterni honores conſequentur! quàm dulce in illas ſeſe effundere cæleſtium bonorum delicias: quæ familiaritatem cum Deo & cælitibus comitantur! Et denique quam facilè eſt hæc obtinere, ejuſque obſtacula perfringere æterna tantùm bona præ temporalibus ſeriâ cogitatione expendenti! *momentaneum tribulationis æternum gloriæ pondus operatur*: contrà *momentaneum quod delectat* in carne *æternum quod cruciat*.

Depradicatio felicitatis eorum, qui Deo ſerviunt.

Imploratio interceſſio-

O Virgo & Mater Dei Maria, quæ ex illa filii tui ſapientia & gratia, in qua cùm ætate profecit,

cit, ex illa devotione, quàm in templo exhibuit, ex illa obedientia, quam tibi præſtitit, ſummam æſtimationem filii tui, & oblectationem in animo hauſiſti, quæſo te, ut pro me prodigo filio, qui pretioſum ætatis meæ tempus, gratiamque in illo oblatam miſerè ſine fructu animæ meæ conſumpſi, benevolè intercedas, & miſericordiam impetres, amplexumque æterni patris me denique reſpicientis ac recipientis. Ex nunc *ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ*, ô Deus meus, *fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* Reſpice piam matris tuæ interceſſionem, & filii tui redemptionem. Merear per illam filii tui devotionem & obedientiam, per illum in ſapientia & gratia profectum, ad illius exemplar tua gratiâ, & meo labore deinceps in omnibus mei ſtatus legibus, atque in his illiſque virtutibus N. N. mihi maximè neceſſariis, tibi Deo meo conformari. *nis Deiparæ, & miſerationis Dei.*

DISTICHON MEMORIALE

Subditur obſequio Majorum Chriſtus (2) & unum
Spectat ubique Deum (3) proficienſque placet.

Aſpira-

Ioan. 6. O Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Nos credimus & cognovimus quia tu es Chriſtus filius Dei.

Pſ. 143. Domine, quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quia viſitas eum?

Rom. 11. O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!

Heb. 11. Sancti tui Domine per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, & adepti ſunt repromiſſiones.

Pſ. 72. Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam.

Pſ. 56. O Domine, reſpice in me, & miſerere mei; quoniam in te confidit anima mea.

Pſ. 115. O Domine *reſpice in me* quia ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ.

Gen. 37. Domine, minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tuâ, quam explêſti ſervo tuo.

1. Reg. 24. Quem perſequeris, ò Domine, quem perſequeris? canem mortuum, & pulicem unum.

Cant. 1. O Domine, trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum.

Rom. 9. O *Domine miſerere mei.* Non enim eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis.

Iob. 13. O Domine, etiamſi me occideris, in te ſperabo.

Pſ. 22. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu meum es.

Pſ. 3. Tu, ò Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Pſ. 117. Dominus mihi adjutor, & non timebo quid faciat mihi homo.

Pſ. 17. In te, ô Domine, eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

Cogita Tibi ſic loqui Chriſtum.

Pſ. 33. Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos.

Matt. 16. Qui vult venire poſt me abneget, ſemetipſum, tollat crucem ſuam & ſequatur me.

Matt. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis & ego reficiam vos.

DIES V.



Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui ipsum audite.
Mat. 17. E.

DIES V. EXERCITIORUM.

Progreſſus in via illuminativa.

HOc die illud potiſſimum agendum, ut confirmet ſeſe homo in propoſito melioris vitæ, non exemplo ſolùm, verum & doctrinâ Evangelicâ Chriſti, quam ſuis ipſe diſcipulis, & auditoribus tradidit. Nam *oves meæ,* inquit Chriſtus, *vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* Quocirca Chriſtus tanquam Dux & paſtor bonus, in prima de vexillis Meditatione proponitur, & univerſis ut ſua ſequantur caſtra, legeſque ac diſciplinam, perſuadere conatur: Diabolo ſuos in oppoſitam partem ſectatores illecebroſâ oratione abſtrahente. Qui enim deſiderat *cum Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Qua in re ſiquam difficultatem experiatur: ad orationis præſidium confugiendum eſt, ut gratiam conſequatur: & non minori benedictione, quàm populus olim Iſraeliticus audire mereatur: *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Cum D. Auguſtino dicat: *Da, quod jubes, ô Domine; & jube quod vis.*

Ioan. 10.

1. Ioan. 2.

Ezech. 36.

Deinde videndum, quo in ſtatu vitæ Chriſtum ſequaris, aut certè decreveris ſequi: vel ſi nondum id potueris ſatis diſcernere, ad hoc etiam ſingularis Dei gratia ferventer erit imploranda, & Dux tibi maximè peritus, atque indifferens, qui ſuum non quærat ex tuo ſtatu commodum, deligendus; cujus inſtructione conſilióque dirigaris, Deo atque illi te totum permittens, poſtquam animi tui ſenſus affectionéſque plenè eidem expoſueris. Quod, uti de ipſo vitæ totius ſtatu, ita etiam de gravioris momenti negotiis, in quibus difficilis aut periculoſa electio, intelligendum eſt. Cùm illo Chriſti promiſſo, quod diſcipulis ſuis aliorum inſtructioni præpoſitis dedit, ſecurè niti poſſis: *qui vos audit, me audit.* Vide Tract. ultimum *de Electione.*

MEDIT. I.

MEDITATIO I. Diei V.

Reſpondens Medit. de duobus vexillis, & tribus claſſibus hominum Chriſtum ſequentium Hebd. 2.

VERITAS. Poſtquam Diabolus homines ſuis illecebris ad ſe pertrahere, aſtuque ac viribus reſiſtentes oppugnare aggreſſus eſt. (2) Deus nobis humana in carne Dux factus, oppoſitis Diabolum artibus expugnandum eſſe, ſuo exemplo prævius ipſe, docuit. (3) Quem triplici claſſe homines ſecuti, alii à longè ſolis deſideriis; alii propiùs ipſo opere, ſed imperfecto: alii proximè, ad omnia ipſius mandata & conſilia parati, imitantur.

ORATIO PRÆPARATORIA more conſueto.

PRÆLUDIUM triplex. 1. *Hiſtoricum vocationis Chriſti, contráque invitantis Diaboli.* 2. Imaginatio, *quâ Chriſtus in amœnis Hieroſolymæ campis ſpecioſus formâ appareat: contraque in campis Babyloniis terribilis aſpectu in ignea fumoſaque cathedra Diabolus.* 3. Poſtulatio gratiæ. *ut utriuſque Ducis mores: illius fraudes, hujus ingenuitatem & virtutes agnoſcam, & has præ illis amplectar.*

I. PUNCTUM.

Diabolus nos per hujus mundi illecebras ad ſe ſequendum invitat, ut æternùm ſecum perdat.

CONſidera, Diabolum, ex quo ipſe de cœlo præceps, beatitudinem creaturis ceteris ad imaginem Dei conditis invidere cœpit victorque contra Adamum in paradiſo triumphavit, omni ſtudio & contentione hoc agere ut humanum genus unà ſecum præcipitet: gemino adhoc odio incitatus, tum Dei, quem honore & obſequio creaturarum ſuarum deſtitutum cupit: tum hominis, in quo Dei imaginem perſequitur, ideóque futuram illius, quam prævidet, felicitatem everſam vellet, extremâque, quam ſuſtinet, inferorum pœnâ ſecum damnari. Huc igitur, ut hominem evertat, omnes vires ingeniumque ſuum convertit. Quibus nos adeò ſuperat, ut niſi protectione divina muniamur, ſuccumbere ſit neceſſe. *Non enim eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem; ſed adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitia in cœleſtibus.* Deus tamen horum potentiam ita moderatur, ut *non patiatur nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed faciat cum tentatione proventum.* Cum verò *nemo coronetur, niſi qui legitimè certaverit,* ſuum Deus homini adverſarium, etiam ſpiritualem, relinquere voluit, ut ex certamine ejuſmodi victoriā, ex victoria præmia, & honorem æternū cōſequeretur. Talis enim tantáque æterna gloria futura eſt, & beatorū felicitas, ut hanc Deus, ſine labore, & guſtu aliquo prævio adverſitatum, adiri noluerit. Quare ſiqui hoc certamen laboremque defugiant, hi velut inducias,

Non ſequentes oppugnat.

Eph. 6. 12.

1. Cor. 10. 13.

Sed reſiſtendum fortiter nobis eſt, propoſito ante oculos victoriæ præmio, & turpi gravique Diabolicæ ſervitutis jugo.

ꝛtias, in hac vita cum Diabolo pacti, ad ipſius partes & vexillum concedunt; oblatis bonis, voluptatibus, & honoribus mundi hujus, ad ſubitum ſuum legeſque ipſius, perverſè fruuntur: Chriſti leges diſciplinamque rigidiorem averſantur.

Sed hic expendendum ſedulò omnibus eſt, Quis iſte Rex ſit, & hujus mundi princeps, quàm infelix ipſius inter flammas infernales aula, qualis quantúſque hoſtis noſter, quo fine quis nos ſignis accenſere deſideret, quàm brevibus fluxiſque hic ſuos illecebris ſibi devinciat: ne temerè ſub hoc vexillo militemus, unde certa & æterna nobis ruina, & propediem fortè, niſi caveamus, immineat. Deinde, qui nos ſimus illi ſervientes? an ejus manu conditi, aut beneficio ſervati hactenus? an non potius ab illo peſſundati, & malis omnibus afflicti in protoplaſto parente? quàm turpe & abominabile ſervitium ſit, tam immani & infelici tyranno ſubditum, & mancipatum vivere! quàm jugum illud triſte ac durum, cum perpetua conſcientiæ laniena, futurarum pœnarum metu! Quis hujus ſervitii finis ſit, quàm infelix & deteſtabilis exitus! ne aliquando, & ſerò nimium, lamentemur: *Ergo erravimus à via veritatis. Nos inſenſati!* Age ſi hac hora Dei judicium ſubeundum eſſet; à quo Domino exſpectares præmium?

AFFECTUS. *Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte,* peccati: *ne quando dicat inimicus meus: prævalui adverſus eum.* Abſit, ut ego ingratus à caſtris Dei mei transfuga, ad illius maledicti tyranni, hoſtis mei capitaliſſimi partes amplius tranſeam. An *tutis ſub* Sap. 5. 7. *Deteſtatio fœda ſervi-*

dæmone; & acceptatio honeſti ſub Chriſto obſequii.

abominandæ huic beſtiæ ſervire potero, quam tibi cœlitibúſque omnibus execrabilem, æterna novi damnatione à te proſcriptum cœlo, diriſque inferorum cruciatibus addictam? Tu creator ac conditor meus potentiſſimus es, cujus ex manu vita & felicitas mea ſuſpenditur, & ad illum abeam ſerviturus, qui me ſecum perditum, atque omni infelicitate obrutũ deſiderat? Tu redemptor ac ſalvator meus, qui ex illo me præcipitio eripuiſti, ad quod per iſtum abreptus jam perieram, niſi meam perniciem miſeratus, me reduxiſſes: & ad eundem truculentiſſimum vaſtatorem ac ſeductorem meum, vaniſſimis peccati illecebris captus, me recipiam? Illum ego, qui *tanquam leo circumit quærens quem devoret*, non horream? non reformidem duram illam Salvatoris mei exprobrationem: *vos ex patre Diabolo eſtis,* qui patrem me habeo invitantem in cœlis: Chriſtum fratrem ac ducem ſuaviſſimum me redimentem in terris? Abſit, abſit, ut à tam benevolo Domino parente ac fratre, ad truculentiſſimum hoſtem & tyrannum me deinde convertam, atque à tam honeſta libertate ac ſorte filiorum Dei, ad turpiſſimam ſervitutem & abominationem ſervorum Diaboli tranſeam: nec cum maledictis illius Draconis mancipiis audiam: *ſerpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?* Renuntio ex animo Diabolo & omnibus pompis ejus, maledicta hora qua illi ſervivi! Ecce ad te redeo, ô Deus meus, ſuſcipe me in ſervum tuum.

1. Pet. 5.

Mat. 23. 33.

II. PUNCTUM.

Chriſtus, ut Dux nobis ſimilis eſſet; humanam carnem aſſumpſit.

Conſidera quemadmodum æterna Patris Sapientia iccirco humanam carnem induta, nobis ſimilis apparuerit in terris; non quidem in cœleſti ſua gloria, quam mortales non ferrent; ſed tamen ſpecioſa præ filiis hominum: ut tanquam amabilis Princeps & dux noſter, ſub vexillis ſuis colligeret humanum genus, fraudibus & ſeductione Diaboli perditum. Hic enim, poſtquam mundum triplici potiſſimum illecebra, hoc eſt, *concupiſcentiæ*

carnis

carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ perverſum cerneret; elegit his contraria, ut everſa Dæmonis arte, ad Deum divinæque legis obſervationem homines reduceret. Ne verò gravis hæc diſciplina videretur, ipſe Dei filius homo factus, licet innocens & à peccatoribus ſegregatus, noſtræ ſalutis gratiâ agere, & pati omnia prius voluit, quàm nobis agendi patiendíq; leges, aut conſilia daret. Cõcupiſcentiam igitur hac in vita conſtringendam, carnis voluptati, oculorum deſideriis, arrogantiæ & elationi omni renuntiandum eſſe, ſuo exemplo docuit; ut anguſtiori quidem, ſed certiori ad æternam felicitatem viæ inſiſteremus. Quocirca & Petrum à morte ac paſſione ſe revocantem reprehendit, edixitque univerſis: *ſiquis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum*, hoc eſt, omni concupiſcentiæ propriæ, quæ à carne, oculis, & ambitione manat, renuntiet: & *tollat crucem ſuam, ac ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere*, omnem illi hujus mundi cupiditatem indulgendo, *perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me*, hæc illius deſideria opprimendo, *inveniet eam*, omnibus in vita altera voluptatibus ac deſideriis illam ſatiaturus. Vide quid eligendum ſit. *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut, quam dabit homo commutationem*, ex hujus mundi bonis, *pro anima ſua*? Quantulum eſt, quàm vanum fluxumque hujus vitæ, quod peccando captamus, bonum! quantum illud, quod Chriſtum ſecutis præparatur

Durior a ipſe prævius aggreſſus eſt, ne nos detrectaremus.

Matt. 16. v. 25.

Concupiſcentiam triplicem, abnegatione ſui docuit eſſe infringendam.

v. 26.

æternum! Ne verò difficultate laboris terreamur, & grave nimium putemus diſciplinæ illius jugum: *Venite*, inquit Chriſtus *qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Ita eſt, & experti teſtantur, longè ſuavius eſſe Chriſti jugum, inter cruces, & afflictiones mundi hujus, quàm ſit Diaboli inter mundi opes, carnis voluptates, & dignitatum aucupia. longè hic majores difficultates perfringendas, quàm illic ſuſtinendas eſſe. Illic adverſitates ingenti conſolatione deliniri; hic etiam voluptates faſtidio, & dolore lancinantis terrentíſque conſcientiæ plenas eſſe. Et quid illic acerbum videri poſſit, quando Chriſtum Ducem ac redemptorem noſtrum prævium ardua quæque ſuperantem, & aſpera complanantem intuemur? quando expendimus qualis quantuſque hæc Dominus, quo fine conſilióque, quanto amore & ſtudio noſtri, quam ingenti bono ac gloria nobis propoſita aggrediatur, ac denique utriuſque oppoſitas inter ſe Ducis proprietates, leges, rationes, finemque & exitum comparemus: Nam *finis illorum* (qui ſerviunt Diabolo & peccato) *mors eſt, qui verò liberati à peccato, ſervi facti ſumus Deo, habemus fructum noſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Quam diſpar illorum ſervitus & exitus à fine horum, qui *ibunt in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus!*

Matt. 11. *Chriſti jugum amantibus dulce; Diaboli amarum eſt.*

Rom. 6. 21.

Matt. 25.

AFFECTUS.

AFFECTUS. Agnoſco, ô Deus meus, illum, quem nobis dediſti Regem ac Ducem, filium tuum unicè dilectum, omni honore & obſervantiâ colendum, omni ſtudio & imitatione proſequendum, cujus tu nos ſignis aggregari voluiſti, cum diceres: *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui ipſum audite*. Et ad quem alium ibimus? an ad illum animarum latronem ac *furem, qui non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat; cum ipſe venerit, ut vitam habeant, & abundantius habeant*? O quantas tibi gratias debeo, quod ſub illo nondum perierim, cui vanâ peccandi illecebrâ, heu ſtultè ac perversè nimium! adhæſi; quodque ad ſuaviſſimum Ducem ac ſalvatorem meum Jeſum ſequendum amandúmque, tuâ hucuſque bonitate ſervatus ſim! ô infelicem diem illum, quo ab illius ſignis, & diſciplinâ unquam avulſus ſum! felicem, qui me ad eundem reduxit! Ruet ante cœlum, quàm ab amantiſſimo Duce hoc divellar rurſum, & truculentiſſimi hoſtis mei vexillis accenſear. Pereat ille, cum vaniſſimis opum atque honorum irritamentis, leviculiſque voluptatum blandimentis: mihi præ omnibus his deliciis, unum crucis vexillum Chriſti, Regis ac Domini mei ſanguine purpuratum, longè eſt gratius. Novi enim, ex Apoſtolo, quod *qui ſunt Ieſu Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis, & concupiſcentiis*. His oppreſſis, nec Dæmonem timeo, nec Deum ultorem formido. Et quid glorioſius, quàm hac via talem ſectari Ducem, quo neque terra, neque cœlum excelſiorem poſſidet? quid dulcius, quàm tanti Ducis conſuetudine frui, qui omnium amore digniſſimus eſt? quid ſecurius, quàm ſub illius cruce ac tutela quieſcere, qui cœlum terramque ad nutum ſuum moderatur? *Mihi igitur abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Tu tantùm, ô Domine, *adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus*, fac ut ſentiam quod promiſiſti cruce tua oneratis; *ego reficiam vos*, ut nunquam deficiam.

Agnitio obſervantiæ Chriſto Regi debitæ. Matt. 17.

Ioan. 10.

Gratiarum actio pro liberatione à ſervitute Dæmonis.

Promiſſio fidelis obſequii Chriſto præſtandi.

Gal. 5. 24.

Felicitas ſequentium.

Gal. 6.

Pſ. 26.

III. PUNCTUM.

Triplex Chriſtum ſequentium claſſis.

1. Aliqui ſolùm deſiderant, rerum terrenarum affectum exuere.

2. Alii etiam reipſa hunc licet res nondum, deſerunt.

3. Alii quoque ſunt parati deſerere res mundi, ſi vocet Deus.

Conſidera in triplici claſſe ac differentia eſſe Chriſtianos, qui ſe, Chriſtum Ducem ac caput ſuum ſequi velle, profitentur, & in quo teipſum reperias, expende. Prima in claſſe ſunt, qui optant quidem rerum terrenarum ac poſſeſſarum affectum exuere, ut Chriſto ſociari & conciliari Deo poſſint; verùm media atque adminicula exuendæ affectionis congrua non adhibent. Viri tantùm deſideriorum, non operum. Alia illorum eſt, quibus curæ eſt, ut affectu ſeſe rerum poſſeſſarum exuant, juxta illud, *divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*: ipſis tamen ſe opibus, honoribus, aut voluptatibus mundi ſpoliare nolunt, ac ſecuriorem viam eligere. Matt. 19. Qui, ut adoleſcens ille Evangelicus, ſæpe non leve, cum Deus vocat, ſalutis diſcrimen adeunt: quòd majori affectu mundum, quàm Deum proſequantur. Tertia claſſis eorum eſt, qui omni erga res hujus mundi affectu exuti, tam ad illas relinquendas, quàm poſſidendas ſunt parati. Illud ſolum deſiderantes exequi, quod ad maximam Dei gloriam conducere intelligent. Porrò in ultima hac claſſe ſuæ ſalutis, & divinæ gloriæ amantem eſſe oportet. In priori enim hærere deſidis ac *pigri eſt, qui vult & non vult*; in altera non amantis Deum ſuper omnia, quòd primum ac præcipuum mandatum eſt. *Nemo autem poteſt duobus Dominis ſervire, Deo & Mammonæ.* In tertia ſunt ad omnia parati. Qui dicunt cum Paulo: *Domine quid me vis facere?* Act. 9. Et in hac claſſe perfectiſſimi illi ſunt, qui non tantùm

tùm affectu, ſed effectu ipſo omnia, ut Chriſtum ſequantur, deſerunt: quales fuêre. Apoſtoli, qui dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* quibus Chriſtus centuplum hìc, & in futuro vitam æternam promiſit. Et hi longè ſecuriores illis ſunt de ſalute: quòd reipſa oſtenderint deſerendo propria, ſe Deum ſuper omnia amare: alii verò nonnunquam perſuadeant ſibi, quod parati ſint univerſa potius deſerere, quàm Deum graviori noxa offendere; ſed occaſione data, ſæpe aliud experiuntur. Et tamen ſtatus ille affectúſque ſyncerus claſſis tertiæ planè eſt homini ad ſalutem neceſſarius, quia Deum ſuper omnia amare tenetur: ut mandatum eſt. Neque hic affectus ad res ſolas, ſed etiam perſonas extenditur, Chriſto teſte: *qui amat patrem, aut matrem; filium aut filiam pluſquam me, non eſt me dignus.* Qui verò ſingulari prærogativa inter Chriſti diſcipulos eſſe volunt, non poſſunt, cum Anania & Sapphira, partem offerre Deo, partem retinere; ſed omnibus renuntiandum eſt. nam his à Chriſto dictum: *omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ex quibus intelliges quæ debeat eſſe conditio eorum, qui Chriſti vexillum ſequuntur.

Et hic affectus homini ad ſalutem neceſſarius eſt.

Matt. 10. 37.

Luc. 14. 33.

Expende igitur diligenter: num in hac claſſe tertia, vel in ſtatu ſeculari, aut Eccleſiaſtico, noxium omnem erga res poſſeſſas affectum depoſueris: vel in religioſo omnibus etiam rebus propriis exutus communibus tantùm ex nutu aliorum contentus Chriſtum ſequaris. Digniſſi-

Ad hunc igitur contendendum.

Digniſſimus enim Deus noſter eſt, ut ejus amori ac voluntati creata omnia poſtponantur: ut à quo ſolo poſſidemus univerſa, quique nihil à nobis accipit, quin centuplicato fœnore refundat. & ſi nihil refunderet, ſua tamen excellentia ac bonitate, quæ principium finiſque omnis boni eſt, idipſum mereretur, qui eſt Deus benedictus ſuper omnia in ſecula.

AFFECTUS. *Hic cuilibet ſtatui conveniens eliciendus erit. Ut poſſeſſor quidem, bonorum honoriſque ac voluptatum, offeret ſeſe Deo paratum ad deſerendum, ſi illius voluntas fuerit: ut eſt, cum pauper in neceſſitate eget; cùm ſors adverſa eripit bona, aut honores; mors uxorem, liberos, &c. cum deinde bona, aut officium ſine peccato retineri nequeunt. Sic Religioſus, ut oſtendat ſe exuiſſe affectum omnem, averſari debet, quidquid proprium, ſuperfluum, honorificum, voluptuoſum eſt, ac reipſa non velle admittere. De ſtatu ſuo etiamnum ambiguus, adſpirabit ad perfectiora, & Deum obteſtabitur, ut quæ pro ipſius majori gloria ac ſalute ſua faciant, ad hæc excitare dignetur. Communis hic omnium affectus eſſe poterit.*

1. Pet. 2. 10. Benedictus Deus *qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei,* & *miſericordiam,* præ tot aliis gentibus, Chriſtum non agnoſcentibus, *conſecuti*: *ne conformemur huic ſeculo, ſed probemus, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Quantas tibi, ô Deus meus, pro hoc beneficio mihi præ tot mortalibus præſtito, gratias debeo! quantâ ſolicitudine par eſt, ut inveſtigem beneplacitum tuum, quantáque te in ſtatu mihi deſignato diligentia ſequar? Heu mihi! quomodo de tanta ingratitudine ac negligentia mea me tibi purgabo hactenus? Quam æquum eſt, ut nihil in terris

Rom. 12. 2.

Gratiarum actio pro vocatione, & promptitudo ſequendi.

tuo

tuo amori præferam, qui es fons bonorum omnium, & cujus liberalitate ac voluntate poſſideo univerſa, quique non ſolùm res creatas meæ ſaluti, ſed teipſum, ac vitam mortémque etiam tuam, impendere voluiſti! En paratum me, ex hoc momento, quocunque me vocaveris ſequar te. nihil neque in cœlo, neque in terra, & nec adeò in meipſo erit, ſeu voluntas propria, ſive etiam vita mea, quod te vocante, amore & obſequio tui, promptè non deſeram. Tu mihi amiſſis etiam omnibus, ſolus ſufficis, ô Deus, & omne bonum meum!

COLLOQUIO *triplici quiſque, pro ſe ſuaq; conditione & deſiderio, appoſitè finiet.* 1. *ad Deiparam Virginem, orando ut per eam intercedentem à filio gratiam conſequi mereatur ſub ipſius vexillo dignè militandi.* 2. *ad Filium, ut hoc ipſum ſeriò conſtanterque agendi à Patre miſericordiam impetret.* 3. *ad Patrem, ut huic petitioni & filii meritis atque interceſſioni annuere dignetur. Poteritque Colloquium primum, per* Ave Maria, *alterum per* Anima Chriſti, *tertium per* Pater noſter *concludi. Quod Colloquiorum genus in aliis quoque Medit. uſurpari poterit.*

DISTICHON MEMORIALE.

Hinc Dæmon rapit aſtu hominem (2) Deus inde viciſſim
Dux vocat (3) It triplici claſſe ſecutus homo.

MEDIT. II.

MEDITATIO II. DIEI V.

De præparatione Chriſti ad prædicandum, hoc eſt baptiſmo, jejunio, & tentatione, ex 5. & 6. die Hebd. 2.

VERITAS. Chriſtus ad legem Dei prædicandam egregia ſeſe virtute præparavit; perfectionem cuique à ſeipſo inchoandam demonſtrans. Relictâ enim domo patriâ, à Ioanne pœnitentiæ baptiſmo ablutus, ac Spiritu S. de cœlo donatus eſt, (2) Jejunio deinde atque orationi quadraginta diebus in ſolitudine vacans, ut pœnitentiam, ſic temperantiam cum pietate erga Deum, ſuo nobis exemplo ſuaſit. (3) Denique cum Diabolo tentante congreſſus, repudiato illius ſervitio ac mundi opibus, ab Angelis miniſtrantibus honoratus eſt; ut ad hanc pugnam victoriamque nos excitaret.

ORATIO ET PRÆLUDIA, eo modo, quo ſupra inſtituentur.

1. *Hiſtoriam factorum proponendo.* 2. *Imaginando locum.* 3. *gratiam petendo:*

I. PUNCTUM.

Chriſtus Ioannis Bapti-

CONſidera, quod Chriſtus D. N. ad opus tam arduum, quale erat novæ legis prædicatio,

eatio, egregiâ ſeſe devotione præparaverit. Deſertis ante omnia parentibus, cognatis, domo, patriâ: ne carnali affectu teneri videretur. deinde ad Joannē prædicantē, baptizantemq; *baptiſmo*, ut ajebat, *pœnitentiæ*, tanquā auditor humilis acceſſit; cùm eſſet æterna patris Sapientia: tanquā peccator, & pœnitens, baptizandus venit; cùm ipſa eſſet innocentia. Subjecit itaque ſe Dominus ſervo, magiſter diſcipulo, creator creaturæ, innocens in peccatis concepto, ad inſtructionem & baptiſmum. quia *ſic*, inquit, *debuit implere omnem juſtitiam*, ad exemplum utique noſtrum. in ſe tanquam exemplari formandam. Quæ res adeò Deo Patri grata fuit, ut *Spiritus S. corporali ſpecie, ſicut columba, ſuper ipſum deſcenderit*, & vox de cœlis audita ſit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite*. Præclara omnino ad Deum converſio, in qua nobis imaginem perfectè pœnitentis adumbravit. Cùm enim peccatum ſit averſio quædam à Deo ad creaturas: pœnitentia vera hanc tenetur deſtruere, per converſionem pœnitentis à creaturis rurſum ad Deum. Ad quam in adultis, non baptizatis, baptiſmus quoque adjungendus eſt: *niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt intrare in regnum Dei*. Commendatur itaque à Christo ſacramentorum illorum, baptiſmi & pœnitentiæ, nobis uſus; quia ſine his nemo poteſt placere Deo, aut tranſire de morte ad vitam, & audire à Deo: *filius meus es tu, in quo mihi complacui*: quæ baptizatus ac verè pœnitens, cum Chriſto, audire meretur. Hoc verò Chri-

Ut auditor eidem ſeſe ad baptiſmum recipiendum ſubjicit.

Matt. 3.

Pater æternus & Spiritus S. baptiſmum honorant.

Ioan. 3.

Baptiſmi & Pœnitentiæ Sacramenta commendata.

Eccleſiaſtici & Religioſi carni & ſanguini renuntiantis idea.

rò Chriſti ad Deum converſi exemplum, quamvis omni ſtatui propoſitum ſit, ſingularis tamen idea eſt hominis Eccleſiaſtici, aut Religioſi: qui, ut prædicet Dei Evangelium, ejuſque Eccleſiam rectè adminiſtret, affectum erga carnem ac ſangvinem exuere tenetur. Si enim patrem & matrem diligit pluſquam Deum, dignus Deo miniſter non eſt. Quare & Chriſtus, cùm nuntium de matre & fratribus præſentibus acciperet, negavit ſe agnoſcere tales, præter eos, qui facerent voluntatem patris. Non igitur, ut hi ditentur viro Eccleſiaſtico, ſed ut Deum revereantur, providendum eſt: ſecus qui fecerit, & ſe & illos perdet. Expende hìc, an tu omnem erga tuos, ut par eſt, affectum carnalem exueris, neque propter illos, qui nullam tibi fortè gratiam referent beneficiorum, infernum elige. Deinde pius ſacramentorum

Pius Sacramentorum uſus neceſſarius.

uſus ante omnia curæ ſit, quibus vel accepta divinitus gratia augetur, vel etiam recuperatur amiſſa. Si enim Salvator noſter eorum minimè indigens, ad hæc percipienda tanta ſeſe humilitate ſubmiſit homini, tanta de cælo gratia cumulatus eſt: quid nos facere conveniet, poſtquam Chriſtus hæc tam inſigni liberalitate, ad accipiendam augendamque gratiam, nobis in Eccleſia præparavit: nec procul ad Jordanem proficiſcendum ſit, ſed diverſis ubique locis offerantur: Ah, quæ nos poterit excuſatio neglectæ toties gratiæ beneficiique oblati, coram ſupremo Judice, purgare, quando plurium malorum rei peragemur; ſi hæc tam præſentia remedia contemptim prætereamus, & neque Chriſti

Chriſti Salvatoris exemplo, neque tantâ neceſſitate noſtrâ, neque eximiâ Dei gratiâ, gloriâque æternâ factorum propoſitâ, ad tam ſanctum uſum Sacramentorum inducamur? Excute hic ignaviam tuam, ſi reus ſis, & erubeſce.

AFFECTUS. *Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte peccati, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.* Ps. 12. 5. Video quo tu me ducas, ô via, veritas, & vita mea! ad fontem ſcilicet gratiarum, qui ex divinis tuæ Eccleſiæ Sacramentis exuberat: video etiam, quo Mundus, & Caro, & inſidiator Dæmon me avocent, quantis teneant devinctum illecebris; ne te ſequar præeuntem & invitantem Deum ſalvatorem meum. Et quomodo fieri poteſt, ut hos potius ſeductores, quàm te Deum ſalutis meæ audiam, ac ſequar? Tu innocens, ut mea expiares ſcelera, ad Joannem pœnitentiæ prædicatorem advolas, ac propter me tanquam peccator humiliaris; & mihi, tot criminum reo, tam amanter à te invitato curæ non ſit, ut quantocyus tibi concilier? Ille divinus, qui de cœlo miſſus eſt ſpiritus, quo tu fons omnis ſanctitatis minimè egebas, pro me ad pœnitentiam acceſſuro mittitur. Illa patris æterni approbatio: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite*: me quoque amantiſſimis vocibus, ad te ſequendum amandúmque, ſuaviſſimè invitat: ne forte filiorum Dei excidam. Et quomodo hanc Patris & Spiritus S. Charitatem negligere poſſum, quotieſcunque in peccatum lapſus pœnitentiá indigeo? Poteratne quicquam levius à tam graviter lapſo ac læſo exigi, quàm ſola oſtendere Medico vulnera, ut medicinam certam haberem? aut quicquam mihi illuſtrius majuſque deferri, quàm ex inimico ſupremi Regis ac Dei mei, ita repentè amicum exiſtere ac reconciliari? Ah! quod tantum hactenus beneficium minus ignoverim! Execrabilis ſit illa hora & mora, quæ me in peccato detinuit tibi non reconciliatum! felix illa, quâ divini Spiritus & gratiæ augmentum, ſuper me cœlitus effuſum eſt. Perſtem, obſecro, & creſcam ſemper in illa, ut Patris illam benedictionem audire aliquando merear; *hic eſt filius meus dilectus!*

Amor Sacramentorum, ad exemplum Salvatoris; ex quo gratia tam recuperanda, quàm augenda meritum eſt.

Indignum eſt peccatorem oblatam Dei reconciliationem, adeò facilem, negligere.

II. PUNCTUM.

Luc. 4. Conſidera quemadmodum *Jeſus plenus Spiritu S. regreſſus à Jordane, agebatur in deſertum quadraginta diebus, & tentabatur à Diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis, & conſummatis illis, eſuriit.* ut ſuo exemplo oſtenderet, pro delictis præteritis, tum afflictione carnis, per quam peccavimus, tum oratione, & elevatione mentis ad Deum, quam peccando avertimus, ſatisfaciendum eſſe, & peccandi illecebris atque occaſionibus deinceps præſtruendum. Adhæc præ ceteris vitiis intemperantiam gulæ homini devitandam eſſe. Per quam ut primus homo à Dæmone præcipitatus eſt, ita poſteri facilè in ruinam abſtrahuntur. Quare Chriſtus Diabolum victurus, jejunio atque oratione contra hoſtem capitaliſſimum ſeſe, nobis ad exemplum, inſtruxit: licet citra hæc præſidia ſuis ipſe viribus ſufficeret. Cum enim per carnis illecebras Dæmon potiſſimum hominem aggrediatur, potentius quàm à jejunio remedium non ſuppetit, quo & gulæ deliciæ ſubmoventur, & luxuriæ alimenta ſubtrahuntur, adeóque caro ſpiritui facilè ſubjicitur. Quid Eſau dedit præcipitem & primogenituram ademit, tot Iſraëlitas in deſerto profligavit, Balthaſarem, Holofernem Herodem, Epulonem perdidit, niſi gulæ intemperantia? Filii Job, & Ammon nunquid opprimuntur in convivio? Rom. 14. 17. *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu S. qui enim in hoc ſervit Chriſto placet Deo & probatus eſt hominibus.* Quid in tam

Mortificatio & oratio, Chriſti exemplo, Pœnitenti ſunt uſurpanda, per illam enim caro, per hanc ſpiritus Deo ſubjicitur.

Gula, quæ multos perdit, jejunio premenda.

vilibu

vilibus oblectamentis averſi à Deo, ejuſque ſpirituali conſolatione hæremus? *eſca ventri, & venter eſca: Deus autem & hunc & has deſtruet.* 1. Cor. 6. 13.
Talium ruinam jure Apoſtolus deplorat: dum ad Chriſti & ſui imitationem Philippenſes ſuos invitat, *qui in vigiliis & jejuniis multis* Deo ſerviebat: *Imitatores*, ait, *mei eſtote, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Philip. 3. 17.
Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum. Periculoſum & pertinax hoc gulæ malum eſt, quod homines etiam à mundo avulſos, & Deo in ſtatu Eccleſiaſtico, aut religioſo conſecratos comitatur, atque ad interitum abripit. Quia cum Apoſtolo dicere non poſſunt; *noſtra autem converſatio in cœlis eſt*, ſed in eſcis, & cura ventris hæret. Quorum tantò gravius delictum eſt, quantò majori obligatione ad ſerviendum Deo tenentur, qui ſingulari ad hoc profeſſione adſtricti ſunt, ac præterea ex bonis Deo, non ventri, addictis, aluntur. Expende, quo in ſtatu verſeris? quid egeris hactenus? quomodo Chriſtum jejunii & orationis cauſa, ad ſolitudinem ſuo te exemplo avocantem, imitatus ſis? Si Auguſtinum etiamnum ſeculi vanitatibus & cupiditatibus immerſum, brevis illa ex Apoſtolo lectio: *non in commeſſationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus, & impudicitiis, ſed induimini Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*: ita perculit, ut relictis hiſce carnis illecebris, jejuniis atque orationibus in ſolitudine ſtatus v. 20. Rom. 13.

Eccleſiaſtici ac religioſi, ſeſe Deo ſalutis ſuæ amore addixerit; quid obſecro eſt, quod tu cunčteris, ſeriò huic obnuntiare intemperantiæ, paribuſque remediis tuæ ſaluti conſulere? An non æquè tibi pretioſa anima eſt, aut illa te ſperas pericula evaſurum, quæ jure vir talis formidabat? aut exiſtimare potes, hæc tibi à Chriſto exempla non fuiſſe, tanto ipſius labore, præparata? Infelix omnino es, niſi ad hoc ſingulariter te credas ab amantiſſimo tuæ ſalutis Chriſto, invitatum; ingratus ſi hæc, non neceſſitate propriâ, ſed tuâ ſtudioſè agentem nolis imitari. Si parem jejunii rigorem non ſuſtines, pro viribus imitare. Omnem inordinatum ad cibum potumque affečtum depone. Vetita nunquam, nec morte quidem propoſita, cum fortiſſimis Machabæis admitte. Commeſſationes ſubterfuge, & noveris: *melius eſſe adire domum luctus, quàm convivii*, idque diebus potiſſimum ſacris, quos nonnulli, tanquam ventri, non Deo dicatos, conviviis perversè deputant. Nunquam ita excede, ut vel ſanitas, vel ratio lædatur. Pretioſiora aut exquiſitiora devita. Tempus locumque opportunum debitumque ſerva. Neque præcipiti, aut indecenti voracitate offende. Tum denique præſcriptos ab Eccleſia jejuniorum Dies, & ſiquos tibi continentia ſuadeat, dum carnis cupiditas exæſtuet, lubens volenſque pro Dei gloria, tuâque ſalute amplečtere. Nam qui his temperantiæ legibus aſſueverit, cetera Dei mandata facilia ſibi eſſe experietur.

Quomodo gula refrenanda ſit.

Eccle. 7.

AFFECT.

AFFECTUS. Agnoſco, ô bone JESU, jam olim ſine tuo exemplo in Eccleſia Dei cognitum fuiſſe, & per Angelum de cœlo nuntiatum, quia, *bona eſt oratio, cum jejunio.* quod poſtquam tuo etiam probaſti exemplo, tantóque rigore, & conſtantia, jejunandi orandique in te firmaſti, quis diſcipulus, ſui amans magiſtri, non conetur pro viribus imitari? Agnoſco hoſtem illum domeſticum, carnem meam, hoc freno temperantiæ in cibo potúque conſtringendum eſſe: ideóque, qui ſpiritu divino tecum rapiuntur, *non ſapere ea, quæ carnis ſunt.* Per gulam primi parentes lapſi ſunt, & heu dolor, quoties prolabimur! poſt hanc obſcœna cupiditate exæſtuarunt, & nos idem experimur. Inter carnis vitia tuus Apoſtolus cenſet. *Commeſſationes & ebrietates,* additque horrendam comminationem, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* & ego, multò quàm Eſau inſanior, pro illo ventris oblectamento, tale tantúmque regnum prodigam? Vah, quid hanc vermium eſcam, hanc ſordium & fœtoris officinam, hoc morborum ac mortis ergaſtulum tanto ſtudio impenſiſque foveo cum epulone divite, quando tot Lazari & afflictiſſimi mortales vix mucido pane ſuſtentantur? quomodo illius infelicem exitum non metuo, qui vitam non reformido? O infelix homo, qui *Deum ventrem vis habere pro Chriſto, & quaſi pinguis hoſtia in mortem propriam ſaginaris, imitarisque eorum vitam, quorum tormenta non metuis!* An non illæ te percellunt Domini voces; *Attendite, vobis, ne fortè graventur corda veſtra crapulâ & ebrietate, & ſuperveniat in vos repentina dies illa?* Vides Deum ipſum incarnatum, cujus in manu ſunt omnes fines terræ, iis abſtinere, quas ipſe condidit eſcis carnalibus, ut in ſpiritu Patri ſerviat: ne vilibus illis oblectamentis, quibus brutorum vitæ aſſimilamur, plus tribuiſſe, quàm divinæ converſationi, quâ Angelicam imitamur vitam, Salvator videretur, & tu à tam nobili Ducis tui exemplo degener, ad beſtiarum mavis vilitatem te abjicere? Ille ſine noxa creaturis uti poterat, tuique ſolius gratiâ abſtinuit, ut & primorum parentum ingluviem expiaret, & tuam provocaret abſtinentiam. Et te tanto in diſcrimine peccandi collocatum, tam continentiæ divinæque gratiæ indigum, talis tantique Regis

Tob. 12.

Amor jejunii, & gulæ, multorum vitiorum fontis, deteſtatio.

Gal. 5.

Hier. Ep. 48. ad Sabin.

Luc. 21. 34.

exemplo invitatum, ſequi pigeat, arctamque cœli viam per has anguſtias ingredi? Apage turpibus hiſce abjectiſque ac brevibus nimium oblectamentis, ne æternis cœli deliciis excidam. Cum Lazaro hic eſurire ac ſitire malo in tempore, quàm in æternum cum Epulone. Ita fiet. his atque illis N.N. occaſionibus amore Dei, & ſalutis meæ me ſubducam. *Beati* enim *qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

III. PUNCTUM.

Chriſtus triplici à Diabolo tentatus vitio, ſemper victor.
Luc. 4.
Mat. 4.

CONſidera, quemadmodum Chriſtus oratione & jejunio, tanquam armis ſpiritualibus, munitus Diabolum triplici tentatione ſe invadentem ſuperet. Primo gulæ vitio ad cibos inuſitatâ viâ quærendos invitat. *Dic ut lapides iſti panes fiant.* Quem Chriſtus rejicit dicendo: *Non in ſolo pane vivit homo, &c.* Iterum ſtatuit illum in apice templi Jeroſolymitani, & *ſi filius*, inquit, *Dei es, mitte te deorſum. Angelis enim ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant, &c.* ad vanam gloriam & præſumptionem impellens; ſed Chriſtus reponit: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Poſtremò in monte excelſo regna mundi proponit, ſi adoraret ſe. At Chriſtus ſcriptum aſſerit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire, Deo & Mammonæ. Ita victo rejectóque tentatore; qui Chriſtum per concupiſcentiam carnis in gula, concupiſcentiam oculorum in bonis mundi, ſuperbiam vitæ in jactatione ſuæ poteſtatis aggreſſus eſt, tanquam in fontibus malorum omnium, triumphávit; ideóque *Angeli acceſſerunt & miniſtrarunt illi.* Ut poſt glorioſam hanc victoriam Angelos jam haberet miniſtros, qui Diabo-

Victorem Angeli ſuo

Diabolum averſatus erat Dominum. cui ſub-*miniſtério* jacet quiſquis infami tentatori conſentit. En *honerant.* exemplum ad noſtram tantùm inſtitutionem à Chriſto editum.

In hoc primò agnoſces, ſaluberrimum illud Eccleſiaſtici monitum eſſe: *Fili accedens ad ſer-* Eccli. 2. *vitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*, ſive enim Diaboli ſpectes audaciam, tibi *Diabolus* utique non parcet, tum præcipuè, cùm ex *tentator nemini parcit.* ipſius te naſſa ſubducere, jam captivus, conaberis, qui filium Dei non eſt veritus aggredi: ſive teipſum conſideres, in quo *pugnat caro adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*: ſive Deum, qui hæc permittit, ut *cum probatus fueris, accipias coronam vitæ*: evadere tentationem non poteris. *Qui* enim *non eſt tenta-* Iac. 1. *tus, quid ſcit?* quomodo vincet, qui hoſte deſtituetur, & non pugnat? certè, *nemo corona-* 2. Tim. 2. *tur, niſi qui legitimè certaverit.* Si nec propriæ Deus Matri, nec Apoſtolis, imò nec ipſe ſibi parcitum voluit, quomodo potes ſperare immunitatem? *Igne probatur aurum, & argentum*; Eccli. 2. 5. *homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Hæc ſors eſt filiorum Dei: *in paucis vexati, in* Sap. 3. 5. *multis bene diſponentur, quoniam tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* In his igitur ſi cenſearis, tentationem non effugies. Hoc ſolum agendum tibi erit, ne tentationi ſuccumbas.

Secundò intelliges: Diabolum ſine noſtro *Nulli tamen* conſenſu, per ſuggeſtiones pravas nihil omni-*nocere poteſt, niſi conſentienti.* no poſſe, qui Chriſtum in pinnaculo conſtitutum, perque aëra vectum præcipitare auſus non eſt, ſed ut ſeipſum præcipitaret, ſuaſit. Li-

cet igitur Diabolus omnes ſenſus tuos ſuis illecebris occupet: tu ſolum cave conſenſum, & ſalvum te victorioſumque deſtituere cogetur. Quia *fidelis Deus eſt, & non patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus; ſed facit etiam cum tentatione proventum.* Modo primæ ſuggeſtiones, ut Chriſtus fecit, ſtatim rejiciantur.

1.Cor.10.13.

Exemplo Chriſti facilè ſuperatur.

Tertiò obſerves arma, quibus Chriſtus uſus eſt. Tentationem carnalem, jejunio; inanis gloriæ, demiſſione ſingulari, non profitendo ſe filium Dei, qui erat; cupiditatis, vicit contemptu rerum mundanarum, ſoli Dei ſerviendum aſſerens. Quæ univerſa denique auxit ardenti ſtudio orationis, quâ Deo (ad quem in omnibus reſponſis reſpicit) conjunctus erat. Hoc quicunque exemplo Chriſti fecerit, victoriam de Diabolo ſemper reportabit. Angeloſque cum eodem miniſtros habiturus eſt, poſtquam Dæmonem profligarit.

AFFECTUS ET COLLOQUIUM.

Pſ. 143.

Laus Chriſti, nos certare & vincere Diabolum, exemplo ſuo, docentis.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum! Tantine tibi erat me vincere, ô Deus tu meus, ut ad hoc certamen cum Dracone illo infernali & Evæ deceptore prodires, mihique viam rationémque vincendi traderes? Poteras ſolo verbo hæc me docere; ſed voluiſti tuo etiam, & tam duro quidem, exemplo pertrahere; ne ulla detrectandi cauſa mihi eſſet relicta. *Non eſt ſervus major Domino ſuo, & ſi in viridi ligno hæc facta ſunt, in arido quid fiet?* Quomodo ad Diabolum ejuſque inſidias non trepido, vimque omni ſtudio orationis ac mortificationis non declino; cùm tu tentandus à Diabolo, ut victoriam reportares, tam rigido jejunio, ſedulâque oratione te præparaſti! Heu, quoties illi, vel in cibis immoderatus, & voluptatem ſecutus, quoties inani captus gloriâ, quoties bonorum mundi cupidus, ſuccubui, adeóque carni, mundo, ac

Dæmo

Dæmoni magis, quàm ſoli Deo ſervivi! Satis aberravi, hic ſit finis ſceleris ac turpitudinis meæ. *Dixi jam cœpi.* Tu, ô bone JESU, ut me his laqueis eriperes, cibum, quo innoxiè frui, gloriam quâ dignè inclareſcere, bona mundi, quibus ſanctè uti poteras, es aſpernatus. & *cibus* tuus Ioan. 4. *erat facere voluntatem Patris* tui; gloriam illius quærebas, qui miſit te; regnum tuum noluiſti eſſe de hoc mundo, licet omnia tibi pater in manus tradidiſſet. Ego igitur, ô Domine, quomodo hæc non aſpernabor, per quæ me toties à tentatore Dæmone præcipitatum intelligo, cùm omnis *creatura ſit poſita in decipulam pedibus inſipientium*: Eheu *totus mundus in maligno poſitus eſt*, & adverſarius noſter circuit, tanquam leo, quærens quem devoret, ad quem confugiam niſi ad te Deus meus? 1. Ioan. 5.

Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me. Credo, quia non patieris me tentari ſupra id quod poſſum. Sed cum nihil ex me poſſim, in te Domine ſperabo, qui es ſpes & refugium meum, nec deſeris ſperantes in te. Tu es ſpectator certaminis, tu adjutor fortis in tribulatione. *Pone me juxta te & cujusvis manus pugnet contra me.* Adjuva Domine in hac atque illa N. N. tentatione infirmitatem, & citius moriar, quam te rurſum in his offendam. ſic ſtatuo. fiat, fiat. Pſ. 58. Iob. 17. 3.

His alia colloquia adjungere poteris ad SS. Trinitatem in cujus præſentia certandum, & Sanctos ac Deiparam, qui glorioſè in hac vita decertarunt, nunc æterno victoriæ præmio felices. Cum propoſito, initiis tentationum omni diligentia occurrendi.

DISTICHON MEMORIALE

Baptizandus abit Chriſtus (2) Jejunus & orans.
Solus agit (3) victor Dæmonis inde triplex.

(†)

MEDITATIO III. DIEI V.

De vocatione Apoſtolorum, & ſumma doctrinæ Chriſtianæ in monte illis tradita: reſpondens 7. & 8. Hebd. 2.

VERITAS. Vocati à Chriſto Apoſtoli ex plebe ultima, atque etiam publicanis, relictis omnibus, vocantem novo exemplo ſecuti ſunt. quibus, pro exiguis facultatibus, Chriſtus centuplum pollicitus eſt, ſed animo ab omnibus mundi opibus voluit eſſe averſos. (2) Brevi verò in monte ſermone tum hos, tum alios auditores inſtruxit, in quibus vitæ hujus perfectio ac beatitudo conſiſteret, ut ad ejus deſideriũ omnes excitaret. (3) Denique ad rerum cœleſtium curam animum inprimis convertere omnes voluit; itáque reliqua adjicienda eſſe promiſit.

ORATIO ET PRÆLUDIA *ad modum ſupra propoſitum, ex hiſtoria formabuntur.*

I. PUNCTUM.

COnſidera, quam mirabilis Deus in vocatione Apoſtolorum fuerit, quia ex his 1.Cor. 1.26. *non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma*

[inf]irma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & [ig]nobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, ut [n]on glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Apoſto[l]os igitur cōditione humiles, eruditione rudes, [p]otentia ac genere ſpretos elegit, ut & mundi [ſ]tulta judicia cōfunderet, & divinæ virtutis ſuæ [i]n his inſtruendis, atque extollendis vim decla[r]aret, noſque doceret: Deum non judicare ſe[c]undū ingenium hominum; ſed quos mundus [a]ſpernatur, hos ſæpe habere gratiſſimos: *Ele[v]ans à terra inopes, ut collocet eos cum principibus [p]opuli.* Publicos etiam peccatores, Matthæum [&] Magdalenam præ Phariſæis ad pœnitentiam [p]erfectionémque vocavit: ut nec talibus nos temerè præferamus, quamdiu noſtrum alienúmque exitum nondum ſumus aſſecuti: nec deſperemus, ſi infirmitate, aut malitiâ ad parem conditionem prolapſi ſimus. Deus enim non ſecundum merita hominum, ſed divinum ſuum beneplacitum, *cujus vult, miſeretur.*

Apoſtoli ex rudibus plebeis, ac publicanis delecti majorem Chriſti vocantis oſtendunt virtutem.

Pſal. 112. 8.

Rom. 9. 18.

Attende verò, quàm promptè omnes vocantem Chriſtum relictis omnibus ſecuti ſint, quantúmque hæc illis promptitudo ad ſummam perfectionem, & beatitudinem hujus ac futuræ vitæ profuerit. Contráque quàm infelix adoleſcens ille Evangelicus, ſuis opibus fuerit, qui mandata quidem Dei cuſtodierat, ſed conſilium Chriſti ſe vocantis neglexit. Cum ſeverum illud de opulentis judicium ſubierit: *facilius camelum per foramen acus tranſiturum, quàm divitem in regnum cœlorum.* Nam difficilè eſt ab opibus poſſeſſis ita animum abſtrahere, ut ex illis ſis, de quibus Chriſtus dixit; *Beati*

Promptè relictis omnibus ſequuntur: ſecus quam adoleſcens dives.

pauperes

Matt. 5. *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Quod eſt caput doctrinæ Chriſti in monte. Hæc enim paupertas ſpiritus, quæ animum ab affectu opum ita denudat, ut plus Deo cœleſtibúſque, quàm terrenis hiſce adhæreat, illaſque amittere, quàm Deum offendere malit, planè omnibus ad ſalutem eſt neceſſaria: ſive re ipſa opes aut dignitates poſſideant; ſive ſpe ſola aut voto confectentur. Cum igitur ad hanc paupertatem ſpiritus à Chriſto omnes vocentur: tu expende, conſultiúſne cum Apoſtolis omnia relinquantur? an tuus ab iiſdem retentis animus, ita ut pauper ſit, poſſit avocari? Si Dominus aliorum es; an, ex tuis opibus, tribuas cuique quod ſuum eſt; præſertim derelictis, qui potentibus interceſſoribus carent? aliàs auditurus: *quod uni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti.* Si Eccleſiaſticus, aut etiam religioſus es, an Deo propter opes ſervias? hoc enim prorſus damnabile: an potius opes tibi ad neceſſitatem, non luxum ſerviant, propter Deũ? hoc enim ſolum eſt ſalutare. Hi tales eſſe poſſunt, ut ſint *nihil habentes, & omnia poſſidentes*: re multùm poſſideant; cùm centuplum illis in hac vita promiſſum ſit, ſpiritu pauperes ſint; cùm divini obſequii, non opum augendarum curam gerant. Tu vide, quocunque in ſtatu verſeris, num quicquam in hoc mundo ſit, ſive opes, ſive honores, ſive conſanguinei, ſive aliud amore dignum, quod, ſi vel ſit deſerendum; vel Deus, etiam leviter, offendendus: non malis deſerere, quàm Deum (licet ſolo mendacio res tuas propugnando) lædere. Hoc enim niſi feceris,

Omnes tenemur in paupertate ſpiritus Chriſtum ſequi, hoc eſt, affectu minus opibus quã Deo adhærere.

Omnia po-

feceris, res adhuc ſpeſque terrenarum rerum Deo præpoſuiſti. Procul ab illo, qui dixit: *quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* procul ab Apoſtolis, qui, *relictis omnibus, Chriſtum ſecuti ſunt.* Omnia, planè omnia, ſi non effectu, certè affectu propter Deum relinquenda ſunt. Non eſt enim pauper ſpiritu, nec ex toto corde Deum amat, qui aliquid ſupra, vel præter Deum amat, quod propter Deum non amat. Qui in hoc ſolo fine quieſcit, tantùm capax regni cœlorum eſt.

tius deferenda, quam levi peccatò Deus offendendus.

Pſ. 72. 25.

AFFECTUS. Quis mihi hoc tribuat, ô Deus meus, ut intelligam ac ſequar vocationem tuam, quandocúnque divina inſpiratione loqueris ad cor meum! Heù quoties à carne ad ſpiritum, à mundo ad Deum, à peccatis ad emendationem conſtantémque pœnitentiam, à tepiditate & languore ad fervorem pietatémque me avocaſti, quoties mihi ſuggeſſiſti: *Ecce nunc tempus acceptabile*: volat hoc irrevocabile, in æternum non rediturum, & forte brevi non ſupererit aliud. *Ecce nunc dies ſalutis*, operare bonum dũ tempus eſt, *veniet nox quando nemo poterit operari. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Si aliquando, cur non modò? Et ego, quàm ſurdus ad hæc fui monita hactenus, quàm parum ſum obſecutus; aut ſiquem dedi locum, quàm repentè in priſtinam tepiditatem relapſus! An nondum intelligo hac mihi arte illudi à Dæmone, dum ſemper propono, nunquam diſpono? Quanto jam poteram bonorum gaudere theſauro, quantâ Dei gratiâ & amicitiâ frui, quantum in omnem æternitatem repoſuiſſe præmiorum, ſi vocanti & inſtiganti hactenus ad perfectionem Deo fuiſſem obſecutus! quàm felix, & nunc, & in hora mortis eſſem, tot collectis virtutum opibus, tantâ Dei benevolentiâ, quam ſuis amicis impendit, fretus! En Apoſtolos, & tot ſanctos Dei, repentè, & in re tam ardua (quanta erat, univerſa relinquere) ſine dilatione, ſine excuſatione Deo vocanti obſecutos. & quanto hoc bono ſuo, quantâ gloriâ, ac felicitate æternùm duratura! quantulum eſt, quod in opi-

Deſiderium ſequendi vocationem & inſpirationes divinas.

Eph. 5.

Magna felicitas eſt Deũ hic ſequi, & frui æternum.

bus,

bus, honore, ac voluptate pro Deo reliquerunt, quam immenſum, quod ſunt aſſecuti! Vah meam ſegnitiem, & contractam negligentiæ maculam, damnúmque irrecuperabile; nulla, nec æternâ quidem pœnitentiâ reparandum! Quin exſurgis, ô anima, & vel nunc ſomnum excutis, & errorem corrigis; ut quod ſupereſt vitæ, ab hoc momento omni contentione & ſtudio virtutum Deo conſecretur? Venio ô Domine, venio, ſequor te vocantem, ſuſcipe me ſervum tuum. Da veniam de præteritis, largire gratiam in futuris.

II. PUNCTUM.

Chriſtus brevi in monte ſermone Chriſtianam perfectionem tradidit, docendo, quem quiſque affectũ erga bona externa, erga ſe, & proximũ debeat habere.

Matt. 5.

In bonis vult eſſe ſpiritu pauperẽ: Erga ſe attentum ut peccata vitet, quærat juſtitiam. Erga proximum vult eſſe mitem ſi delinquat,

CONſidera ſermonem à Chriſto in monte habitum brevem totius Chriſtianæ perfectionis ſummam complecti, cum hominem inſtruat, quemadmodum ſe in uſu bonorum externorum, erga ſe, ac proximum habere, non vulgari modò, ſed perfectione quadam ſingulari debeat. Nam in opum, honoris, laudíſque affectu, vult eſſe *ſpiritu* averſum, & *pauperem*, ut ante meminimus. Erga ſe vult eſſe attentum, *lugere* ſuam cupiditatem, vanitatémque mundi, & commiſſa abs ſe ſcelera, ut aliquando mereatur *conſolationem*; Chriſti nunquam ridentis, ſæpe autem lacrymantis exemplo. Qui cùm peccata deplorarit aliena, quantò magis nos deplorabimus propria! Vult deinde nos eſſe *mundo corde*, quod perfectorum eſt in via purgativa. Poſtea ad virtutem egregiè connitendo, *eſurire, ac ſitire juſtitiam*; tantâ videlicet aviditate, quantâ famelici ſitientéſque ad cibum potúmque anhelant. *Beatos* verò inprimis ſe credere, cùm maledicta & *perſecutiones* Chriſti nomine patiuntur. Deniq; erga proximum vult eſſe *mites*, leniter manſuetéque cum

illo agendo, & ſiquid deliquerit exemplo Chriſti ignoſcendo, qui *mitis* erat *& humilis corde.* vult præterea *miſericordes* eſſe, miſeriæ alienæ eleemoſynis, quâ corporalibus, quantùm facultates patientur; quâ ſpiritualibus ubi ſalus eorum periclitatur, ſuccurrendo. Poſtremò & *pacificos*, hoc eſt, à rixis, contentionibus, bellíſque alienos, omnibus æquos, omnium amantes, ut filii Dei nuncupentur, qui *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Et hæc erga proximum obſervantia, adeò difficilis futura non eſt, ſi regulam hanc nobis & à ratione, & à Chriſto præſcriptam ſequamur: *quodcunque vultis, ut vobis faciant homines, & vos facite illis.* Porrò hunc erga proximum affectum adeò Chriſtus in hoc ſermone inculcavit: ut monuerit: *dictum eſt antiquis non occides: ego autem dico vobis, qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio. Et ſi offeres munus tuum ad altare, reconciliare prius fratri tuo. Dictū eſt, oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis, non reſiſtere malo; ſed ſi quis percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram. Dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum: ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos.* Ut verò Chriſtus hæc nobis præcepta leviora redderet, ſuo ipſe exemplo præceſſit, mortem etiam pro inimicis ſuſtinendo, quod niſi feciſſet, periiſſemus omnes. Hæc nimirum eſt admirabilis ſimul & amabilis Chriſti doctrina, quàm mundus non capit, obſtupeſcit tamen & reveretur, ob virtutis quàm ſpectat ſublimita-

liberalem ſi egeat, pacificum ſi offendat.

Matt. 7.

Chriſtus hæc non minus exemplo, quàm verbo tradidit.

humilitatem, quæ gentem quantumvis barbaram poteſt emollire, & niſi de cœlo, & à Deo eſſe non poteſt, quæ hujus ac futuræ vitæ beatitatem complectitur.

Dolor de imperfectione vitæ præteritæ. AFFECTUS. O anima mea, quàm procul ab hujus doctrinæ perfectione, & felicitate vitæ illius, quam hìc Chriſtus deſcribit, abfuiſti hactenus, qui erga externa hujus mundi bona, honores, & corporis oblectamenta, nondum affectum omnem exuiſti, ut verè pauper ſpiritu dici poſſis? Ecquid obſecro eſt, quod hic te veluti captivam detinet? adeóne viles contemptibilium fluxarúmque rerum laqueos perrumpere nondum poteris? ſubmove quidquid id eſt, neque te cœlo natam, & æternæ deſtinatam felicitati, his tam abjectis reculis patere illigari. Pœnitebit æternùm, niſi hujus jam te deſidiæ pœniteat. Te verò tuamque conſcientiam quod attinet, quid obſecro curabis rectè, ſi hanc negligas? quanta amaritudo eſt hanc eſſe oneratam! quanta ſuavitas hanc eſſe innoxiam! O dulcis triſtitia, quæ præterita peccata expiat, futura cavet! optata fames ſitiſque, quæ ad juſtitiam aſpirat! blanda ſuſtinentia, quæ in opprobriis & perſecutionibus unà cum Chriſto crucem amplectitur! Quis mihi tribuat, ut cum principe Apoſtolorum dicere poſſim: *repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra?* quantum inter has, & mundi voluptates diſcrimen! hæ brevi oblectant tempore, ac deinde perpetuò conſcientiam diſcruciant? illæ exiguo tempore affligunt, ac deinde æternùm in hac atque altera vita oblectant. Jam verò, quam procul ab ira, invidia ac detractione, quotidianis penè contra proximum delictis, viveremus, ſi illa Chriſti manſuetudine ac pace delectaremur, quæ cum charitate ſingulari cōjuncta, *benigna eſt, non æmulatur, non irritatur, non cogitat malum; ſed omnia ſuſtinet*, & pati injuriam, quàm inferre glorioſius exiſtimat: libenter ignoſcit proximo, cui toties à Deo ignoſcitur. O Domine, ſi hoc unicū à te didiciſſem, quod *mitis es & humilis corde*, jam dudum hæc omnia, cum ſummâ animi voluptate præſtitiſſem, dixiſſemque cum dilecto tibi Rege, *viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Dilata illud, obſecro

Magnum ſolatium eſt conſcientia rectè factorum.

2. Cor. 7. 4.

Manſuetudo erga proximum à multis liberat peccatis.

1. Cor. 13.

Pſ. 118.

obſecro, ut ex hoc momento intelligere incipiam, quæ doces verbo, & ſequi quæ tradis exemplo; ne illa beatitudine, quæ hujus ac futuræ vitæ eſt, excidam. En, ô Domine, paratum me ex hoc momento ignoſcere omnibus, & cavere ne in his illiſque occaſionibus N. N. ullum impatientiæ adverſus proximum ſignum edam, omnibus etiam inimicis benefaciam exemplo tui

III. PUNCTUM.

Conſidera, quemadmodum Chriſtus diſcipulos & reliquam auditorum turbam inſtruxerit de iis, quæ ad Deum & curam rerum cœleſtium ſpectant. Poſtquam monuiſſet, omnes perfectos eſſe debere, ſicut pater cœleſtis, qui etiam benefacit ſuis hoſtibus, ad Deum ſenſim, velut per gradus perfectionis auditores deducit, jubétque rectâ hunc intentione ſpectare in omnibus; ne faciamus juſtitiam, velut hypocritæ, coram hominibus, & mercedem gratiamque apud Deum amittamus. Quare in eleemoſynarum largitione, in jejuniis, in oratione, occultum nos potius locum quærere, quàm publicum conſpectum captare jubet. Porrò ut rectè oremus Deum, quæ ab illo potiſſimum ſint petenda, nos docuit. Nimirum, ſic orabitis, inquit. *Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum; fiat voluntas tua, &c.* Sic exorſus, ut oſtenderet, non ſolum reliquas actiones noſtras, ſed & ipſaſmet preces eò referendas eſſe, ut nomen Dei ſanctificetur, ejuſque voluntas perficiatur. adeóque unius Dei gloriam, ejuſque ſanctiſſimum beneplacitum ubique in oculis noſtris poſitum eſſe debere, & huc tanquam ad finem referenda omnia. Cùm enim iccirco nati ſimus; æquum eſt,

Adjecit & Christus quales erga Deum; in omni opere ſpectandum, nos eſſe vellet.

Omne enim

opus noſtrũ Deo, ut fructus arboris ſuo Domino, debetur.

eſt, ut totius vitæ noſtræ, tanquam ex arbore, ſuo Domino plantatæ, fructus eodem referantur. Quocirca ſolicitè nos Chriſtus admonet, ne in rebus terrenis animum cogitationeſque noſtras defigamus, ſed tanquam Deo cœloque nati, *quæramus primo regnum Dei*, ita fore, *ut cetera adjiciantur*: neque enim Deum in rebus neceſſariis ad vitam defuturum nobis, qui volatilia etiam cœli paſcit, & liliis campi providet. Non itaque theſaurizandum nobis in terris, ſed in cœlo, ubi furibus & corruptioni theſaurus noſter expoſitus non ſit. Neque ſeductores ac falſos Prophetas audiendos, qui ab anguſta cœli via, ad viam ſpatioſam liberæ ac diſſolutæ vitæ conantur traducere. Et hos *ex fructibus ſuis agnoſcendos* eſſe tradit: quòd *arbor mala bonos fructus non proferat*. Quæ *tanquam poteſtatem habens* Chriſtus docebat, ut admirarentur turbæ ſuper doctrina ejus. Quâ in uno ſermone totius Chriſtianæ vitæ ſingularem perfectionem complexus eſt. Hæc ſcimus, ſed beati erimus ſi fecerimus illa.

Deteſtatio vilium animorum, qui terrenis rebus immerſi, pro his tanto labore defunguntur, cùm æterna bona longè minori queant obtinere.

Affectus. O viles & abjectæ in terram animæ, quæ majori cura ac labore terrenas opes quærunt, quàm cœleſtes ambiunt: peritura ſectantur, æterna negligunt: corpori ſuo blandiuntur, animam deſerunt: immortalia mortalibus poſthabent; & Diabolo, quàm Deo ſervitutem præſtare malunt! An non ex tam inſanis perverſiſque hominibus, & ego unus fui hactenus; nec tamen adhuc ſatis meam deteſtor, & corrigo dementiam? Si pro illis Deus operibus, quibus cœlum æternamque felicitatem largitur, mundi hujus bona voluptatéſque nobis obtuliſſet: multi opinor hæc avidè ſectarentur, ſtudioſè explerent: neque difficultas hic ſeſe offerret ulla, ad quam territi mortales hærerent, facilius enim eſſet orare Deum, & quæ-

& quandóque jejunare, illumque, qui petitas ſemper opes largiretur ferre in oculis, quàm Indos per tot adire maris terrarúmque diſcrimina, nec leviter algere ac ſudare, ſitire ac famere, & vel coactas ad Deum preces mittere. facilius etiam, quàm ſtivam raſtrumque verſare ruſticis, frameam haſtámque ferre inter adverſos hoſtium inſultus militibus, & ſæpe vitam amittere, dum ejus alimenta ſectamur. Et tamen (ò cæca perverſitas!) huc turmatim affluimus, noctu diuque, pro exiguo, incertóque lucello, excubamus, eáque ultro præſtamus, quæ ſi pro cœlo æternaque felicitate obtinenda nobis Deus imperaſſet, durus immitiſque erga nos tyrannus videri poſſet. Jam verò quid levius, quàm exigere ab homine ad cœlum nato, ut Deum conditorem ſuum autoremque bonorum omnium in operibus ſuis ſpectet, principium unde prodiit, finem quo tendit, fontem unde omne in ſe bonum per momenta vitæ ſingula derivatur? Et ſi temporalia etiam bona deſideret. quid æquius, quàm ut regnum Dei, ſibi præparatum, tanquam excellentius reliquis, primò quærat, & cetera juxta Chriſti promiſſionem adjiciantur? Poterátne optabilior homini, etiam temporalium amanti, offerri conditio, ut & æterna haberet bona, & præſentia non amitteret? O me felicem, ſi hæc expendiſſem ſtudioſius hactenus, & tantâ egiſſem ſolicitudine, quantâ hujus ſeculi bona fui ſecutus! qualis in cœlo meritorum cumulus, quanta apud Deum gratia. & gloria eſſet repoſita! Nondúmne expergiſcor, & quod reliquum eſt temporis laboriſque huc totum refero?

Quâ viâ ſecuriſſimè temporalia bona ſimul cum æternis obtineri poſſint.

COLLOQUIUM.

O ſanctiſſima Dei Mater, & Virgo Maria, quæ conſervabas omnia verba dilecti filii tui in corde tuo, ita ut hæc tanquam ſemen caderent in terram bonam, ac fructum centuplicatum redderent, impetra mihi & hanc gratiam à ſuaviſſimo filio per maternam interceſſionem tuam, ut ſalutiferam hanc doctrinam ipſius avidâ mente excipiam, totámque ipſo opere ad gloriam divini nominis conſtanter expleam. *Ave Maria, &c.* ſubjungatur.

Imploratio divinæ opis per interceſſionem Matris.

O Je-

Et mediationem Chriſti.

O Jeſu, Salvator Mundi, ſis mihi Jeſus, & nunc etiam de cœlo, tanquam poteſtatem habens, hanc doctrinam tuam meo pectori imprime, ſicut olim diſcipulorum tuorum pectoribus in monte impreſſiſti. Patere te exorari à chariſſima Matre tua, pro me intercedente, & meus apud æternum patrem tuum mediator, non ſolùm per preces, verùm & ſanguinem tuum eſſe digneris; ut quemadmodum ſanctiſſimam ipſius voluntatem implere, gloriamque divini nominis ubique ſpectare in terris voluiſti; ita & ego, tua ſecutus veſtigia, ſolicitè impoſterum explere, ac ſpectare non deſinam. *Anima Chriſti ſanctifica me, &c.*

Tu verò, ô pater æterne, reſpice in faciem dilecti filii tui, non illam ſolùm, quam nunc interpellans pro nobis tibi oſtendit in cœlis; ſed etiam, quam pro mea olim ſalute tibi exhibuit in cruce, plagis, livore, & cruore reſperſam; quando attritus propter ſcelera noſtra, à te meruit exaudiri. & per ejus glorioſam mortem ac reſurrectionem, fac me peccatis mortuum, tibi ſoli in gratia, ac virtutum omnium exercitatione impoſterum vivere, idque univerſim ſpectare, *ut ſanctificetur nomen tuum* ab omnibus & in omnibus, nunc & in æternum. Imprime, ô mi Deus, hæc ita cordi & operibus meis, ut nunquam excidant.

DISTICHON MEMORIALE

Diſcipulos mira arte legit (2) præceptaque condit
Lege nova (3) Primas mandat habere Deum.

MEDIT. IV.

MEDITATIO IV. DIEI V.

De præcipua Chriſti doctrina miraculis firmata. Ex Hebd. 2.

VERITAS. Chriſtus, ad veritatis à ſe traditæ conteſtationem, mira ſupra naturam operatus eſt, fidémque, ut fundamentum ſalutis, exegit ab omnibus, quam miris apud poſteros operibus firmandam prædixit. (2) Poſt hanc, ad ſpem fiduciamque omnes, verbis, factiſque, nunc panes multiplicans, nunc mari & ventis imperans, excitavit. (3) Poſtremò in monte Thabor glorioſus, ſuis coram diſcipulis, & Chriſtianis omnibus deſiderium cœleſtis patriæ gloriæque injecit.

ORATIO ET PRÆLÚDIA *modo ſupra præſcripto inſtituentur. ut* e. g. *Petrum tibi in mari ambulantem, erectúmq; proponendo, &c. Deinde gratiam petendo.*

I. PUNCTUM.

COnſidera, quod Chriſtus, ut ſuam de cœlo eſſe doctrinam oſtenderet, multis illam ſupra naturæ vim virtutémque editis miraculis confirmavit; ita ut nulla unquam religio in orbe fuerit, quæ tanta ſanctitatis ſpecie propagata ſit, & tot tantiſque ſignis illuſtribus ſit ſtabilita. Quæ, ne ſuſpecta eſſe poſſent rectè expendentibus, non ad oſtentationem à Chriſto,

Chriſtus miraculis doctrinam ſuã probaturus fidem ante omnia requirit, ut ſalutis fundamentum.

ſto edita ſunt; verùm ad Dei ſolius gloriam, hominum ſalutem, & veræ fidei conteſtatio-

Matt. 9. nem. Ita cæcis clamantibus: *fili David miſerere noſtri. Creditis?* inquit, & annuentibus, tetigit oculos dicens, *ſecundum fidem veſtram fiat vobis.* Et Chananææ pro filia deprecanti dixit:

Matt. 15. *O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis, & ſanata eſt filia ejus ex illa hora.* Hæmorrhoiſſæ

Matt. 9. confidenti: *confide filia, fides tua te ſalvam fecit.* contra Marthæ dubitanti de ſuſcitatione

Ioann. 11. Lazari promiſſa; *ſi credideris, videbis gloriam Dei.* Diſcipulis quoque lunaticum fruſtra exorcizantibus, quærentibúſque: cur non potuiſſent ejicere? propter incredulitatem reſpon-

Matt. 17. dit: nam *ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic; tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Tanta videlicet in fide verâ vis eſt. Et in hujus virtute fideli Chriſtus Apoſtolos ad prædicandum miſſos juſſit, *infirmos curare, mortuos ſuſcitare, Dæmones pellere.* Miraculorum porrò vim non ſolum Chriſti & Apoſtolorum temporibus duraturam Chriſtus promiſit; ſed per credituros

Marc. 16. etiam poſteros eſſe propagandam. *Signa*, ait, *eos qui crediderint, hæc, ſequentur. In nomine meo Dæmonia ejicient, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Quæ de fide ſalvifica dici certum eſt, cum immediatè præmittat, *qui non crediderit, condemnabitur.* Hæc eſt illa fides, quâ Petrus confeſſus eſt. *Tu es filius Dei vivi*, ideóque Eccleſiæ Chriſtianæ petra ac fundamentum eſt conſtitutus, de qua dictum: *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, ac promiſſum inſuper:

Fidem hanc ad miracula quoque valituram apud poſteros prædixit.

Matt. 16.

inſuper: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.*

En fidei divinam vim, per quam tot hominibus valetudo corporis inſtaurata, ſalus animæ oblata, Eccleſia primùm erecta, & ad totam æternitatem propagata, ſupparique cum Deo ligandi ſolvendique poteſtate donata eſt. Hæc videlicet, *lumen eſt animæ, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ.* Sine hac in errore tenebriſque peccatorum miſerè mortales volutantur, nullus in virtute progreſſus eſt. Omnis à fide potiſſimùm languente defectus, omnis ab eadem vigente profectus eſt. Quis enim fieri poſſe exiſtimet, ut ſeriò quiſquam viváque fide credat, quæ de peccati gravitate, eiuſque pœnis, de virtutum meritis, de præſtantia divinæ gratiæ gloriæque nobis proponuntur, qui adhuc ſcelus perpetrare, virtutis gratiæque conceſſæ occaſionem poſſit negligere? Recolere ſecum certâ fide noviſſima, & tamen hæc ipſa contemnere, vix eſt hominis. Unde preces noſtræ petitionéſque apud Deum toties irritæ ſunt, niſi quia illâ fide deſtituuntur, quâ cum *omnia poſſibilia ſint credenti*? Unde tanta in operibus vanitas, in charitate frigus, in toto orbe diſcordia, niſi quia vetantis punientíſque hæc in tempore, & æternitate Numinis vera fide, ideóque & timore deſtituimur? Excute ſinus tuæ conſcientiæ, & intelliges hunc præcipuum eſſe malorum fontem. Serius hæc diſces, ſed *beati, qui non viderunt, & crediderunt.*

Euſeb. Emiſſ. in ſymb.

Vitiorum progreſſus, & defectus virtutum, ex defectu fidei eſt.

Matt. 9.

Deſiderium veræ vivaque fidei. AFFECTUS. *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Video, ô mi Deus, te immenſis penè defunctum laboribus, humanam mortalemque naturam induiſſe, *Marc. 9.* cœleſtique felicitate ac gloriâ deſertâ, in hanc te miſeriarum vallem dimiſiſſe, nec quicquam ferè calamitatis in mundo reperiri, quod, excepto peccato, non ſubieris, ut mihi ſalutiferam hanc fidem, per te tuóſque in Eccleſia Doctores, traderes, ac perſuaderes. Quidquid docuiſti, quidquid egiſti ac paſſus es, miracula à te patrata, expulſi Dæmones, excitati mortui fidem ſuadent. Deinde jejunia orationes, patientia, & charitas tua, vita univerſa at- *Confuſio ſui ob minus æſtimatum fidei beneficium, quod tam multis negatum eſt.* que ipſa etiam mors tua huc ſpectat, ut veram vivificamque fidem inculcares. Et hanc mihi gratiam præ mille aliis mortalibus, cùm ethnicis, tum hæreticis, ſingularem impendere voluiſti; ut confundar atque erubeſcam, quando hoc tantum beneficium tuum, tam ingrata ac frigida mente complector. *Nam ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in nobis, olim in cilicio* *Matt. 11.* *& cinere pœnitentiam egiſſent.* Væ utique mihi, ſi in tanta oblatæ fidei gratia, ingratus vivam; ſi pretium hoc laboris, & ſanguinis tui debita æſtimatione non excepero, quod tot caſtiſſimæ Virgines, proſcriptis carnalibus illecebris, tot Confeſſores in perpetuis vigiliis, jejuniiſque, tot Martyres proprii etiam ſanguinis profuſione venerati ſunt. Qui illam promiſſis tuis fidem habuêre; ut opibus, deliciis, honore, mundo, propriâ libertate, vitâ ipsâ neglectâ, fide ingenti ad propoſitum à te bravium contenderint. *Excitatio ad fidem ſanctorum.* Quid hæremus, ô anima, quin pari fide ac contentione breve hoc vitæ reliquum nobis ſpatium decurrimus, quando eadem nobis promiſſa ſunt, quæ jam alios glorioſè credimus aſſecutos. Et quid durum eſſe poterit, *Heb. 12.* *aſpicientibus in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ: nunc autem in dextera ſedis Dei ſedet?* Euge per fidem invictamque patientiam, huc ſequere. breve laboris tempus eſt, æternum præmium, mox videbis in gloria, quem nunc ſequeris in viâ. Vivâ fide crede, & obtinebis.

II. PUNCT.

II. PUNCTUM.

Conſidera, quod Chriſtus ſuis in Eccleſia miraculis, non tantùm fidem in nobis, ſed etiam ſpem divinam excitet confirmétque, idque non ſolùm in rebus ad ſalutem æternam, verùm etiam temporalem vitam ſpectantibus. Cùm ipſe non minus autor conſervatórque naturæ ſit, quàm gratiæ: nec quicquam eorum oderit deſeratque, quæ fecit. Quocirca non ſolùm orare ac petere nos docuit: *adveniat regnum tuum*; verùm etiam *panem noſtrum quotidianum da nobis.* Hac de cauſa Chriſtus quinque hominum millia, ſeſe in deſertum uſque conſecuta, ipſe prodigioſâ panum ac piſcium multiplicatione pavit, majori inſuper duodecim cophinorum in cibis quantitate relictâ, quàm appoſita fuerat. ut oſtenderet, quod alibi docuit; quærentibus primò regnum Dei, nihil in temporalibus defuturum; & in his quoque non tam labori & curæ noſtræ, quàm divinæ providentiæ, quæ etiam *lilia agri veſtit*, eſſe confidendum. Hac de cauſa quoque ſciſcitatur Apoſtolos, quos ſine omni cura victus ad prædicandũ miſerat: *quando miſi vos ſine ſacculo & pera, nunquid aliquid defuit vobis? & illi dixerunt, nihil.* ut Iſraëlitas in deſerto, Eliam & Paulum in ſolitudine, pane cœlitus ſubmiſſo pavit; ita mille vias arteſque Deus ad noſtras neceſſitates levandas tenet. Quam igitur væcordes ſunt, qui ſuis plus manibus audent fidere, quàm Deo.

Chriſtus ſuis etiam miraculis ad ſpem nos erexit, tam quò ad temporalia bona, quàm æterna in ſolo Deo collocandam.

Matt. 14.

Temporalia promiſit, quærentibus prius ſpiritualia.

Luc. 22.

Jam in peccatis, tentatione, ac tribulatione quis ad Deum unquam ſeriò ardentérque confugit,

In ſpiritualibus verò

Ad opem promptiſſimus eſt. fugit, & deſertus eſt? Magdalena publica meretrix, tot flagitiorum rea, ut ſeptem Dæmonibus, hoc eſt totidem vitiis capitalibus, obſeſſa *Marc. 16.* diceretur, in Chriſto redemptore ſpem ſuam collocans, nec erubeſcens publicam in domo *Luc. 7.* Simonis pœnitentiam, audire meruit: *remittuntur ei peccata multa, & fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.* Ita & prodigus ſpe plenus, ut qui mercenarios etiam in domo patris abundare videret, cùm ante patrem ſupplex his verbis deprecaretur culpam, *peccavi in cœlum & coram te, & jam non ſum dignus vocari filius tuus,* in amplexus & domum patris, magno gaudio, uſque ad invidiam fratris, receptus eſt. Nimirum Deus eſt, qui *non vult mortem peccatoris; Ezech. 8.* *ſed magis ut convertatur, & vivat.* Iccirco mortem ipſe ſuſtinuit in ligno; ne peccator ſuſtineret in inferno. Ipſe factus eſt Deus ſalutaris noſter, ne quiſquam de ſalute deſperet: ſpes noſtra, *qui fecit utraque unum, in quo ſalvati & liberati ſumus.* Adeò de nobis ſolicitus, ut ſi *mater poſſit oblivisci infantem uteri ſui, ille tamen non obliviſcatur noſtri.* Porrò ut oſtenderet Apoſtolis in tentatione ac tribulatione certum ſeſe eſſe refugium, & licet cunctetur, non tamen ſuos deſerere: nonnunquam in vehementi maris tempeſtate inter diſcipulos jactatos obdormiſcens, cùm à meticuloſis excitaretur, de modica illos fiducia arguit, ac repentè conſurgens *imperavit ventis: & facta eſt tranquillitas* *Matt. 8.* ita ut turba obſtupeſcens diceret: *quis eſt hic quia venti & mare obediunt illi?* Sic in alia tempeſtate verſantibus Chriſtus per medium acceſ-

Fluctuantibus in ſpe opem quandoque differt, ut doceat confidere.

ſi

it mare, Petróque in occurſum accito, cum hic majori fiducia inſiliiſſet in mare, quàm progrederetur, manum obviam porrexit, ſimulque hæſitantem increpavit: *modicæ*, inquit, *fidei, quare dubitaſti?* an non is ſum, cui aliàs ventum & mare obedire conſpexiſti, quem Dæmones formidare, morbos fugere, cui vitam mortémque ſubjici exploratum habebas? fidentius ille egit, qui dicere auſus eſt, *etiamſi me occiderit, in illum ſperabo.* Hunc audi & ſequere, *invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Iob. 13. Pſalm. 49.

AFFECTUS. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam.* Ad quem enim alium ibimus, in omni neceſſitate & anguſtia noſtra, niſi ad te Deus meus, qui es fons bonorum omnium. In fame & nuditate, *oculi omnium in te, ſperant Domine, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Si tentator nos infeſtet: Tu es refugium meum, *quoniam eripuiſti animam meam de morte, pedes meos à lapſu, ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Si mundus, caro, Dæmon, homines & creaturæ omnes conſurgant adverſum me: *Dominus illuminatio, & ſalus mea; quem timebo? Dominus protector vitæ meæ; à quo trepidabo?* Et ſi adverſitas me cum Jobo premat undique, ſi noti & amici deſerant, ſi mors ipſa ingruat, *ſcio, quod redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum meum:* non me deſeret, neque in vita, neque in morte. Peccavi fateor, & non ſum dignus vocari filius; ſed major eſt miſericordia illius, quàm mea iniquitas. Qui Magdalenæ, qui prodigo, qui Petro, qui in cruce latroni ignovit, quique tot peccatores, gaudentibus etiam in cœlo Angelis, paternas rurſum in ulnas excepit, hic me ſupplicem non averſabitur. Deus meus eſt, ac conditor meus, & ad quem alium confugiam ego opus manuum ipſius? Poteſt mihi ſuccurrere, quia omnipotens

Ier. 17. 5. Pſ. 72. 28. *Spes & fiducia in Deo bene collocata.* Pſal. 144. Pſal. 55. 13. Pſal. 26. Iob. 19. *Deus novit,*

poteſt, ac vult: confugientibus ad ſe ſubvenire.

Oſ. 11. 3.

Aug. Man. c. 22.

tens eſt: ſcit, quia novit omnia; vult etiam, quia ſummè bonus eſt; & quomodo in illum non ſperabo? Illa me verba etiam in abyſſo calamitatum erigent: *ego, quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis. In funiculis Adam traham eos, & in vinculis charitatis.* Trahe me poſt te, ô Deus meus, *adjutor fortis in omni tribulatione mea*; qui non ſolum creaſti me, cùm non eſſem, verum etiã redemiſti, cùm eſſem perditus. *Tota ſpes mea in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, & refugium, ſalus, vita & reſurrectio mea.* Quid enim ab eo non ſperem, qui ſuam mihi impendit divinitatem, factus homo, famam & honorem, factus opprobrium hominum; vitam & mortem, pro me extrema perpeſſus, & in cruce mortuus? *Deus meus in te confido, non erubeſcam.* In his meis neceſſitatibus N. N. in iſtis tentationibus & adverſitatibus N. N. ad te confugiam, qui *nunquam deſeris ſperantes in te.*

Pſ. 24.

III. PUNCTUM.

Conſidera Chriſtum ad excitandum in chariſſimis ſibi diſcipulis regni ac gloriæ cœleſtis deſiderium, ſeſe in monte coram Petro, Jacobo, & Joanne transfiguraſſe: ita ut ſplenderet facies ejus ſicut ſol. ubi cum Moyſe, & Elia in majeſtate apparentibus, de exceſſu ac morte ſua locutus, lucidáque de cœlo nube obumbratus, illud à patre præconium habuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Quo ſpectaculo magnopere recreatus Petrus. *Domine*, inquit, *bonum eſt nos hic eſſe; faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, & Moyſi unum, & Eliæ unum.* Videlicet magis illo delectabatur, quàm oratione Chriſti, paulò ante montis aſcenſum, de morte ſua prædicente, *quod oporteret filium hominis multa pati, reprobari, & occidi*, & neceſſe eſſet Chriſtum ſequentibus, ut *abnegent ſemetipſos*

Matt. 17. Luc. 9.

Chriſtus in monte Thabor glorioſus, cum Moyſe & Elia apparens, prælibandam dedit diſcipulis cœleſtem gloriam.

ipſos, tollant crucem, ac ſequantur. Dominus itaque, ut durum hunc ſermonem utcunque leniret, animóſque ad patiendum ſecum exigeret, hoc ſolatio gloriæ ſuæ, illis in monte exhibitæ, eoſdem voluit excitare. Quæ gloria ſi in rudi ſpecie mortalibus oculis expoſita, tanto animos mærentium gaudio recreavit, ut Petrus, velut mundo omnibúſque caris renuntians, ſuæque immemor neceſſitatis, hærere iſtic cum Chriſto ſolum tanquam ſpectator, jucundum duxerit. Qualis obſecro futura eſt cœleſtis illa, quam mortalis oculus, animuſque in fragili hoc corpore non capit. *Non enim videbit me homo,* Deus inquit, *& vivet.* Apoſtolo idem confirmante: *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Et, *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Quod ſi igitur radius aliquis, aut potius umbra cœleſtis gloriæ, à Chriſto pro diſcipulorum capacitate demonſtrata, ita animos illorum occupavit; ut pro deliciis habuerint, illi ſoli immorari, totiuſque mundi bonis ac voluptatibus deſtitui, ut hiſce tantillis è cœlo depromptis gaudiis fruerentur; quid pro illis faciendum ferendumque non eſt, quæ *nos inebriabunt ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis potabunt.* Quid igitur opibus, honoribus, regniſque hujus mundi tenemur, quando tam exigua Chriſti gloria, ita diſcipulos tenuit, ut jam obliti totius mundi, in ſolitario aridoque montis vertice habitare cum Chriſto deſiderârint?

Ante tamen de ſua & aliorum paſſione concionatus.

1. Cor. 2. 9.

Cœleſtis gloria amor, facit deſpicere mundum.

Pſalm. 35.

Obſe-

Apoc. 21. Obſecro te, ſuſpice civitatem illam, cujus portæ ex margaritis ædificatæ, ſtructura muri ex jaſpide, civitas, ejuſq; plateæ aurum mundum, quamque charitas Dei illuminat: ubi *tabernaculum Dei* perpetuum *cum hominibus*, ubi *mors non erit ultra, nec ullus dolor*. Ibi deponamus theſaurum noſtrum, ubi illum ærugo non conſumit, & fures non ſuffodiunt. Ibi regnum quæramus, ubi illud paratum nobis eſt à conſtitutione mundi, regnum omnium ſeculorum quod inimicus nullus infeſtat, pax æterna firmat, gloria immortalis illuſtrat: ubi omnes *juſti fulgebunt ſicut ſol, & ſicut ſplendor firmamenti.* Regnum enim Chriſti non eſt de hoc mundo.

Deſiderium cœleſtis gloriæ, ejuſque excellentia. AFFECTUS. O Anima mea, ad Deum & cœleſte hoc regnum condita, quid hæres ac ſectaris in terris, quando tam immenſa tibi bona, tantaque gloria præparata eſt in cœlis? Si Apoſtolos exilis illa potuit detinere in monte Chriſti gloria, quid illa jam ſumma & inexplicabilis faciet in cœlis, ubi non ſola facie, ſed toto corpore, totâ animâ divinitate totâ, inter plura ſanctorum irradiabit agmina quam ſpectantur in cœlo ſidera? ubi in ſummo bono apprehenſo, verè bonum eſt eſſe: ubi *illud, quod præparaſti Deus diligentibus te, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non apprehenditur, deſideria ac vota tranſgreditur: acquiri poteſt, apprehendi non poteſt*? Ibi denique intelligemus, *quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te*! *Abſcondes enim eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum proteges eos in tabernaculo tuo.* Quam ſtultè ſectamur tabernacula in terris, quando tabernaculum nobis Dei præparatum eſt cœlis! & tabernaculum verè jucundum non in monte arenoſo, interque ventos mundi hujus non in ſqualida hac lacrymarum valle; ſed in monte divinæ gloriæ, in valle omnium deliciarum. ubi gaudium ſine mœrore, gloria ſine contumelia, voluptas ſine nau-

Aug. l. 22. de civ. Dei.

Pſ. 30. 20.

ſe-

ca eſt. O ſi illa amantiſſima ſponſi verba brevi audire liceat, *veni ſponſa mea, veni de libano, veni coronaberis!* Cant. 4. At *nemo coronatur, niſi qui legitimè certaverit.* Ante in ſtadio hujus mundi currendum ſudandúmq; nobis eſt, priuſquam bravium reportemus *Omnis autem, qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.* 1. Cor. 9. Age, o anima, tempus & ſtadium anguſtum eſt, labor perbrevis ad immenſam æternitatem comparatus, onus leve ad æternum *gloriæ pondus, quod operatur in nobis.* Ne committe, ut diligentia, & contentione vincaris ab his, qui peritura hujus mundi bona, honores & coronas, tantis laboribus periculiſque conſectantur. O ſegnem atque inanum te, niſi æterna pluris æſtimes, quàm illi peritura! & ſi immenſæ illius gloriæ opes, honores, deliciaſque minoris facias, quàm illi levicula atque inſtabilia hujus mundi bona! illi in his comparandis ſudent, noctu diuque vigilent; tu in iſtis frigeas atque obdormiſcas! In ſtadio verſamur: in quo, aut carendum bravio eſt; aut currendum, ut comprehendamus. Hoc igitur in illo N. atque iſto N. difficili labore tuo cogitabis. Quod iſti pro bonis perituris, id tu non præſtabis pro ſempiternis?

Excitatio ad laborem ante coronam requiſitum.

COLLOQUIUM, *ut ſupra inſtitutum, propoſitum cum virtute ubique operandi, & gratiæ à Deo ad hoc præſtandum poſtulationem complectatur. Præcipueque huc dirigatur, ut deſiderio rerum cœleſtium accenſus animus, ſpretis perituris, nil niſi æterna bona concupiſcat.*

DISTICHON MEMORIALE

Miraclis fovet ipſe fidem (2) ſpemque excitat omnem,
(3) Et deſideriis imbuit ætheriis.

(†)

Jacula-

Jaculatoriæ aſpirationes laudis Dei, & gratiarum actionis, præcipuè ad Chriſtum patientem.

Apoc. 5. 9. GRatias tibi ago Domine Jeſu, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione.

Ibid. v. 12. Dignus es, ô Domine, qui occiſus es, accipere virtutem, & divinitatem, ſapientiam & fortitudinem, & honorem & gloriam & benedictionem.

Iſa. 53. 4. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.

Zach. 13. O Domine, quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? nunquid his plagatus es, in domo eorum, qui diligebant te?

1. Ioan. 1. Sanguis Jeſu Chriſti filii Dei emundet nos ab omni peccato.

Thren. 3. 22. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes ejus.

Pſ. 34. 11. O mi Deus, omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum ejus, egenum & pauperem à diripientibus eum.


Pſ. 115. 7. O Domine, tu dirupuiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Pſ. 144. 21. Laudationem Domini loquatur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto ejus, in ſeculum & in ſeculum ſeculi.

Pſ. 37. 18. Ecce Domine, ego in flagella mea paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Pſ. 56. 10. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & pſalmum dicam.

Pſ. 115. 4. Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.



ſpicientes in autorem ſidei, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem,
e fatigemini. Heb. 12.

DIES VI. EXERCITIORUM.

CHriſti patientis, nobiſque ſe totum in cœna ultima & ara crucis impendentis, memoria hoc die proponitur. Quæ potentiſſima eſt, ad præcipuos in homine religionis ac pietatis affectus concitandos, ideóque in hujus meditatione plerique ſanctorum hominum potiſſimùm ſunt verſati. Quòd, ut peccatorum inexplicabilis in paſſione gravitas, Deique in ſcelera immenſum odium; ità admirabilis Dei patris miſericordia atque unigeniti erga nos filii amor, inter extrema hæc ſupplicia, imprimis eluceſcat. *Commendat autem,* ait Apoſtolus ſuis Romanis, *charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam, cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii, multò magis reconciliati ſalvi erimus, in vita ipſius.* Ab illo quid non ſperemus amantes, qui vitam nobis mortémque, divinitatem ſuam humanitatemque impendit, ut à peccatis liberi, Deoque reconciliati ſalutem, vitamque æternam conſequeremur. Quis non deteſtetur peccatum, propter quod ipſe Dei filius tam horrenda perpeſſus eſt? Quis non humilietur, ubi ita ſeſe exinanivit ipſe Deus; hominum factus opprobrium? Quis ſub Duce ſpinis coronato ſectetur mundi delicias? ſub atrociter flagellato, carni ſuæ nimium indulgeat? Sub tali ſalutis noſtræ, divinæque gloriæ zelatore, in hac cura frigeat? Certè breve omnium virtutum compendium in Chriſto ſola exhibet paſſio. In hac fœdiſſima peccati labes ejuſque juſtiſſima deteſtatio: pulcherrima virtutum idea, & meritorum Chriſti excellens pretium, ſalutiſque noſtræ & æternæ vitæ æſtimatio, præcipuè eminet. Præſertim, ſi, ut par eſt, quiſque ſibi hæc ita appropriet; ut noverit, quòd, etiamſi ſolus ipſe peccaſſet, ſalutem, niſi Chriſto Deo ac homine redimente, conſequi non potuerit: ac proinde tantorum laborum dolorúmque cauſa in Chriſto patiente fuerit, Paulo idem agnoſcente, ac dicente; *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum propter me.*

Rom. 5. 8.

Gal. 2. 20.

MEDIT. I.

MEDITATIO I. DIEI VI.

De Euchariſtia tanquam memoriali Paſſionis Dominicæ inſtituta. Reſpondens 1. Med. Hebd. 3.

VERITAS. Chriſtus ſacrificium, Sacramentumque Euchariſticum in Eccleſia inſtituturus, admirabili prius demiſſione pedes diſcipulorum abluit: non obſcurè ſignificans, quantâ ad hoc puritate ſit accedendum. (2) In quo omnes theſauros ſapientiæ, potentiæ, & bonitatis charitatiſque ſuæ nobis Deus propoſuit. (3) Fructumque ſpiritualis vitæ multiplicem, tam ad vitanda peccata, quàm gratiam virtutéſque augendas exhibuit.

ORATIO PRÆPARATORIA more conſueto.

PRÆLUDIUM triplex. 1. *Recolenda hiſtoria, de cœna apparata, lotione pedum, Euchariſtiæ inſtitutione, & deſiderio patiendi.* 2. *Imaginatio loci ac cœnæ* : 3. *poſtulatio gratiæ adjungitur.*

I. PUNCTUM.

INtuere Chriſtum, priuſquam admirabile illud ac perpetuum in Eccleſia ſacrificium, & Sacramentum Euchariſtiæ, tanquam paſſionis ſuæ memoriale inſtitueret, abjicientem ſeſe ad pedes diſcipulorum, eoſque lavantem

Chriſtus ante myſteriū Euchariſtiæ inſtitutum

ad pedes diſcipulorum lavandos ſe abjecit. Ioan. 13.

& abſtergentem: ut tam Sacerdotibus, quàm Laicis oſtenderet, quantâ puritate ac demiſſione ad hoc myſterium eſſet accedendum. Cùm lotione finita diceret: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis.*

Singulari humilitatis exemplo.

Expende, *quis*, & *quibus* pedes laverit. Ipſe Chriſtus non diſſimulat. Ego, inquit *Dominus & Magiſter* lavi *vobis* pedes, utique ſervis meis ac diſcipulis. Celebratur in S. literis hoſpitalitas Abrahami Angelos excipientis, qui ait *afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes veſtros* & Joſephi, qui fratribus *attulit aquam, & laverunt pedes ſuos.* Sed quam hic diſpar humilitas homo Angelis, frater fratribus ſervit; nec per ſe pedes ipſos abluendo, ſed aquam ſolam miniſtrando. Chriſtus tamen ad pedes ſervorum abjectus admirabile hoc profundiſſimæ humilitatis exemplum edidit. Et qualis quantuſque Dominus! qui principibus regibuſque hujus mundi imperat univerſis, ad quem Abraham olim ſupplex orabat: *loquor ad Dominum, cùm ſim pulvis & cinis.* Quis jam exponet demiſſionis illius profunditatem, quâ ille cœli terræque conditor, ille amantiſſimus diſcipulorum magiſter, ille ſalutis noſtræ autor, ad pedes ſui proditoris Judæ ſeſe abjecit? Quem tanta ſubmiſſio Domini, tantus amor ac benevolentia redemptoris, ad quam Petrus attonitus exclamabat: *Domine, tu mihi lavas pedes?* nequaquam flexit. O ferreum pectus, & Judæ, & meum, ſi his non tangar, humilier, abjiciar, etiam ad pedes inimicorum meorum, & benefaciam his, qui oderunt me! Dominus ita ſe demitti

Gen. 18.
Gen. 43.
Gen. 18.

Ad quod oli improbi num Iuda non flectun-

a

ad pedes inimici, & ſuperbus ac contumax homo, nil tali exemplo motus, reſiſtat? *tur: licet ſuos illos Chriſtus etiam lavet ſanguine.*

Expende 2. Judæne, an Chriſto hactenus ſimilior, erga amicos hoſteſque viſus fueris? & quo deinceps exemplo tibi ſtatuas eſſe vivendum? Toties Deum tradidiſti ad mortem, cum Juda, quoties Diabolus tibi in cor miſit, ut admiſſis ſceleribus, propter quæ Deus mortuus eſt, Chriſtum proderes. *Poſuit enim Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum.* Toties ille ad pedes tuos pronus jacuit, quoties ſuum, æterno patri ſupplex, pro te ſanguinem obtulit. Abjectus enim ille ad pedes Judæ, non tantùm aquam offerebat, quâ lavaret pedes, ſed etiam in hac figura ſanguinem, quo, & Judæ, & omnium peccatorum crimina ablueret. *Lavit enim nos à peccatis noſtris, in ſanguine ſuo*: Apoc. 1. ſed hoc ſpectaculum, nec Judam, nec tot poſt illum peccatores inflectere, atque à peccatis ad Deum convertere potuit. Ah, ne inter tam infelices exiſtam! Infige, ô Domine, hoc exemplum humilitatis & amoris menti meæ!

Finis præcipuus lotionis fuit, ut doceret, quanta humilitate puritate, & charitate, ad Euchariſtiæ myſterium, omnibus accedendum eſſet.

Verùm *quo fine* hæc potiſſimùm à Chriſto lotio tanta demiſſione & charitate eſt inſtituta? Nempe hæc erat præparatio ad diviniſſimum illud Euchariſtiæ myſterium inſtituendum, percipiendumque. *Sciens enim Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Et quod majus argumentum dilectionis relinquere potuit, quam ſeipſum in teſtamento hereditatis perpetuæ legare ac tradere ſuis diſcipulis, atque Eccleſiæ? *Hoc*, inquit,

 eſt

eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Et, hic calix eſt novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effundetur. Ad tale videlicet tantúmque myſterium inſtituendum, tam profunda humilitas, tantáque in omnibus puritas, ut *eſſent mundi omnes*, requiſita erat. Qua de cauſa Paulus monuit: *probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*: cui ſumma reverentia & honor, in omni humilitate ac puritate mentis debetur. Exhorruit Petrus cum audiret: *ſi non lavero te, non habebis partem mecum.* Et quiſquam ſit, qui partem cum illo non lotus habere velit, hoc eſt, qui impurâ Chriſtum cõſcientiâ attrectare præſumat?

1. Cor. 11.

Admiratio & depradicatio humilitatis Chriſti in lotione, ſapientiæ & amoris in divino epulo.

AFFECTUS. O novum & inauditum hactenus in mundo cœloque ſpectaculum! cœli terræque Dominus ad pedes diſcipulorum, & proditoris ſui Judæ, abjectus cernitur. Eſther olim attonita procidit, quando Regem Aſſuerum in ſede majeſtatis ſuæ fulgentem aſpexit: ego perculſus hæreo, quando Dominum gloriæ & majeſtatis, in ſervili habitu officióque ad pedes peccatorum abjectum cerno. Regina Saba *videns omnem ſapientiam Salomonis, & cibos menſæ, & habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium, & holocauſta quæ offerebat,* præ ſtupore, *non habebat ultra ſpiritum:* ego attonitus obſtupeſco, quando cœnæ illius Euchariſticæ dignitatem ac pretium ordinem que miniſtrantium in Eccleſia Sacerdotum, & laicorum huic menſæ accumbentium hoſtiamque pro mille hoſtiis unicam, atque inconſumptibilem intueor. Hæc talia ac tanta Salomonis noſtri æternæque Sapientiæ opera quis digna cogitatione apprehendet, nedum verbis enarrabit? Hæc eſt *Sapientia, quæ ædificavit ſibi domum, immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam,* in qua panem Angelorum nobis exhibuit, quem manducabit homo. O demiſſionem incredibilem Salvatori

oris noſtri ad ſordidos pedes ſervorum abſtergendos abjecti. O charitatem & ſapientiam incomparabilem ſeipſum ita hominibus communicantis! Non illum ſervorum vilitas, non ingratitudo inimicorum ab hoc obſequio exceſſuque amoris revocabat. Quin potius *deſiderio deſideravi*, ait, *hoc paſcha manducare vobiſcum.* Et heu me, qui tanto animi frigore Salvatoris mei charitatem excipio! Ille immenſæ majeſtatis Dominus, ad cujus nutum cœli terræque trepidant, innumeræ cælituum turmæ famulantur, non per Angelos, ut olim, ſed ſeipſum ad nos inclinatus deſiderat, ambit, anhelat nobiſcum intimè ſociari: & adhuc torpemus? non occurrimus venienti, & invitanti? *Si quis parvulus eſt*, (qui meam poteſt humilitatem imitari) *veniat ad me*, inquit. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Tantam illius benevolentiam quantâ tenemur gratitudine amplecti, ne nobis Deus exprobret: *audite cœli, & auribus percipe terra, filios enutrivi & exaltavi; ipſi autem ſpreverunt me!* Abſit ô Domine, ut ingrato te animo unquam ſpernam, tantorúmque bonorum immemor nunc & in æternùm exiſtam! Abſit ut impoſterum occaſionem ullam te dignè in hoc cibo fruendi omittam.

Deteſtatio humani torporis & ingratitudinis.

Prov. 9. v. 4.

Iſa. 1. 2.

II. PUNCTUM.

Conſidera excellentiam hujus Sacramenti, quæ talis ac tanta eſt, ut in hoc jure dicantur reconditi *omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*, cum Chriſto homine ac Deo, & quaſi in compendio bonum omne, tam creatum, quàm increatum contineatur. Nam *quid eſt bonum, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Complecti in ſe Chriſtum omne bonum, nemo eſt qui ambigat; ſed ut illud nobis communicetur, hoc illius facit uſus Sacramenti; ut verò Deo in ſatisfactionem pro nobis offeratur, hoc facit uſus ſacrificii. Eminet itaque in hoc myſterio infinita Dei ſapientia, quæ poſtquam ad-

In hoc Sacramento ſumma Dei ſapientia, per quam ſe nobis communicavit, eminet.

Zach. 9. 17.

mirabili unione, per incarnationem divinæ perſonæ naturam ſociavit humanam, ad redemptionis noſtræ opus peragendum, ne ſe uni tantùm communicaret homini, verùm etiam in propria ſubſtantia univerſis conjungeret,
Pſ. 100. Sacramentum hoc inſtituit, in quo verè *memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus*, quando ſeipſum *eſcam dedit timentibus ſe.* Nam adultis neque incarnationem ſuam, neque redemptionem ſine hujus Sacramenti perceptione prodeſſe voluit; ſed in uno hoc beneficio collegit quodammodo univerſa, dignè ſumentibus ad ſalutem applicanda. ut rectè quærat Paulus: *quomodo non cum*
Rom. 8. *illo* (Chriſto) *nobis omnia donavit? Avare*, inquit
Serm. 12. De Verb. Dom. Auguſtinus, *quid aliud cupias? quid tibi ſufficit, ſi Deus non ſufficit?*

In eodem ſtupenda elucent opera divinæ omnipotentiæ. Eminet deinde in hoc Sacramento immenſa Dei potentia, cujus ſtupendum opus Eccleſia his verſibus celebrat. *Caro cibus, ſanguis potus: manet tamen Chriſtus totus, ſub utraque ſpecie. à ſumente non conciſus, non confractus, non diviſus, integer accipitur. Sumit unus, ſumunt mille, quantùm iſti, tantùm ille, nec ſumptus conſumitur. Sumunt boni, ſumunt mali; ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus, &c.* An ambiges, quod ille hæc poſſit, *apud quem non eſt impoſſibile omne verbum?* qui ſolem condidit iiſdem radiis cœlum terramque illuſtrantem, indiviſum in mille ſpeculis atque in omnibus eundem qui in uno, nec tamen multiplicando exhauſtum? qui in tuomet corpore animam creavit, tam in ſingulis totam partibus, quàm in toto unam ac

totam

totam corpore? An neſcis quod quinque panibus ſaturare potuerit quinque millia hominum? & non vides quotannis, quod ex uno ſeminis grano producat aliquando centum? Submitte igitur divinæ potentiæ in tam admirabili myſterio intellectum tuum, qui nec pulicis unius naturam capit; & expende, quale quantumque opus Deus tui gratiâ molitus ſit, in quo ipſe ſe artifex, tot tantiſque potentiæ miraculis incluſit.

Denique incomprehenſibilis Dei bonitas, & amor erga hominem, in hoc Sacramento excellit. Nam ſicut Pater æternus, in hoc nobis commendat charitatem ſuam, quando *ſic dilexit mundum, ut filium ſuum daret unigenitum*; ita & Chriſtus, quàndo ipſe ſe in ultima cœna obtulit, dicens: *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Potuítne divina bonitas amorque ad hunc exceſſum pertingere, ut ad viles ingratóſque ſeſe homines, tam liberali ſuiipſius ac totius divinitatis etiam communicatione transfunderet! Elias Eliſæo pallium, Jonathas Davidi veſtes ſuas, amoris ingenui ardentiſque teſtes, obtulit; quis unquam dedit ſeipſum? *O honorem Chriſtiani, ô amorem Dei! digni effecti myſteriis divinis, concorporei & conſanguinei Chriſti facti eſtis.* Admiretur, & deprædicet Salomon Iſraëlitici populi felicitatem manna de cœlo colligentis dum ait: *Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, &*

Denique immenſa Dei bonitas charitasque ſpectatur.

Ioan. 3. 16.

Luc. 22.

Ioan. 6.

Cyrill. Ier. Cat. 4.

Sap. 16. v. 20.

omnis ſaporis ſuavitatem. Nos alium *de cœlo panem vivum* habemus; nec ſicut *manducaverunt patres noſtri manna & mortui ſunt; ſed qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Non igitur Chriſtus ſemetipſum ſolum; verùm & vitæ æternæ poſſeſſionem, ac felicitatem ſibi debitam, huic cibo annexam incluſamque voluit.

S. Bern. Serm. 2. in cœna. AFFECTUS. *Poteſtne æſtimari, quale, vel quantum eſt hoc ſanctum ſanctorum, ſacramentum ſacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? Hæc ſunt verè fercula vitalia juſtorum & ſanctorum, hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balſami cœleſtis. Hic efficitur una caro ſponſa cum ſponſo, unus ſpiritus ſancta anima cum Chriſto.* O quomodo tam incomprehenſibili amori, digno ego amore reſpondebo! omnem charitatis menſuram excedit, ita alienam amare vitam, ut negligas propriam, ita amici mortem avertere, ut ipſe ſuſtineas: ita viliſſimum complecti hominem, ut ad illius te vilitatem abjicias, ad tuam illum dignitatem gloriamque aſſumas: denique eidem ita ſociari, ut in alimentum ipſius converſus, tu in illum, & ille in te, nová amoris metamorphoſi transformetur. *Ergone, credibile eſt, ut ſic habitet Deus cum hominibus ſuper terram? ſi cœlum & cœli cœlorum non te capiunt, quantò magis domus hæc* ſordida humani corporis? Quomodo tanta dignitas ſic poteſt abjici, tanta majeſtas ſic abſcondi, tanta gloria ſic obſcurari? *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis paſtor unquam carne ſua oves ſuas nutrivit? Multæ matres, poſt partum aliis nutricibus filios ſuos alendos tradunt, quod Chriſtus facere noluit; ſed proprio nos alit corpore, ac ſecum conglutinat.* O Chriſtiani, ô animæ meæ vires omnes, *confitemini Domino, & invocate nomen ejus, notas facite in populo adinventiones* ſapientiæ, potentiæ, & bonitatis *ejus: Cantate ei, & pſallite illi, & narrate omnia mirabilia* divini amoris *ejus!* O ſi te ego Domine, omni poſſibili creaturarum omnium affectu complecti, & aliqualem tanto amori amorem poſſem rependere! ô ſi omnia mea viſcera in ſeraphicos ardores converſa, exultarent, te recepto, in Deo meo vivo, ac dicerent:

Æſtimatio, & admiratio tanti myſterii.

Deprædicatio amoris ſummi in Deo.

2. Par. 6. 18.

Chryſoſt. Hom. 83. in Mat.

1. Par. 16.

Deſiderium laudandi & amandi Deum ſuper omnia.

cerent: *Domine, quis ſimilis tibi? Dilectus meus mihi & ego illi, inter ubera mea commorabitur!* Nunquam ab illius amore divelli me patiar, qui ſic me complecti dignatus eſt! Da ut poſſim, qui facis, ut deſiderem, & ita meæ te imprime memoriæ & cordi, ut te intra viſcera mea ſuſceptum oblivisci non poſſim.

III. PUNCTUM.

Conſidera, Chriſtum ſub Euchariſtia eſſe verè arborem vitæ, in Eccleſia ſua, velut paradiſo, conſtitutam, quæ per ſingulos menſes proferat fructus ſuos. Inprimis enim vitia ſupprimit, & pravos affectus. Quia *non mortem ſolùm, verùm etiam morbos omnes* (animi) *depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Chriſtus ſævientem membrorum noſtrorum legem: pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat.* Deinde virtutes promovet. nam, *ut frigida ad Euchariſtiam acceſſio periculoſa eſt; ita nulla myſticæ illius cœnæ participatio peſtis eſt & interitus. Iſta namque menſa animæ noſtræ vis eſt, nervi mentis, fiduciæ vinculum, ſpes, ſalus, lux, & vita noſtra.* Non poteſt nos fallere, qui dixit: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis.* Deſperatum de quovis ægro eſt, qui cibum hunc faſtidit, & cum infelicibus olim Iſraëlitis dicit, ſi non verbis, certè opere, & ſumendi neglectu: *nauſeat anima noſtra ſupra cibo iſto leviſſimo.* Expende quantò ſapientius in ſpiritu ad hanc menſam aſpirans David exultet: *paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus omnes qui tribulant me.* Si Elias *in virtute cibi* corporalis, ſine quo defecerat, de cœlo recreatus, *ambulavit quadraginta diebus,*

Euchariſtiæ fructus multiplex eſt.

Cyril. Alex. l. 4. in Ioan. c. 17.

Chryſoſt. hom. 24. in 1. Cor.

Ioan. 6.

Num. 21.

Pſal. 22.

3. Reg. 19.

bus, & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb: quam divino huic cibo virtutem ineſſe credemus, ut ad montem gloriæ penetremus? certa promiſſio eſt: *qui manducat me, vivet propter me*: qui ſum fons vitæ & gratiæ; lux
Joan. 1. fidei, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ſpes ſalutis, qui *feci utraque unum*, Deum & hominem, ardore charitatis;
Pſ. 83. *Deus enim charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo, ibit de virtute in virtutem, donec videbit Deum Deorum in Sion.* Creſcet hic indies in divina gratia, olim in gloria æterna.

Confuſio ſui ob negligentiam & ingratitudinem. AFFECTUS. *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur,* quàm frigido hactenus affectu te veneratus ſum, tuique deſiderio exarſi! confundor & erubeſco, quando pro terreno alimento, tam me alioſque ſollicitos intueor, & pro divino hoc animorum epulo tam ſegnes. Cum au-
2. Reg. 9. diſſet ex Davide Miphiboſeth Jonathæ filius: *Tu comedes panem in menſa mea ſemper*: ille reverentiâ & gratitudine plenus, *corruit in faciem ſuam, & adoravit*: &, *quis ego ſum ſervus tuus*, inquit, *quia reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei?* O Domine, quâ profunditate humilitatis me inclinabo, coram divina majeſtate tua, cùm te invitantem audio: *accipite & comedite, hoc eſt corpus meum?* Vereor ſanè, ſi meam reſpicio indignitatem, ne
Mat. 15. 26. hæc in me verba cadere poſſint: *non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*, ſed memor eſto bonitatis tuæ: *nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Tu verè reſpexiſti ſæpius ſuper canem mortuum ſimilem mei: tu paviſti me alioſque diviniſſima menſa tua, contuliſti gratiam, roboraſti infirmitatem noſtram, atque in omni pietatis & virtutum dulcedine lactaſti omnes ſanctos tuos. In hoc enim pane ve-
Humiliatio ſui ob indignitatem.
Sap. 16. 21. rius, quàm in manna, *ſubſtantiam tuã, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendis, & deſerviens uniuſcujuſque volun-*

voluntati, ad quod quiſque vult, te convertis. Hæc autem converſio longè omnium admirabiliſſima eſt, quam per os Divi Auguſtini nobis denuntias : *cibus grandium ſum, non mutabis me in te, ſed tu mutaberis in me.* Et nunquid eodem ſpectat, quod de nobis aſſeris : *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes*? Nunquid verius, quàm Moyſes de Iſraelitis, uſurpare de Chriſtianis poſſumus : *non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis*: O intolerabile frigus pectoris mei, ſi his flammis divini amoris, tot beneficiis Dei mei in uno hoc Sacramento collatis, ad amandum & amplectendum tam incomparabile donum, non accendar! D. Auguſt. Deut. 4. 7.

COLLOQUIUM cum PROPOSITO.

Utinam, ô Deipara Virgo Domina ac patrona mea, illo inflammari deſiderio poſſem, quo exarſiſti, quando ab Angelo tibi nuntiatum eſt: *Ecce concipies filium Dei*: cum non diſſimili mihi gratia nuntietur, *accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*! Eundem illum ſuſcipio intra viſcera Dominum, quem tu concepiſti: eandémque, quam Chriſtus ritè ſuſcipientibus pollicetur, gratiæ divinæ vitam. *Qui enim inquit, manducat me, vivet propter me.* Matt. 26. Ioan. 6.

O ſanctiſſima Mater, aliquem mihi illius humilitatis atque ardoris tui à dilecto filio tuo ſenſum impetra, quo accendatur frigidum cor meum, ut diviniſſimum hoc epulum, & ſummo deſiderio ambiam, & fructu optatiſſimo percipiam! Tu verò, ô piiſsime Jeſu, cujus *deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum*, fac, ut meæ quoque deliciæ ſint eſſe tecum, nec ullam deinceps opportunitatem prætercam, quâ in tanto myſterio intimâ tuâ præſentiâ frui potero. ut per te æternum patrem tuum, quem toties offendi, placare, per te pro immenſis beneficiis collatis *Deſiderium ſummæ humilitatis & amoris.*

gratias

gratias referre poſſim. *Quid* enim *retribuam*
Pſal. 115. *Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Statuo ô Domine, firmiſſimè, & juro tibi, quod nullam occaſionem, quâ hoc Sacramento dignè frui poſſim, omiſſurus ſim.

DISTICHON MEMORIALE

Diſcipulis lavat ante pedes. Dein præbita cœna eſt.
(2) Omne ſub hac unâ claudis, (3) habeſque bonum.

MEDIT. II.

MEDITATIO II. DIEI VI.

De geſtis in horto, & initio paſſionis Domini, reſpondens Medit 2. Hebd. 3.

VERITAS, Chriſtus à cœna in hortum digreſſus, ex apprehenſione malorum ſibi aliiſque imminentium, triſtitiâ & angore tanto preſſus eſt, ut ſanguine ſudarit, (2) Verùm collecto ex mœrore animo, ardentius orationi inſiſtens divinæ ſeſe Patris voluntati ſubmiſit. (3) Nec multò poſt Iudas proditor adfuit, oſculoque Dominum ſuum tradidit Iudæis captivandum, qui Chriſti voce proſtrati, eâdemque rurſum erecti, vincula injecerunt.

ORATIO ET PRÆLUDIA *inſtituentur ut ſupra in Med. 1.*

I. PUNCTUM.

CHRISTUS à cœna aſſumptis tribus Diſcipulis, quos in monte Thabor ſuæ teſtes gloriæ habuit, montem olivarum ſubiit, ut quos gaudii, eoſdem ſuæ illic triſtitiæ doloriſque teſtes haberet. Hic illum intuere inſtantis mortis omniúmque imminentium malorum acerbitate conſideratâ uſque adeò intolerabili anguſtiâ animi & mœrore opprimi; ut inaudito angoris exemplo, ſanguinem toto ſudet corpore, guttis in terram defluentibus. *Chriſtus ex conſideratione malorum imminentium, præ anguſtiâ ſudat ſanguinem.*

Expende hoc loco 1. *Quis* ſit, cui tam horrenda mala, & ſupplicia in ſe aliiſque ſuſtinenda proponantur, & iccirco tantis opprimatur anguſtiis? Si dicerem unicum & dilectum, omnibuſque *1. Conſideranda eſt magnitudo & indignitas doloris*

ob perſonæ patientis excellentiam & innocentiam.

nibuſque dotibus præcellentem moderni Imperatoris, aut Regis filium, amore tui è captivitate liberandi, tam acerbam ſubire ſortem; imò ſi aliquem, non dicam amicorum tuorum, ſed ex infimo grege famulum, tanto in te affectu ferri oſtenderem, ut hæc tui gratiâ ſubiret, hæreres utique attonitus, & quid tam eximiè amanti rependeres, vix reperires. Nunc verò cum tibi aſſero, eſſe hunc Dei creatoris tui filium unigenitum, dilectum ab æterno amore infinito, omnibus, & divinitatis, & humanitatis dotibus excellentiſſimum; ita ut quidquid in rebus creatis atque increatis eximium, hoc in illo, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, contineatur: cum affirmo tibi, innocentiſſimum ſanctiſſimumque eſſe, imò principem Sanctorum omnium, *in cujus nomine omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*: non obſtupeſces, & velut attonitus ad ſpectaculum adeò triſte hærebis; ubi pro te ille talis tantúſque, velut à Patre, & à ſua divinitate ac virtute, ab Angelis & hominibus, in tanto angore ac mœrore deſertus, tanquam ſceleratus & homo nihili, omnibus peccatis & ærumnis preſſus, triſtatur, anxiatur, affligitur?

2. Ob indignitatem & ingratudinem mala inferentium.

2. *Pro quibus* patitur, conſideres. Pro vilibus, indignis, ingratíſque hominibus, qui ad Dei imaginem conditi, hanc ſceleratè violarunt, heredes regni cœleſtis facti, cum prodigo inter ſiliquas paſci, quàm in domo patris abundare maluerunt. Qui ad Chriſti ſuave jugum invitati Diabolo potius mancipari voluerunt.

runt. Quos nec cœleſtis decor gratiæ, nec virtutis pretium, nec peccatorum dedecus, nec æternæ inferorum pœnæ, nec ſupernæ felicitatis in cœlo præmia, nec divina tot beneficia, nec ira & offenſio ſempiterna, nec Dei immenſus amor ſuo potuit in officio continere. Imò quorum plures, nec ipſa tam atrocia tormenta paſſionis ad compaſſionem, & curam ſalutis ſuæ poſſent inflectere.

3. *Quid*, ſuſtinuerit, *in opibus*: qui deſpoliandus erat rebus omnibus, veſtibus, amicis, diſcipulis; ut nec haberet, qui potum daret, aut ubi caput reclinaret: *in fama*, qui tanquam ſeductor, maleficus, hoſtis Dei & hominum, blaſphemus, & ſacrilegus traducendus: *in corpore*; in quo à vertice capitis uſque ad plantam pedis non erat reperienda ſanitas. Tanta atrocitas, varietas, & multitudo cruciatuum fuit. Quæ cum univerſa illi in horto, certa cognitione, in numero, pondere, & menſura objecta ſint, quis afflictiſſimæ illius *animæ* triſtitiam, anguſtiamque concipere, aut explicare poterit? Huic acceſſit dolor ingens compunctionis, ob peccatorum gravitatem, multitudinemque, quibus ſe oneratum, ideóque Dei Patris iram in ſe converſam videbat. Nam ſi unicum etiam veniale delictum tam horrendum eſt, ut nec pro omnium hominum ſalute committi poſſit; quia eſt quædam offenſio boni infiniti: quid de innumeris gravibuſque tot mortalium peccatis ſentiendum? Majori tamen dolore animam preſſit, quòd nec tam dura paſſione ſuâ multorum animos emollire poſſet, eorúmque peccata

3. Ob atrocitatem & multitudinem pœnarum, tum onus peccatorum omnium in ſe ſuſceptum.

cata & damnationem impedire, quódque plures etiamnum præcipitandos æternùm, & paucos ſua hac paſsione fruituros proſpiceret.

4. Ob hoc quod pauci mortalium paſſionis ipſius merito ſalvandi eſſent.

4. *Cur* enim paſſus? nonne ut ſatisfieret æterno patri? obedientia læſa inſtauraretur, humiliaretur ſuperbus homo, Dei honor repararetur, juſtitia placaretur, ſalus amiſſa nobis reddeeretur, cœlum apertum eſſet, haberet homo virtutis exemplum & meritum, gratiæ gloriæque incrementum? & tamen in quot mortalibus hic exitus fallit? ut ſummam ex tot bonis neglectis triſtitiam Chriſtum concipere neceſſe fuerit. Conjunge hæc omnia & miraberis dolore non oppreſſum.

Dolor, ex compaſſione cum Chriſto, ob peccata mea graviſſimè afflicto.

Affectus. Ah quantus horror præſentium, & timor imminentium malorum animam Salvatoris uſque ad mortis agoniam obruit, ut verè quereretur: *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem!* Et unde tanta innocentiſſimum Dominum calamitas, tanta oppreſſit doloris vis ac moles, niſi quia grave peccatorum noſtrorum pondus ſuſtinuit? Et ego inter eos ſum, qui ad tam acerbas Salvatorem meum anguſtias redegi. Has ego pœnas eram promeritus, hoc angore premi, his lacrymis, hoc ſanguineo ſudore rigari debebam. Et tamen quanta hæc portio fuiſſet doloris, & pœnarum meis peccatis debitarum, quibus infernum jam dudum merebar! O afflictiſſime Jesu, in quam lamentabili te agonia video pro meis delictis luctantem, quando ego, qui reus ſum, etiamnum hujus mundi gaudia & oblectamenta conſector, ſcelerum meorum & pœnarum his impendentium immemor! Ah quomodo intueri poſſum, te adeo mœſtum pavere & tædere, ac præ angoribus ſanguine diffluere, & tantùm non emori, ac de meis, pro quibus doles, peccatis, tecum intimo ſenſu doloris non perſtringi! ô ferreum pectus meum, quod hic tecum non plangit & angitur! Confige, ô Domine, hoc ſenſu pœnitentiæ ac veri doloris viſcera mea, quo & tibi compatiar, & peccata tecum mea totiuſque mundi

ſyncerè

ſyncerè deteſter. Quæ ſua multitudine & gravitate tanto te onere opprimunt. Sentiam tecum in hac vita: *quia malum & amarum ſit, reliquiſſe me Dominum Deum meum, & non eſſe timorem eius apud me*: ne ſerò in vita altera hoc ipſum experiar. Doleo, ô mi Jeſu, averſor & deteſtor omne id, quod in tantam te animi triſtitiam anguſtiaſque intòlerabiles pro me ſubitas conjecit. abominor quidquid juſtam Dei offenſam provocare, noſque Dei hoſtes ac deſertores conſtituere poterit. Sit maledictum crimen, propter quod filius Dei maledictum factus eſt! O, mi Deus, ante moriar, quàm ſic filium Dei rurſus affligam & æterni patris iram merear: ne in extremâ mortis agoniâ, quando ante oculos aperta ſtabit æternitas, præ nimio angore ſuccumbam.

Ier. 2. 19.

Deteſtatio peccati cum propoſito cavendi.

II. PUNCTUM.

COnſidera, quemadmodum Chriſtus, cum tanto imminentium malorum timore atque horrore perculſus eſſet, procidens in faciem oraverit: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Et ab oratione, ad diſcipulos bis terve, inter nimias animi anguſtias reverſus, eoſdem ad orandum ſecum à ſomno, quo gravabantur, excitaverit: ne & illi intrarent in tentationem, denique ſolus ipſe perſiſtens generoſo animo, ad Dei patris voluntatem mortemque his ſe verbis obtulerit. *Veruntamen non mea voluntas fiat, ſed tua, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum.* unde prolixius in agonia oranti Angelus adſtitit confortans eum.

Luc. 22. Matt. 26.

Chriſtus in tentatione ad orationem confugit.

Hic expende quomodo Chriſtus deſertus ab omnibus, *ſuſtinuit qui ſimul contriſtaretur, & non erat; qui conſolaretur, & non invenit*, ideóque ad Deum ſe totum converterit. Et licet nec hic exaudiri poſſet, orans, ut calix ille paſsionis transferretur, meritóque exclamare liceret, *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me*, tamen perſtitit iteratis ſæpius precibus, obtinuitque poſtremò ſolatium & confortationem ad omnia fortiter ſuſtinenda: ut jam dicere poſſet,

Pſ. 68.

Conſolatione deſtitutus, in oratione tamen perſeverat.

Rom. 8. quod à diſcipulo poſtea dictũ eſt. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculũ? an perſecutio? &c. Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque altitudo, neque profundum.* Hinc plura ad noſtram inſtructiouem documenta capimus. ut quod in tentatione & afflictione quavis, ad Deum & orationis præſidia confugiendum ſit, nec deſperandum, etiamſi homines Deuſque nos videantur deſeruiſſe, & terra eſſe ferrea, cœlum æneum. Quia Deus ex ſuis amicis neminem deſerit, niſi ab illo prius deſeratur. Et ſi quandoque non largiatur quod petimus, noſque à tentatione in qua ſumus liberet; aliud tamen nobis magis utile, Deoque glorioſum largitur; ut ſcilicet tentationi non ſuccumbamus, *fidelis enim* 1. Cor. 10. *Deus eſt, qui non patietur nos tentari ſupra quod poſſumus, ſed faciet etiam cum tentatione proventum.* Et ſi Chriſtum non alia lege audivit, cur id nos exſpectemus? Deinde, cognita Dei voluntate, licet noſtris illa affectionibus advertetur, æquum eſt nos acquieſcere, divinoque beneplacito noſtrum cum plena reſignatione ſubmittere, dicendo: *Non mea*, ô Deus, *ſed tua voluntas fiat*, hæc enim ſola rectiſsima, omniſque bonæ actionis regula ſuprema & perfectiſsima eſt, quantúmque ab illa deflectimus, tantùm à ſummo bono deviamus. Denique agnoſcendum ex illa afflictione & mortis acerbitate, quâ Deus filium ſuum dilectiſsimum voluit cruciari; quòd, *quem amat, caſtiget, & per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei:* quando nec unigenito Dei filio aliter hoc ipſum

Cognita Dei voluntati, cum reſignatione ſua, acquievit.

ipſum ſubire licuit, & *ſervus non ſit major Domino ſuo*, qui diſertè præmonuit: *ſi me perſecuti fuerint, & vos perſequentur.*

AFFECTUS. Reſpice, ô anima mea, in omni tentatione tua, ad exemplar quod tibi in monte olivarum à Salvatore tuo propoſitum eſt. *Cum enim ignoramus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad Deum,* qui non deſerit confidentes in ſe, qui eſt *refugium noſtrum & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos.* Ecce dilectiſſimum Dei filium, quem æterno Pater amore complexus eſt, in agonia ſua, & extremo pœnarum impendentium horrore, deſertū ab omnibus, à diſcipulis ſomnolentis neglectum, à patre non auditum, anguſtiis graviſſimis preſſum, conſtanti tamen ſæpiuſque repetitâ oratione Deum flagitantem, donec illius ad mortem ſeſe deſtinantis voluntate perſpectâ, eidem ſeſe, cælitùs confortatus, lubens volenſque ſubjecit; dum interea diſcipuli, oratione neglectâ, haud multò poſt, ad turpem defectionem converſi ſunt. O quàm parum te hactenus in tentatione & afflictione ſecutus ſum, Domine Jeſu, qui ſalutis meæ aſſertor, per conſtantiſſimam orationem & reſignationem tuam, fieri dignatus es! quoties dormiturientes diſcipulos ſequor, quos tu tamen adeò fideliter mecum admones: *vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Cur me orantem non magis excitat, tua illa vigilantia, quâ in noctem uſque orando perſiſtis? Tu non modò gemitus, ſuſpiria, & lacrymas, verùm etiam ſanguinem orans in agone fundis; ego nec lacrymas quidem impetro. Tu inter anguſtias pavoréſque orationem non deſeris; quam ego præ faſtidio ſæpe abrumpo. Tu quæ petis, ita deſideras, ut ſi aliud Deo Patri viſum ſit, nolis exaudiri; ego, niſi quod poſtulem impetro, in precibus langueo, in ſpe ſuccumbo, in voluntatis propriæ reſignatione deficio. O Magiſter optime, & Dux fortiſſime, per merita reſignatiſſimæ orationis tuæ, impetra mihi in omni adverſitate ſpiritum conſtantiæ & reſignationis tuæ, illiuſque perpetuam recordationem; ut ſentiam in animo indies, atque in oratione dicam: *fiat voluntas tua.* & ſic non minus in omni conſolatione, quàm tentatione ad te convertar,

2. Par. 20.

Pſ. 45.

Deſiderium reſignatæ, conſtantis, & fiducialis erga Deum orationis.

Imploratio divinæ gratiæ ad reſignatè orandum.

vertar, ex tuo beneplacito totus pendeam, tuuſque in vita ac morte permaneam. Ita fiat, ô Domine, *fiat voluntas tua*, hoc in omni adverſitate impoſterum ſemper & ubique repetam. *fiat, fiat.*

III. PUNCTUM.

Ioan. 18. Luc. 22.

Chriſtus à Iuda proditus capitur.

VIde Judam ad hortum, quem orationis cauſa Chriſtum, frequentare noverat, cum armata Judæorum turba, & oſculo Chriſtum obvium Judæis deſignantem. Sed & Chriſtum ad ſupplicia promptum, cùm ait: *quem quæritis? ego ſum.* Quibus verbis, tanquam fulmine proſtratos, rurſum blandius compellans, erigit, Malcho etiam, cui Petrus feriens aurem præſecuit, ſanitatem reddit. Moxque ſubjiciens, *hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, poteſtatem ſe capiendi facit. Quem cum Judæi vinctum abriperent, diſcipuli fugientes relinquunt.

In horto vinctus, ubi Adam victus eſt.

Iud. 15.

Expende hic 1. *Ubi* Chriſtus interceptus ſit? Nimirum in horto: ut, quandoquidem primi parentes in horto deliquiſſent, Dæmoni miſera ſervitute mancipati; ſimili in loco Chriſtus à peccatoribus vinctus peccata expiare inciperet. Hic igitur Sampſon ille fortiſsimus à Dalila, humanâ carne, proditus, funibus hoſtium illigatus tenetur. Hic Apoſtoli ſomno primum & languore, atque iccirco, haud multò poſt, timore & honore occupati in turpem fugam, deſerto Magiſtro ac Domino ſuo, conjecti ſunt Hic infamis ille proditor, Adami patris inhærens veſtigiis, Dæmonis fraude irretitus hæſit Ita horti & loca deliciarum plerumque ad crimen opportuna ſunt. 2. Conſidera, *quomod* Chriſtus vinctus tractuſque fuerit? quantâ illius manſuetudine, & hoſtium ferociâ: illius patientiâ, hoſtium indignatione: illius erga peccatores miſeratione, hoſtium inclementiâ illius conſtantiâ, hoſtium pertinaciâ. Quantâ ill

Summâ hoſtium atrocitate & Chriſti manſuetudine.

verbo

verborum ſuorum virtute, dum armatos proſterneret, à ſcelere cæcos revocarit: quantâ hi cæcitate Deum ſalutémque ſuam neglexerint. quantâ obſtinatum Judam benevolentiâ ad amorem & obſequium Domini ſui invitarit: quantâ ille ingratitudine ac malevolentiâ, tam blanda Chriſti verba: *amice, ad quid veniſti?* inſanè reſpuerit.

3. *Quando* hæc facta ſint? Noctu Judæorum gens tota adverſus unum, & per inſidias, arte proditoria agit, ut ſuſpectam iniquamque ſe cauſam tueri ſatis manifeſtet. Illo aggreditur tempore, quo jam ſacri ſolemneſque paſchatis inſtabant dies, ad quos tanto crudelitatis exemplo ſeſe impiè præparabant. Tempore illo, quo recentis Lazari ſuſcitati è mortuis fama, poſt tot edita in aliis conſanandis liberandiſque à Dæmonibus miracula, tum verò etiam celeberrimus in urbem Jeroſolymitanam Chriſti ingreſſus omnium ſermone & prædicatione virtutis circumferebatur: ut ingratiſsimi, immaniſsimiq; tyranni videri debeant, quotquot in talem tantumque benefactorem ſuum tantâ crudelitate graſſati ſunt: & jure Chriſtus queri poſsit; *circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui noverant me obliti ſunt mei. Homo pacis meæ in quo ſperavi, magnificavit ſuper me ſupplantationẽ.* Ille meus diſcipulus, tot præ ceteris mortalibus dotatus gratiis, tam ſingulari honoris prærogativa electus ex millibus, repentè ex amico hoſtis, ex Apoſtolo

Tempore maximè alieno quando honorem omnemgratiamque merebatur.

Pſ. 21.

Iob. 19.

Pſal. 40.

factus proditor. Reliqui diſcipulorum tot mihi beneficiis devincti, tantâ curâ inſtructi, tantâ familiaritate meâ fruiti, fugâ turpi elabuntur. Solymæi omnes quos *tanquam filios enutrivi*, & ex toto orbe, in peculiarem mihi gentem delegi *& exaltavi, ſpreverunt me*. Hæc pro tua, mi homo, ſalute univerſa ſuſtinui. quid tu mihi rependiſti hactenus, quid deinde rependere cogitas?

AFFECTUS ET COLLOQUIUM.

Agnitio obligationis ſua erga Deum.

O quantum tibi debeo, mitiſſime Jeſu, quod pro me *tanquam agnus ad occiſionem ductus es, qui coram tondente ſe obmutuit*. Hactenus tu, ô Deus meus, mundum, ac creaturas in illo omnes, ad me alendum conſervandumque tribuiſti; nunc teipſum in victimam pro vita ac ſalute mea offers. illa quæ tu nunc vincula induis, illam quam ſuſtines, cum iniquis deputatus, contumeliam, plagas & vulnera quæ pateris, hæc meis peccatis debita, in te, exemplo hactenus inaudito, amore nunquam cognito, ſuſcepiſti. & quid hactenus retribui tibi, pro omnibus quæ tribuiſti mihi? Pro tantis, heu dolor, beneficiis tantùm abfuit, ut dignas referrem gratias, viciſſimque omnia mea tibi impenderem; ut etiam multis gravibuſque eundem te peccatis læderem, & ſummâ offenſione tantis beneficiis reſponderem. Equidem deteſtor abominandam illam Judæorum ingratitudinem, quâ ad ſe miſſum de cœlo Salvatorem, tot beneficiis per Judæam univerſam cognitum, tam indignâ ad mortem captivitate abſtrahunt: quâ *funes peccatorum circumplexi ſunt eum, & conculcaverunt eum inimici ejus*: & tamen meam nondum ingratitudinem, ut par eſt, agnoſco & deprecor, qui etiam hos illi funes meis peccatis plexui & ſic eum meis ſceleribus conculcavi. Heu mihi, ô Domine. quid pro tanta mea malitia & ingratitudine. & quid pro innumeris beneficiis tuis aliquando gratus rependam? Nonne æquum eſt, ut cujus beneficia æterna ac perpetua ſunt, quibus omni momento perfruor, ſemper quoque illius memor vivam? *Benedic anima mea Dominum, & noli oblivíſci omnes retributiones ejus*,

Dolor de ingratitudine.

Pſ. 118. & 55.

Deprædicatio beneficentiæ divinæ.

ejus, qui redemit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Nonne æquum eſt, ut deprædicem ubique beneficentiam tuam, quæ planè immenſa eſt, quando non ſolas mihi creaturas, ſed etiam propriam ipſe Deus impendit vitam ac divinitatem? *Confitebor tibi, Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum, confitebor nomini tuo.* Quia, *qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Benedictus igitur Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Pſ. 102. Eccli. 51. Rom. 8. 32. Luc. 1.

Fac, ô benigniſsime Jeſu, ut per hæc vincula tua, quibus pro me arctiſsimè ſtrictus, & per vias & compita immaniter tractus fuiſti, à vinculis peccatorum meorum expeditus, tibi impoſterum liberè ſerviam, neque in graviſsimi hoſtis Diaboli ſervitutem rurſus abſtrahar, ac tanti doloris illatorumque tibi opprobriorum cauſa eſſe pergam. Ah quàm dolet unquam fuiſſe! quàm eſſe nunquam deſidero, ſed in perpetuum gratiarum ac laudis obſequium totam deinde tibi vitam conſecrari! Quod ut tanto facilius præſtem amore tui vincula injiciam his atque illis N.N. pravis deſideriis meis, tibique ſoli ligatus iſto atque illo N.N. obſequio ſerviam. *Deſiderium ſerviendi Deo.*

DISTICHON MEMORIALE.

Hortum adit, angoremque ſubit mirandum. (2) denique ſupplex
Patris ad arbitrium (3) vincula ſponte tulit.

MEDITATIO III. DIEI VI.

De Chriſto ad varia tribunalia rapto, ac damnato.

VERITAS. Ad varia tribunalia Chriſtus rapitur. ad Annam, ubi alapâ cæditur. Inde ad Caipham Pontificem ductus mortiſque reus proclamatus, totâ nocte verbera & ludibria perpeſſus eſt: Petro Chriſtum negante. (2) Manè ad Pilatum raptus, innocenſque ab illo judicatus, Herodi, quod Galilæus eſſet, tranſmittitur. Qui illuſum veſte albâ remiſit. Pilatus igitur dimittere fruſtra conatus, cùm Barabbam latronem Chriſto Judæi prætuliſſent, flagellatum crudeliter, & ſpinis coronatum, plebi exhibet. (3) Sed, cùm nec ſic emolliri poſſent, voluntati Iudæorum traditus, ad crucem propriam ferendam adactus eſt.

ORATIO ET PRÆLUDIA *ut ſupra.*

I. PUNCTUM.

CHRISTUM ad Annam, Caiphæ Pontificis ſocerum, primùm ductũ, & de doctrina ac diſcipulis interrogatum conſidera. ibi cùm ſe palam locutum eſſe diceret: alapa illi à miniſtro inflicta eſt: uti olim Michææ prophetæ, coram Achab vera prophetanti, pſeudo-propheta Sedechias inflixit. Annas tamen Chriſtum tranſmiſit Caiphæ. ubi ſubordinati teſtes, cùm nihil dignum accuſatione adferrent, atque iccirco Chriſtus taceret; Pontifex, adjuratum, per Deum vivum; ut diceret: an non eſſet Chriſtus? cùm fateretur, blaſphemum declaravit, & reum mortis. cui, cùm ceteri aſſenſi eſſent, in manibus lictorum & mi

Ioan. 18. Mat. 26. 3. Reg. 22.

Chriſtus ab Anna ad Caipham ductus multa indigna, nocte totâ

& militum ea nocte eſt relictus. Qui indignis illum modis tractarunt: nunc expuentes in faciem, & colaphis eum cædentes: nunc velantes, percutientéſque cum illuſione: *prophetiza nobis, Chriſte, quis te percuſſit?* nunc alia multa blaſphemantes in eum. Interea Petrus à longè ſecutus, territuſque, ſemel in domo Annæ ad vocem Ancillæ negat ſe Chriſti diſcipulum: iterum verò ad vocem Ancillæ in domo Caiphæ, cum juramento, ſe negat Chriſtum noſſe. Denique etiam ad ſervi vocem deteſtari, anathematizare, & jurare cœpit; aſſerens, ſe Chriſtum non noviſſe. donec, gallo cantante, & Chriſto ad Petrum reſpiciente, egreſſus foras, flevit amarè. *perpeſſus eſt. Petro eundem ter negante.*

Hic expende juxta adjuncta ſuperius inſinuata, *quis, quid,* & à *quibus* patiatur. Deinde maximè *quomodo* hoc judicium peractum ſit? quàm inconſultè, & iniquè? Illic ubi pro juſtitiâ adminiſtranda tribunal erectum erat, omnis vis, inſolentia, & iniquitas, pro arbitrio miniſtrorum, in nondum convictum & condemnatum permittitur; ut diſcamus & nos innocentes multa pati, tanquam nocentes. Hìc innocentiſſimus mortalium *dedit percutientibus ſe maxillam, ſaturatus eſt opprobriis, factus eſt tanquam homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* quando *os peccatoris, & os doloſi ſuper illum apertum eſt*; & dixerunt: *circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius operibus noſtris. Improperat nobis peccata legis, & filium Dei ſe nominat.* Hìc Sampſon ille fortiſſimus velata facie, cujus honorem ac decus ferre non poterant, velut orbatus luminibus, in ſuis captivus vinculis, crudelem ludum ludere juſſus eſt; ſpectatoribus ad riſum ludibriumque expoſitus, quando *corpus ſuum dedit percutientibus, & genas ſuas vellentibus.* Attende

Chriſtus apud tribunal Eccleſiaſt. cum gravem ſuſtinet injuriam.

Thren. 3.
Pſal. 37.
Pſal. 108.
Sap. 2.
Iud. 16.
Iſ. 50.

In reſpondendo & tacendo circumſpectus, nullum proximorum læſit.

tende verò, quam Chriſtus in reſpondendo ac tacendo circumſpectus ſit. De ſuis diſcipulis interrogatus, quia nec prodere volebat timidos, nec tueri deſertores, tacet. ut noverimus honori proximorum parcendum eſſe, apud eos, qui vitia aut nolunt, aut non poſſunt corrigere.

Ad falſa & probroſa tacet Doctrinam tamen profitetur.

Ad falſa verò teſtimonia, ludibria, & opprobria ſibi impoſita glorioſè etiam conticuit; quòd mallet iniqua perpeti, quàm æqua etiam perpetrare, & hanc ſuam patientiam, cùm ſe poſſet abundè purgare, ad Dei majorem gloriam, noſtramque ſalutem ſpectare videret. Quæſitus tamen de ſua doctrina, & adjuratus, ut ſi Chriſtus eſſet, profiteretur, reſpondendum eſſe duxit; quòd, nec in vitæ diſcrimine, religionis ac veritatis pro honore Dei profeſſionem diſſimulandam eſſe ſtatueret. Unde iniquiſſima quæque propter hanc confeſſionem perpeſſus, æquo animo, & cum ſilentio pertulit univerſa, ab iis, quos in ſua habebat poteſtate, & verbo, non proſtrare ſolùm, verùm & perdere funditus poterat. ut doceret, inimicis quoque in noſtra poteſtate ſitis parcendum & benefaciendum eſſe. An in his Chriſtum hactenus es imitatus? In Petri lapſu conſidera, quàm repentè columna illa Eccleſiæ collapſa ſit, ille qui paulò ante ſe præ reliquis conſtantem fore, etiam in mortem uſque, promiſerat; hic ad vocem, non dicam militum, aut Judicum; ſed mulierculaṛum & ſervi vilis; nec ſemel, ſed tertiò; nec ſimpliciter, ſed cum execrationibus & perjurio graviſſimè prolapſus eſt: ne quiſquam vel in ſanctitate ſua, aut præviâ conſtantia nimium

Præfidens ſibi cadenſque Petrus fragilitatis noſtræ exemplum eſt.

mium fidat; ſed Deo ſoli ejuſque miſericordiæ innixus conſiſtat. Expende etiam, quâ occaſione, & quibus ſenſim gradibus ad hoc præcipitium devolutus ſit? Monitus à Chriſto, ut oraret in horto, ne in tentationem intraret, neglexit: adhæſurus in adverſis Chriſto, à longè ſequebatur: vitaturus pravam ſocietatem, quæ Chriſti actiones iniqua expoſitione traducebat, & calumniabatur, ei ſeſe immiſcuit, ac ſic Chriſti diſcipulum ſe profiteri erubuit: poſtea ipſum etiam Dominum ſuum deteſtatus. Veriſſimum eſt, *qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Habebat ante oculos innocentiſſimi ſui Domini in reſpondendo cautelam, in ferendis injuriis patientiam. Et tamen hoc exemplo non poterat avocari, gravius etiam prolapſurus, niſi Dominus reſpiciens miſericorditer revocaſſet,

A levioribus ad graviora ſenſim prolapſus eſt.

AFFECTUS. Heu mihi! quoties nec illis virtutum Chriſti exemplis ad meliora inſtructus, nec tam fœda Petri prolapſione à deterioribus ſum revocatus! Chriſtus innocens ſervorum iniquas contumelias ſuſtinet; ego nec nocens quidem æquas correptiones Dominorum. ille tacens perfert, cum juſta excuſatione poſſet diluere; ego etiam excuſo, cum jure delictum eſſet confitendum. Ille diſcipulorum nocentium famæ pepercit: ego etiam innocentium quandoque famam iniqua vellicatione traduco. ille veritatem cum præſenti vitæ diſcrimine auditus eſt confiteri: ego nullo etiam in periculo veritatem quandoque, vel nego, vel diſſimulo. Heu quoties inconſultè loquor, quando ille conticuit! nec minus inconſultè taceo, quando illius exemplo eſſet loquendum! Sed & ille Petri lapſus humanæ mihi fragilitatis, & reſipiſcentia divinæ miſerationis curam nondum ſatis ingeſſit. ſi enim firmamentum illud Eccleſiæ nimium ſui fidens labitur; quis ſibi, anteactæ licet vitæ ſanctitate fretus, ſatis fidat; & non potius *cum timore & tremore ſalutem ſuam operetur,*

Dolor de neglecta inter injurias manſuetudine & patientia.

Diffidentia ſui, cum fiducia in Deum.

tur? quis minimos defectus omni ſtudio non averſetur, ne aliquando incurrat graviſſimos? quis ſocietatem pravam, & occaſiones labendi non vitet; quando ipſos Chriſti diſcipulos & Apoſtolorum principes in his videt succubuiſſe? certè *qui amat periculum peribit in illo.* O miſericordiſſime Domine, qui me ſæpe cum Petro te negantem (ut in omni peccato fit, quo à te diſcedimus) benevolè reſpexiſti, noli deinceps faciem tuam à me unquam avertere: ſed fac, ut cum Petro dolente, illam tot plagis, quot in funeſta illa nocte ſuſcepiſti, pro me lividam, intuear, nec à te unquam amplius in æternum divellar.

II. PUNCTUM.

Chriſtus apud tribunal politicum Pilati & Herodis iniquè traductus eſt.

MAnè Chriſtum ad Pilatum Romanæ gentis Prætorem & Judicem à Principibus ſacerdotum ductum ſpecta: ubi de tribus accuſatur, quòd gentem ſubverteret: tributa prohiberet dare Cæſari: & Regem ſe faceret. Et hoc quidem Chriſtus fatetur, ſed regnum ſuum negat eſſe de hoc mundo: ad priora non reſpondet: ita ut Præſes miraretur, cùm ſciret, quòd per invidiam illum tradidiſſent, ideoque, cum intelligeret Galilæum eſſe, ad Herodem illis præpoſitum tranſmiſit. Sed Herodes principio lætus, quòd ſignum aliquod ſperaret: cùm nullum à Chriſto reſponſum ad poſtulata, accuſantibus coram Judæis, obtineret, ſpretum indutumque veſte alba ad Pilatum remiſit, ipſique hoc obſequio mutuo, cùm antea inimici eſſent, conciliatus eſt. Pilatus igitur Chriſtum conatus dimittere, cum latrone Barraba illum proponit, offerens plebi Judææ pro more, ob feſti inſtantis gratiam, alterutrius liberationem. Sed plebs hortatu ſacerdotum Barrabam liberari, Chriſtum poſtulat crucifigi. Pilatus ergo exiſtimans aliquo miſerationis ſenſu tangi Judæos poſſe, Chriſtum lictoribus flagellandum crudeliter in prætorio tradidit: ubi & milites atroci exemplo eundem velut Regem ſpinis, in caput arundine adactis, coronarunt: talem itaque in chlamyde purpurea ſpectandū immiti populo exhibuit, addens: *Ecce homo,* vix jam homini ſimilis. quærebatque illum dimittere; ſed nihil moti Sacerdotes cum plebe clamabant: *Crucifige, crucifige; & ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. non enim habemus Regem, niſi Cæſarem.* ut Pilatus denique invaleſcere tumultum

Latroni poſtponitur, lictoribus ad flagellandum datus.

Coronatus ſpinis, jamque homini vix ſimilis ad crucem poſtulatur.

multum videns, laverit coram manus dicens, *innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus*, & excipientibus Judæis: *ſanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros*, tradiderit eum voluntati eorum.

Expende hic 1. quantò fuerit major Judæorum vigilantia & ſtudium, ut Chriſtum opprobriis, plagis, ac morte demum atr ciſſima perderent, quàm Apoſtolorum in horto & captivitate, ut eum ſervarent. Nimirum ad ſcelera multi vigilant miniſtri Diaboli; ad virtutem & pietatem pauci ſervi Dei. Ah quam diſpares Judæi ſuis fuêre Majoribus! Quantum olim Patrum deſiderium, ut Salvatorem viderent! quantâ perverſitate præſens contemnitur! Quod ſi hunc ignorabant; at vitæ doctrinæque ſanctitas, miraculorum magnitudo, pulſi tot dæmones, tot ægri cum laude Dei curati, mortui etiam ſuſcitati prudentes convincere debebant. O nos infelices & fatuos, qui tot argumentis, hodiedum quoque, poſt tam fœdum Judæorum lapſum agnitum damnatumque, nondum ad veram fidem amoremq; Dei ex toto corde convertimur; ſed per delicta noſtra adhuc Chriſtum tam indignis plagis vulneribuſque laceramus! *Admirabilis furor & ingratitudo Iudæorum.*

Expende 2. quemadmodum ab uno tribunali ad aliud: à Caipha ad Pilatum, ab hoc ad Herodem, & hinc rurſum ad Pilatum raptus: ubique verbera & contumeliam perpeſſus ſit; videlicet *Principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* Hæc compenſatio benefactorum illius eſt, qui *pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes*: ut nunc populus eum pro malefactore, potatore vini, *Contemptus & rejectus ab omnibus, tanquam ſceleratus, ob ſcelera noſtra.* Pſalm. 2.

vorace, Dæmoniaco, ſeductore: principes etiam pro inſano habeant. Hæc pro te Chriſtus æquiſſimo ſuſtinuit animo; quid tu pro illo? imò, quid pro teipſo & ſalute animæ tuæ, cum ſuperbia tua, ſic mereatur humiliari, propter quam Chriſtus ipſe innocens hæc omnia perpeſſus eſt? David pro ſtulto ab Achis Rege Geth maluit derideri, quam de vita ſua periclitari: & tibi grave ſit, pro æternâ vitâ, cùm Deo tuo contemptum aliquem ſuſtinere: præſertim, quando nihil tam ſtultum tibi imputabitur, quò non aliud ſtultius in Deum tuum peccando admiſeris?

Contemptus igitur jure à nobis ſuſtinendus.

1. Reg. 21.

Expende 3. Quanta hæc innocentis Chriſti contemptio & abjectio fuerit, quod latroni publico Barabbæ à plebe ingratiſſima prælatus ſit: ille ſcilicet, quem nuper ſparſis per viam ramis & veſtibus, fauſtis his acclamationibus exceperant: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quanta mutatio, nuper ita glorioſè triumphantis, & nunc adeò probroſè damnati! Quis ergo vanam hujus mundi laudem gloriamq; ambiat; quando ad tantã pro ſe ignominiam Salvatorem ſuũ videt prolapſum? quando ipſum de ſe verè aſſerentem audit: *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis?*

Latroni poſthaberi Chriſto fuit ignominioſiſſimum. Et quis è nobis laudem quærat?

Pſal. 22.

Expende 4. flagellationis acerbiſſimæ, in lacerato Chriſti corpore immanitatem, cum per illam Pilatus ad commiſerationem inflectere plebem cuperet: ita ut jure de eo dictum ſit: *reputavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo*: & attende, quàm diſpari ratione carnem tuam tractes, per quam toties in lapſum præcipitatus

Laceratur flagellis, & quis carni blandiatur?

Iſa. 53.

pitatus es. &, an quæſita à te carnis oblectamenta hunc Deo redemptori tuo cruciatum non inflixerint?

Expende 5. Quàm crudele, & inauditum tormentum fuerit, corona ſpinea in caput ſacratiſſimum adacta; quæ, præter inſigne ludibrium, graviſsimam pœnam inflixit. Talis in ſcenam à Pilato productus, quòd hoc ſolo feræ beſtiæ ſpectaculo, & vel inimiciſsimi flecti poſſe crederentur. Unde inquit: *Ecce homo*, in quo, *à planta pedis, uſque ad verticem capitis, non eſt ſanitas. Egredimini filiæ Sion, videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua.* Aſpicite faciem illam *ſpecioſi præ filiis hominum*, & *in quam deſiderant Angeli proſpicere* ſputis ſqualidam, ſanguine manantem, ſpinis terebratam, plagis lividam. Et tamen nemo compatitur, aut miſeratione tangitur, ſed adhuc clamatur, *crucifige, crucifige: Sanguis ejus ſuper nos, & filios noſtros.* An non hoc tam immane facinus perpetrant omnes, quotquot à peccatis non abſtinent, filii damnationis?

Caput ſpinis horret, & quis corde non compungatur?

Iſ. 1.

Cant. 3.

AFFECTUS. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte* ita crudeliter tractatum filium Dei, redemptorem mundi: illum qui venerat dare vitam, raptum ad mortem, & mortem tot opprobriis, contumeliis, plagis, cruciatibus illatam! Quis unquam latro, aut parricida, tanto odio, ignominia, jactatione, exprobratione, lictorum, militum, & miniſtrorum ad unius opprobrium & pœnam conſpirantium occubuit? quis tam admirabili patientiâ & manſuetudine, tam varia & intoleranda mala ſuſtinuit, idque ab amicis, ab iis, quos perdere verbo poterat, & tamen cupiebat, inter graviſſimos etiam ſuos cruciatus, ſervare? O patientiſſime Jeſu, qui fieri poteſt, ut ego ad leviſſimas injurias,

Ier. 9.

Compaſſio cum patiente Chriſto.

Deteſtatio impatientiæ

 & ver-

& verbum quandoque unicum tam graviter indigner, cum te aſpicio virum dolorum ac ſcientem infirmitatem, qui *talem ſuſtinuit adverſus ſemetipſum contradictionem, ne fatigarer animo meo deficiens* in adverſitate? Quando te innocentem ita pati video, nunquid *iram tuam Domine portabo, quia peccavi tibi*? Quando te Deum meum ſub cruce præcedere intueor, quomodo ego ſervus non tollam crucem, ut ſequar te? Et quomodo iraſci aliis me perſequentibus poſſum; quando tu inimicis tuis tot tantaſque tibi injurias inferentibus ultro ignoſcis? O quantum abſum ab illis ſervis tuis, qui *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni fuerant pro nomine Ieſu contumeliam pati*! Utinam in te, bone Jeſu, *exultem, ſi nunc modicum oportet contriſtari, in variis tentationibus ut probatio fidei meæ multò pretioſior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, gloriam, & honorem nominis tui*! Si enim *hæc oportuit te pati, & ita intrare in gloriam tuam*; quomodo tecum volo coronari, ſi pati non deſidero? Patiar, igitur, ô Domine, in his & illis N.N. difficultatibus, patiar ſecundum beneplacitum tuum. Tu tantùm ſuccurre, ne ſuccumbam.

Heb. 12. *Mich. 7.* *Amor inimicorum.* *1. Pet. 1.* *Amor crucis.*

III. PUNCTUM.

Chriſtus, exhauſtis jam viribus, cruci ſibi impoſita uccumbit.

Conſidera à Pilato adjudicatum morti traditúmque voluntati Judæorum. Qui illuſerunt ei, & chlamyde exutum, ſuáque indutum veſte, ad crucem in Calvariæ montem deferendam adegerunt, ſub quá, dum exhauſtus jam ſanguine & viribus ſuccumberet, Simonem Cyrenæum ad opem ferendam & poſt Jeſum crucem ſuſtinendam impulerunt. Vide etiam cum turba populi, pias mulieres Hieroſolymitas lamentantes, Ad quas Jeſus converſus: *Filiæ,* inquit Jeruſalem: *nolite flere ſuper me. ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent; beatæ ſteriles, & ventres quæ non genuerunt, &c.*

Gen. 22.

Intuere hic 1. verum Iſaac ligna ſuis humeris ad montem deferentem, ut ſuper illa immoletur Deo victima. Spectaculum planè miſerandum, Chriſtum ad ferendum crucis onus exul-

ceratis humeris adigi; ut qui hactenus inter plagas innumeras invictus ſteterat, jam denique vi & dolore preſſus ſuccumberet. Quare cum trahendo & impellendo, calcibus fuſtibuſque adigendo jam promovere non poſſent deficientem, coacti ſint hominem adjutorem in ferendo adhibere. Expende, quales hæ, quantæque anguſtiæ, fortiſsimi ceteroquin athletæ Chriſti fuerint, quibus preſſus jam non tantùm ſudabat; verùm recrudeſcentibus plagis fundebat ubertim ſanguinem, & viam lapideſque, in quos offendebat, cruore ſignabat. Quæ tantæ oppreſsionis cauſæ; niſi quia *poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrûm?*

Anguſtiæ extremæ Chriſti ſub cruce, hoc eſt, onere peccatorũ.

Is. 53.

Conſidera 2. quis animus hìc piis omnibus Chriſtum ſequentibus, & tantas anguſtias oppreſsi & anguſtiati undique Domini intuentibus fuerit. atque inprimis, quis hìc doloris & compaſsionis gladius viſcera & cor afflictiſſimæ Matris, utique etiam præſentis, tranſierit. Intuebatur miſeranda parens unigenitum ſuum, quem noverat eſſe innocentiſsimum, inter latrones, tanquam ſceleratiſsimum mortalium, iniquiſsimè raptari, omnibus in hunc unum ſævientibus: ſpectabat illum à Deo conſtitutum mundi Dominum, & Judicem hominum Angelorúmque deſignatum, jam ſub pedibus lictorum conculcatum, *deſpectum ac noviſſimum virorum.* Quod ſi David diſcalceatus, & operto capite flens, Abſalonem fugiens, aſcendenſque clivum olivarum, tantam commiſerationem ciebat, ut omnis populus, qui erat cum eo, operto capite aſcenderet plorans, quo

Matris compatientis ingens dolor.

2. Reg. 15.

putas doloris ſenſu Chriſtum Mater ac piæ mulieres conſecutæ ſint? David flendo ciebat lacrymas, at Chriſtus fuſo cruore. David nullo dejectus vulnere, ſpe & vita integra, Chriſtus vulneribus plenus, vitâ ad ultimum deſtinatâ ſupplicium. Hic tamen erecto ſine lacrymis animo, & quamvis ipſe miſerandus ſolanduſque, alios tamen miſerans conſolanſque, *nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſos flete, & ſuper filios veſtros.*

Dolor Chriſto, ab aliis malè pereuntibus, quàm crucis onere, major infligitur.

AFFECTUS. O triſte ſpectaculum redemptoris mei, ſub crucis graviſſimo onere proſtrati & conculcati, vix ſpirantis præ labore & dolore, & tamen noſtram magis calamitatem, quàm ſuam deplorantis! ſuper eos fleri poſtulat qui tantis paſſionis ſuæ malis, ab imminente ſibi exitio non revocantur. Malum ipſe ſuſtinet grave, ſed tranſitorum: his graviſſimum imminet ac ſempiternum. Malum quod ipſe ſuſtinet, pro hoc avertendo ſuſceptum eſt. Et quidem innocens hoc ſuſtinet pro nocentibus, Deus pro hominibus; quodque omnium malorum malum eſt graviſſimum, pro pleriſque ſuſtinet nunquam emendandis.

Horror peccati & pœnarum ejus ex gravitate pœnarum Chriſti, ejuſque, de peccantum interitu, dolore.

O verè deflendam cæcitatem meam, & cum lamentis atque ejulatu deplorandam, quod ad hanc Chriſti patientis ſpeciem non terrear, non deteſter tantorum malorum cauſam in tempore, non perhorreſcam majorem etiam calamitatem in æternitate! Non expendam ſatis, quàm execrabile malum ſit peccatum, unde hæc tanta malorum congeries in Chriſtum derivatur! Quis nobis, exponet quantæ ſint inferorum pœnæ ſceleribus mortalium deſtinatæ, quando Chriſtus ſibi condolentes huc potius jubet reſpicere, nec extremos ſuos dolores æſtimat, his comparatos? An quòd innocuus, quòd amicus noſter & benefactor, quòd Deus ipſe, quòdque à ſceleratis, ab electo populo ſuo, à tam ingratis patiatur; quòd denique in opibus in fama, in honore, per contemptum divinitatis ſuæ, & mille opprobria; quòd in potentiis, ſenſibus, ac membris omnibus; quòd diverſiſſimo ſuppliciorum genere; hoc totum parum eſt, ac vix deflendum, ſi ad futuras reprobrorum

brorum pœnas attendamus? Ita planè. illa temporalis, hæc æterna pœna eſt; illa filiorum Dei, hæc eſt hoſtium; illa miſericorditer plectentis Dei, hæc nunquam miſerentis; illa crudelis quidem, hæc prorſus immaniſſima. O dolor Salvatoris mei, tanta pro meis peccatis ſuſtinentis! O amor Domini mei, hæc pro ſalute viliſſimi ſervi ſui tantâ conſtantiâ perferentis! O meorum ſcelerum gravitas, ob quæ tanta Deus meus patitur! O immenſa illius bonitas, quâ volens lubenſque perpetitur! O durum cor quomodo tanto dolore ſuaviſſimi Jesu non tangeris, nec in lacrymas cum ipſo diſſolveris, tantoque illius amore, viciſſim amans, non liqueſcis! Ignoſce, ô Deus meus, & ſuccende ignibus doloris & amoris tui frigidum pectus meum. ut tuam tecum crucem in omnibus, quæ me ob peccata mea affligunt, præcipuéque in illis N.N. quæ tu noſti, lubens amplectar. Ita vivam & moriar tibi!

COLLOQUIUM *ad Deiparam Chriſto condolentem dirigere poteris.*

DISTICHON MEMORIALE

Vult Annas Caiphaſque reum (2) virgiſque Pilatus
Subjicit ac ſpinis (3) innocuumque cruci.

MEDITATIO IV. DIEI VI.

De Crucifixione & morte Chriſti.

VERITAS. Chriſtus inter duos latrones cruci affixus, alteri latronum inter opprobria ceterorum ad ſe converſo paradiſum promiſit. (2) Matrem ſub cruce ſtantem commiſit Joanni, & ipſe denique conſummatis omnibus ſpiritum Deo Patri tradidit. (3) Poſtremò inter varia prodigia mortuum Joſeph Arimathæus in novo ſepulchro depoſuit.

ORATIO ET PRÆLUDIA *ut ſupra.*

I. PUNCTUM.

Chriſti in cruce inter latrones extrema opprobria & tormenta ſuſtinentis paſſio.

CОntemplare Chriſtum in montem Calvariæ enitentem, & ſub Crucis onere extremè fatigatum: ubi obtulerunt ei vinum cum felle miſtum, quod guſtatum noluit bibere. Mox in crucem ſuffixus, cum titulo *Ieſus Nazarenus Rex Iudeorum*, inter duos latrones medius pependit, veſtimenta inter milites diviſa; ſed pro tunica inconſutili ſors jacta eſt. Interea verò dum Chriſtus inter ſummos dolores angoreſque in cruce pendens luctatur prætereuntes blaſphemabunt eum, dicentes: *Vah, qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalva te metipſum, ſi filius Dei es, deſcende de cruce, & credimus* Similiter & Principes Sacerdotum, cum ſcribis & ſenioribus, dicebant: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere.* Ita & milites, ipſique in cruce latrones illudebant illi. At Chriſtus, non his diras ac fulmina, quæ me-

rebantur de cœlo, imprecatus eſt, ſed pro illis apud Patrem intercedens: *Pater*, inquit, *dimitte illis, quia neſciunt quid faciant.* Et ſanè hac oratione alter in cruce latronum emollitus, alterum improbè oggerentem: *ſi tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum & nos*, his verbis increpabat: *Neque tu times Deum, qui in eadem mecum damnatione es? Et nos quidem juſtè: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.* Ad Jeſum verò dicebat: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* reſpondit JESUS: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.*

Expende hic 1. admirandam Chriſti manſuetudinem, qui verè ſicut ovis ad occiſionem ductus, inter tam diverſas omnium penè ordinum injurias, opprobria, maledicta, tormenta, nihil queritur, nihil reſpondet durius, nihil refutat. Felleum propinant defeſſo hauſtum, quem guſtatum reſpuit, ne probaret crudele factum. Veſtimentis ſpoliatur, & ſummo rubore confunditur, ipſe tamen, *ſicut mutus, non aperuit os ſuum:* clavis manus pedeſque fodiuntur, & in extenſo corpore dinumerantur omnia oſſa ejus. *nec* tamen *fuit, qui conſolaretur eum.* Quin potius *omnes videntes deriſerunt illum, plauſerunt ſuper eum manibus omnes tranſeuntes per viam, ſibilaverunt, & moverunt caput ſuum.* *Manſuetudo illius admiranda.* Thren. 1.

2. Expende ardentiſſimam Chriſti charitatem & zelum ſalutis univerſorum. Tot maledictionibus benedictionem, tot execrationibus orationem pro inimicis reponebat. Inter ſummos Chriſto dolores, pauci compatiebantur, plerique illudebant, & illi ipſi pro quibus hos ſuſtinebat. Poteratne quicquam acerbius amantiſſimo ſuæ gentis Domino accidere? Et *Charitas erga inimicos & zelus ſalutis univerſorum.*

tamen non ſolum manſuetiſſimè ſuſtinet univerſa. verùm pro illis ſuis tortoribus, pro calumniatoribus, & perſecutoribus atrociſſimis orabat, excuſabat facinus, deprecabatur veniam, ſuaviſſimo patris nomine interpoſito, rogabat. Certamen inauditum intercedebat; plúſne illi, ex acerbiſſimo odio, Chriſto injuriarum; an ille ex ardentiſſimo amore beneficiorum conferre poſſet? Nec ſatis illi erat oraſſe. ſed pro tradita ſibi etiam à Deo patre poteſtate, latronem à cruce ad æternam requiem, ab inferno ad cœlum tranſtulit; præter alios complures, quos fortiter moriendo ad veritatem Deumque convertit.

Miſericordia pœnitenti latroni exhibita.

3. Expende quomodo nemini omnino deſperandum ſit, qui delicta ſua agnoſcit & confitetur, quando ipſe in cruce latro, ſe digna factis percipere dolenter profeſſus, miſeratione Dei implorata, à morte ad paradiſum, breviculi temporis pœnitentiâ, recipitur. Quique illam negligit alter latro, ex præſentibus ad æterna ſupplicia transfertur. Tanti eſt opportunum pœnitendi tempus non præterire. Nam, *cùm averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, ipſe animam ſuam vivificabit.* Ezech. 18.

Depredicatio manſuetudinis Chriſti.

AFFECTUS. Quid hoc loco magis admirer, Tuámne ô mitiſſime Jeſu, manſuetudinem, & benevolentiam; an hoſtiũ atrocitatem ac malevolentiam? utramque certè attonitus contemplor. Et quidem tantò illa admirabilior, quantò hæc gravior eſt. Vincis omne exemplum manſuetudinis humanæ: quia atrociores nunquam injuriæ, illuſiones acerbiores, convitia horribiliora, odia magis execranda in quenquã exercita leguntur, quæ ſimili patien-

patientia, æquali manſuetudine, pari benefaciendi inimicis ipſis voluntate excepta fuerint. ut hoc ſolum ſufficere nobis debeat, ad quaſcunque injurias patienti manſuetoque animo excipiendas, hortante Paulo, *per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum.* Hoc ſolum Heb. 12.
impellere nos poſſit, ad audiendum ſequendúmque Chriſtum monentem: *diligite inimicós veſtros, & benefacite* *Charitatis*
his, qui oderunt vos. Non expendebat ſuaviſſimus JESUS *erga inimi-*
dignitatem ſuam, & vilitatem Judæorum: non collata in *cos.*
eos merita ac beneficia; non ſpretam ſæpius, quam offerebat, veniam ac gratiam; non deinde etiam contemnendam à pluribus benevolentiam. Rem facit omni ſeculorũ memoriâ digniſſimam. *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur; ſed preces ſupplicationeſque, cum clamore valido, & lacrymis offerens exau-* 1. Petr. 2.
ditus eſt pro ſua reverentia: ut & latro ex deſperatione ad ſpem erectus ſit, & multi poſtea redierint *percutientes pectora ſua,* atque agnoſcentes filium Dei. O benigniſſime Jeſu, fac, ut de tua inter adverſa injuriáſque manſuetudine, & de tua erga inimicos benevolentia aliquid partici- *Deſiderium*
pemus: ut *nemini dantes ullam offenſionem, exhibeamus* *imitandi.*
noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, & diſcamus hoc 2. Cor. 6.
unum à te, *quia mitis es & humilis corde.* Ita fiat, ò Domine, ita coram te ſtatuo, nullas deinde injurias ulciſcar. Suſtinebo tecum, & quantum poſſibile eſt, benefaciam etiam malefacientibus.

II. PUNCTUM.

JEſus videns Matrem ante crucem, juxtaque ſtantem Jo- Ioan. 19.
annem, Matri dicit: *Ecce filius tuus,* & Joanni: *Ecce* *Chriſti in*
Mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. *cruce cura*
Deinde, hora ſexta obſcuratus eſt ſol, & tenebræ factæ *Matris &*
ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad horam nonam cir- *Ioannis, ver-*
ca quam voce magna Jeſus clamavit: *Eli, Eli, Deus Deus* *ba extrema,*
meus ut quid dereliquiſti me? Judæis exiſtimantibus, quòd *& mors.*
Eliam invocaret. Nec multò poſt *Sitio,* inquit: ad quam vocem, cùm ſpongiam aceto plenam in arundine obtuliſſent, hoc accepto, dixit: *conſummatum* eſt, iterumque cla-

mans voce magnâ. *Pater*, ait, *in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Et *inclinato capite tradidit ſpiritum.*

Amor Chriſti erga ſuæ crucis amatores ſingularis.

Expende 1. quam ſingularem Deus ſolicitudinem illorum gerat, eoſque ſe diligere oſtendat, qui ad crucem uſque ſe conſequuntur: ut Matris & Joannis ante crucem cura teſtatur, quos jam ante mutuæ poterat tutelæ committere, ſed ſub cruce tantùm volebat, & Virginem virgini, diſcipuloque, quem diligebat, hoc ſingulare amoris argumentum moriens relinquere. Ut intelligas: non eſſe digniores hoc Matris patrocinio, niſi puritatis amatores, & Chriſto inprimis dilectos: nec majoris quenquam curæ Chriſto, quàm qui ſub eadem ſecum cruce gaudet conquieſcere; ſive malorum ſibi immiſſorum patiens exantlator; ſive acerbiſſimæ paſſionis Chriſti, non ſine profundo compaſſionis ſenſu, cum Maria & Joanne meditator. *Si enim paſſio Redemptoris ad memoriam revocetur, nihil tam durum eſt, quod non æquo animo toleretur.*

Iſid. de ſum. bono.

Hebr. 12.

Afflictio omnium dilectorum Dei.

2. Expende, quàm verum ſit illud Apoſtoli: *quem diligit Dominus caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Omnem planè. Nemo excipitur: nec ipſa Domini Mater, nec dilectus ille diſcipulus, quando nec ipſe Deus Salvator noſter excipi debuit. *Nonne* enim *hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Hinc & Tobiæ ab Angelo dicitur: *quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Apoſtolis omnibus, quia ſub cruce cum Matre & Joanne paſſi non fuerant, deinde fuit patiendum. hi ſpirituali compaſſionis martyrio,

Tob. 12.

rio, ut aurum ſunt probati. Vide igitur, quam tu tibi ſortem deligas; maliſne cum Chriſto hìc tribulari; an cum mundo adverſitates & crucem ſubterfugere, neglectâ patientium coronâ? *nemo enim coronatur, niſi qui legitimè certaverit.* Erimus *heredes Dei, coheredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Hæc lex omnibus, poſt Adami caſum, lata, per Chriſti exemplum confirmata eſt. *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* Sed ut Matrem & Joannem Chriſtus ſolatur, ita tales nunquam deſerit. Unde Paulus: *Perſecutionem patimur; ſed non derelinquimur: dejicimur; ſed non perimus: ſemper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.*

Rom. 8. *Patiendum ut glorificemur.*

2. Cor. 4.

3. Expende Chriſti in humilitate, manſuetudine obedientia & patientia tantorum malorum conſtantē perſeverantiā. *Exinanivit enim ſemetipſum, formam ſervi accipiens, &c. factus obediens uſque ad mortem, mortem autē crucis: propter quod & Deus exaltavit illum.* Jam ab opibus, honore, fama, amicis, ſanitate, omníque humano ſolatio erat deſtitutus, nullâ etiam cælitus conſolatione indultâ; ita ut in agone à Patre ſe derelictum quereretur: homines in extrema ſiti acetum præberent, in ſupremis doloribus adhuc protervè illuderent. An non jure exclamat. *O vos omnes, qui tranſitis, attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* In his tamen extremis angoribus, doloribus, ac tormentis, non obſecutus voto Judæorum eſt: *ſi Rex Iſraël eſt, deſcendat de cruce*; ſed redemptionis ſalutíſque

Perſeverantiâ Chriſtus glorioſum opus coronavit.

Phil. 2.

Thren. 1.

noſtræ

noſtræ opus perficiens, donec eſſet *conſummatum*, & inclinato capitè exſpiraret. *Paſſus pro nobis, relinquens omnibus exemplum, ut* in finem perſeverando *ſequamur veſtigia ejus.*

1. Pet. 2.

Deſiderium amoris crucis.

AFFECTUS. Vtinam, ô bone Jeſu, illum in me transfunderes crucis tuæ & paſſionis amorem, quem benedicta Mater tua gladio doloris transfixa unà cum dilecto tuo diſcipulo ſub cruce ſenſit! Vtinam ſub hac arbore, cum amante Magdalena ſæpius quieſcam, & intimo animi ſenſu repetam, *ſub umbra illius, quem deſideraveram ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo!* Vtinam cum illo Crucis tuæ ſectatore Apoſtolo ſentiam, dicamque millies: *mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo!* O felix ille, qui de ſe dicere poterat: *ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto!* Heu quot ego etiamnum ſervilia Dæmonis ſtigmata porto toties illi, in carnis meæ deſideriis, in mundi vanitatum curâ, in gula, ambitione, cupiditate, ira, diſſenſione, impatientia, aliiſque vitiis obſequens! quoties *caro concupiſcit adverſus ſpiritum!* Et tamen *qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Hi nullas opes, honores, voluptateſq; tanti faciunt; ut per has ſeſe patiantur à Deo ſeparari, omnem inordinatum erga hæc mortalia bona affectum exuunt, & ſi Deo ita viſum ſit, inopiam, contumeliam, afflictionemque patienter ſuſtinent, ut divino beneplacito Chriſtoque Deo ſuo tanto magis conformentur, memores: *momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis.* Verùm quantò illi glorioſiores Athletæ & imitatores Chriſti, qui, cum in arbitrio illorum ſit, opes poſſidere, vel inopiam pati: in honore eſſe, vel abjecto in ſtatu contemni: carnis frui blanditiis, vel affligi: malunt, pari etiam Dei gloriâ poſitâ, inopes, contempti, afflicti cum Chriſto eſſe, tantùm ut Dominum ac Redemptorem ſuum imitentur; quàm diſſimiles, etiam ſine peccato, eidem videri. quibus dulcius eſt contumelias injuriáſque cum Chriſto perpeti, quàm honorari. O quis mihi hoc tribuat,

Cant. 2.

Gal. 6.

Gal. 5.

Chriſti amatores, vitia & concupiſcentiã carnis crucifigunt.

2. Cor. 2.

Domino ſuo aſſimilari deſiderant.

tribuat; ut hoc deſiderio æſtuem, tantoque amore Salvatoris mei & Crucis ipſius ferendæ ſuccendar, quem adeò disertè monentem audio: *qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Credóne hæc aſſerenti? Et ſi credo, cur non ita, ut par eſt, ſequor, & digna Chriſto amplector? Audio. quia *multi ambulant, inimici crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter, & gloria in confuſione eorum:* Et tamen nec periculo terreor, nec Chriſti exemplo conſtanter impellor, hodie in adverſis fortis, cras impatiens: cùm alia via non ſit, niſi quâ tu, ô optime Magiſter, quâ Mater, quâ diſcipuli tui inceſſerunt. Omnes enim *per multas tribulationes opportet intrare in regnum Dei.* Da gratiam, ut velim ac poſſim, qui dediſti, ut agnoſcerem. fac, ut cum Paulo ſervo tuo, ex animo dicam: *non judicavi me aliquid ſcire, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum.* Ita dulce mihi erit *pro nomine Ieſu contumeliam pati.* caſtigabo corpus meum, & in ſervitutem redigam, crucifigam carnem cum vitiis, & concupiſcentiis. Nec differam de die in diem. Ecce enim, nunc tempus acceptabile. Veniet hora cum non erit amplius. utar igitur in his atque illis N.N. pœnitentiæ operibus atq; afflictionibus, memor Dei mei pro me crucifixi.

Phil. 3. 18.

Adſpiratio ad perſeverantiam in ferendis adverſis.

1. Cor. 2.

PUNCTUM III.

MOriente Chriſto totam rerum naturam tremefactam conſidera. Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, velum templi quoque in duas partes diviſum, momumenta aperta ſunt, exeuntibus ſanctorum corporibus, quæ in civitate multis apparuerunt. Centurio etiam, & qui cum eo erant, his viſis territi, *verè* dicebant, *filius Dei erat iſte.* Turbæ præſentes percutientes pectora ſua revertebantur. Noti verò ejus, & mulieres ex Galilæa ſecutæ, à longè ſtabant. Milites interea, ut corpora propter ſabbatum imminens è cruce tollerentur, latronum crura fregerunt, Jeſu ut viderunt mortuum, pepercerunt. unus tamen militum lanceâ latus aperuit, & continuò exivit ſangvis & aqua. Poſt hæc Joſeph ab Arimathæa, occultus Jeſu diſcipulus, à Pilato corpus Jeſu impetratum, cum Nicodemo, in monumento novo, haud procul in horti petra exciſo, collocavit, lapide ad ſepulchri oſtium advoluto.

Matt. 27.
Ioan. 19.
Luc. 23.

Mors Chriſti, terræ motu, ſole obſcurato, mortuiſque apparentibus, divinitatis ſigna dedit.

Expende

Pauci tam ex malis Chriſtianis, quam Iudæis ad hæc ſigna commoventur.

Expende hic 1. quemadmodum Deus, totâ rerum naturâ penè ſe commovente, in morte Chriſti divinitatis manifeſtum dederit argumentum. Et tamen quota pars Judæorum, tam novis inauditiſque, in cælo terraque concurrentibus, ſignis commota reſipuit; aut ſi quo dolore tacta eſt, conſtanter factorum pœnituit? Quoti etiam hoc tempore, poſt veritatem hanc certò cognitam, ad verum conſtantémque dolorem ſcelerum, & vitæ ſuæ emendationem moventur, licet indubitanter agnoſcant: quod Chriſtus moriens, peccata noſtra pertulerit in corpore ſuo?

Mater Chriſto moriente, penè commortua.

2. Expende, quis ſenſus Matris & Joannis fuerit, quando jam viderunt dilectiſſimum ſibi in terra pignus ereptum. quantum Mater dolorem hauſerit, ex conſpectis propius vulneribus, ex patente latere, ex lacerato tot ſpinis capite! quos amplexus, quæ oſcula obtulerit! quàm ægrè à mortuo ſit avulſa? cum ſola optimè noſſet, qualem quantúmque amiſiſſet filium ac Dominum, quantum vitæ ſolatium, & cordis gaudium! Quam illa optaſſet eandem in cruce mortem, in funere idem ſepulchrum! At tamen voluntas Dei potior ei his omnibus. Cogita adhæc, quantò illi glorioſius fuerit, cum Joanne & Magdalena cruci proximè cum gemitu adſiſtere; quàm cæteris notis à longè ſpectantibus cum metu latere. cum Chriſtus dicat: *qui me erubuerit coram hominibus erubeſcam & illum coram patre meo*: Jure etiam Paulus exclamet, adverſus diſſimulatores agnitæ veritatis, *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati,*

Gal. 3

ritati, ante quorum oculos Chriſtus proſcriptus eſt, in vobis crucifixus !

AFFECTUS. Erubeſco verè ante conſpectum innocentiſſimi Redemptoris mei, tam crudeli morte ob mea ſcelera perempti, ut ſpectaculum immanis lanienæ factus ſit, Angelis & hominibus luctuoſum. Cujus pedes tot pro me fatigati itineribus, ferreis in ligno tranſverberati clavis hiant: manus, tot operatrices mirandorum operum, atroci vulnere tranſactæ ſunt: cor ac pectus, divini amoris conditorium, immani lanceæ ictu patefactum: caput æternæ ſapientiæ ſedes, diriſſimis ſpinarum aculeis fodicatum eſt: tota corporis compago, divinitatis ſingulare habitaculum, tot plagis livida, tot vulneribus lacerata eſt. O tragicum facinus, quale nulla in hominem innoxium deſignavit antiquitas, nulla poſteritas viſura eſt: ad quod ſidera ipſa fugerunt, ſaxa rupta ſunt, concuſſa tellus univerſa; & tamen corda multorum hominum non emolliuntur ! Fieríne hoc poſſe quiſquam exiſtimet? Propter nocentem hominem Salvator innocens hæc patitur; & tamen homo non compatiatur? O quis mihi illum tribuat doloris ſenſum, quem tu, beatiſſima Mater, percepiſti, quando brachiis ac ſinu tuo lacerum, ac tot vulneribus deforme cadaver filii tui excepiſti ! quantò ego hunc dolorem ſentirem juſtius, qui illum filio tibique, meis peccatis inflixi ! O peccata, tantam Dei mei offenſam, tantam Chriſti pœnam cauſantia, quantum eſtis malum ! Ita, *ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra !* Deteſtandæ iniquitates ! abominanda ſcelera ! Et adhuc peccamus, adhuc afflictionem ſic afflicto Salvatori addimus, *rurſum crucifigentes nobiſmetipſis filium Dei, & oſtentui habentes*? Quis credat? & tamen, *magis aggravant Chriſtum vulnera peccati noſtri, quam vulnera corporis ſui.* Hæc enim propter illa ſuſtinuit. Hæc temporalia, & brevi finita; illa perpetuo lancinarunt animum dolore: hæc ſuis tantum membris; illa animæ ac divinitati quoque inflicta ſenſit. Quo putas, ô peccator vultu, quibus verbis judicandum aliquando excipiet? an non illis jure Auguſtini vocibus te perſtringet: *cur me graviora tuorum criminum*

Confuſio ſui ob peccatorum, propter quæ tam horrenda Chriſtus paſſus eſt, admiſſionem.

Dolor de peccatis, paſſionis cauſis.

Iſ. 53.

Heb. 6.

Ber. ſer. 1. Paſch.

minum

(a) Serm. 181. de temp.

(b) Lib. 1. de Symb. c. 8.

minum crucem, quàm illa, in quâ quondam pependeram, affixiſti? gravior apud me peccatorum tuorum crux, in qua invitus pendeo, quàm illa in quam tui miſertus aſcendi. (a) *Vide hominem quem crucifixiſti; vide vulnera, quæ inflixiſti; vide latus, quod transfixiſti: quoniam per te, & propter te apertum eſt, & tamen intrare noluiſti.* (b) Hos tu pedes vulnerabas, cum ad mundi conſilia magis, quàm mea præcepta implenda curreres; has manus, cum operareris iniqua; hoc caput, cùm elatus ſuperbia es; hoc os contudiſti, cùm loquereris vanitatem & mendacium; hoc latus perfodiſti, cum aliud amares præter Deum tuum. Nec ſatis, hæc ſemel inflixiſſe. toties iteratò crucifixiſti, & habuiſti oſtentui, quoties à pœnitentia & gratia, ad quam per aperta tibi vulnera receptus eras, in peccatum relapſus es. O mi Domine, hæc nunc audiam ſæpe in vita, ne audire cogar in morte. Indignæ nimium voces: tu redemptor meus per acerbiſſimam mortem; & ego ingratus rurſum per peccatum crucifixor tuus! Ex hoc momento totus eſſe tuus, ac manere deſidero, ex amore tui, mori potius, quàm offendere te cupio.

COLLOQUIUM *ad Deiparam pro gratia compaſſionis & doloris à filio impetranda, ad Chriſtum pro gratia remiſſionis & imitationis, ad Deum Patrem & Spiritum S. pro gratiâ perſeverantiæ in bono inſtitui poterit.*

DISTICHON MEMORIALE

Latronum medius juvat hunc (2) moriénſque Parentem
Joanni addicit (3) ſub nece terra tremit.

(†)



ic quod redemptor meus vivit, et in carne mea videbo Deum
lvatorem meum . Iob. 19.

G..

DIES VII. EXERCITIORUM.

DUo qui ſequuntur Dies Reſurrectionis Dominicæ nobis gloriam, ejuſque effecta adjunctaque exponunt, eriguntque contemplantium animos ad Theologicas inprimis virtutes, *fidem, ſpem*, & *charitatem*, annexoſque his religionis Chriſtianæ affectus, quibus potiſſimum anima cum Deo unitur: ideoque ad *viam*, quam viri ſpirituales *unitivam* appellant, & præcipuam hujus vitæ perfectionem complectitur, non immeritò revocantur.

Septimo igitur hoc die, animi à doloribus patientis Chriſti ad ejuſdem reſurgentis gloriam, abſterſo mœrore, erigendi ſunt, & ad futuræ vitæ deſiderium, fide vivâ, & ſpe certâ confirmandi. Hæc porrò contemplatio facile illam, quam in hujus vitæ decurſu, inter varias adverſitates & tentationes ſuſtinemus moleſtiam deſtinati nobis boni exſpectatione mitigabit, ut cum Paulo dicere poſſimus:
2. Cor. 7. *ſuperabundo gaudio in omni tribulatione*: quia *ſi commortui ſumus, & convivemus, ſi ſuſtinemus & conregnabimus.* 2. Tim. 2.
Hæc tepiditatem in piis ſanctiſque operibus obeundis excutiet, conſiderantibus, quia *reddet his qui ſecundum patientiam boni operis ſunt, gloriam, & honorem, & incorruptionem.* Rom. 2. Hæc animos, terrenarum rerum contemptu imbutos, ad cœleſtia extollet, ut cum D. Ignatio exclamemus: *Quam ſordet mihi terra, dum cœlum adſpicio!* quam vana hujus mundi gloria, dum futuram intueor! Hæc denique ad ipſum omnis boni ac gaudii fontem Deum, mentes à terrâ avulſas elevabit, ut cum David exclamemus: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram,* Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum!

MEDIT. I.

MEDITATIO I. DIEI VII.

De Reſurrectione Chriſti, & ejus apparitione, reſpondens Contempl. 1. Hebd. 4.

VERITAS. Chriſtus reſurgens ex mortuis glorioſo corpore, nos ad ſpiritualem reſurrectionem, per corporis noſtri mortificationem orationemque invitat. (2) Spectaculum enim reſurrectionis à morte tam admirandum, quem non ſpe ejuſdem ad ſimile exemplum vitæ provocaret? (3) Ingenti illud Deiparam, Magdalenam, Apoſtolos, ac Diſcipulos Chriſti omnes gaudio perfudit. Sed & nobis ſpem fecit vitæ futuræ, & gaudii cum illo, & per illum, ſempiterni.

ORATIO PRÆPARATORIA more conſueto.

PRÆLUDIUM 1. *Ab hiſtoria reſurrectionis propoſita accipitur.* 2. Imaginatione *hæc res cum adjunctis loci, & perſonarum apprehenditur.* 3. *Gratia petitur ad tanti myſterii veram intelligentiam, & fructum percipiendum.*

I. PUNCTUM.

CHriſtus, juxta prædictionem, quòd, ut Jonas in ventre ceti, ſic ipſe tribus diebus, & tribus noctibus, futurus Matt. 12. Luc. 24.

 turus

turus eſſet in corde terræ, à mortuis tertio die ſurrexit; Angelo Domini, cum terræ motu, de cœlo deſcendente;
Matt. 28. lapidemque ſepulcri, ut mulieres & diſcipuli ſubire poſſent, removente. Dilapſis itaque cuſtodibus, mulieres primò cum unguentis; mox & Joannes ac Petrus adfuêre, & illæ quidem Angelos; hi ſola linteamina invenere.

Christus poſtquam extrema ſuſtinuiſſet, glorioſus reſurgit.

Expende hoc loco: *Quis, qualis, cur & quomodo?* reſurrexerit.

Quis qualisque? Ille videlicet Salvator noſter Chriſtus Jeſus, qui paulò ante videbatur, vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis, quem reputabant quaſi lepro-
Iſ. 53. ſum, & percuſſum à Deo, attritum propter ſcelera noſtra, deſpectum & noviſſimum viro-
Iud. 16. rum: hic jam Sampſone captivo fortior, reſumptis viribus non portas urbis Gazæ, ſed
Pſ. 106. *portas* inferni *æreas, & vectes ferreos confregit,*
Coloſ. 2. 15. *exſpolians principatus & poteſtates, quos traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.*
Pſal. 29. Hic lætus glorioſuſque jam concinit: *convertiſti* (ô Pater) *planctum meum in gaudium, conciſiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia; ut cantet tibi gloria mea.* Gloria utique reſur-
1. Cor. 15. 42. gentis & in illo corpore, de quo Paulus: *ſeminatur in corruptione, ſurget autem in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Talis videlicet *Christus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium*; ut & nobis à morte reſurrectionis ſpem faceret. *Quo-*
v. 20. *niam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur. Unde & Salvatorem exſpectamus D. N. J. C. qui refor-*

reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Unam tantum alteramque Apoſtolus in nobis conditionem, ut tantæ felicitatis participes ſimus requirit. Erimus, ait, *heredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Et hanc quidem conditionem acceptiſſimam nobis eſſe debere ſignificat: *Exiſtimo enim*, inquit, *quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, &c. *quia ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Et verò, ſi *oportuit hæc filium Dei pati, & ita intrare in gloriam ſuam*, quid eſt, quòd nos filii hominum, & peripſemata hujus mundi obluctemur? nunquid eſt ſervus major Domino ſuo, aut diſcipulus ſupra Magiſtrum? Et de hac conditione nobis neceſſaria jam ſupra vidimus. Altera verò conditio eſt: ut, *quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt, à peccato.* Hæc enim mors pravorum, non actuum modò, ſed & affectuum, antè debet præcedere, quàm ad vitæ ſpiritualis novitatem cum Chriſto reſurgere liceat: non ſecus, quàm mors naturalis, vitam immortalem præcedit. Cujus manifeſtum argumentum erit: ſi à mundo averſi, cum Paulo verè dicamus: *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* ad Deum verò con-

Et nos ita reſurgemus, ſi tamen 1. compatimur.

Rom. 8. 17.

Luc. 24.

Rom. 6. 5.

2. Si innovatâ hic vitâ, prius ſpiritualiter reſurgimus, ferventi deſiderio cum Deo conjuncti.

verſi cum Davide: *quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* aut cum Ignatio: *quam ſordet mihi terra, dum cœlum aſpicio!* aut cum Franciſco: *Deus meus, & omnia!* Quid de te ſentis, ô anima mea? quouſque progreſſa eſt? Hoc opus, hic labor eſt. Niſi illam conditionem ſis aſſecuta, viam hanc perfectionis (quam unitivam vocant, quòd nos animamque noſtram, à mundo avulſam, cum Deo prorſus uniat) nondum ingreſſa es: quia nondum, ut Chriſtus, à veteri homine in novum transformata, cum Paulo aliiſque ſanctis Dei reſurrexiſti.

Aſpiratio ad reſurrectionem ſpiritualem.

AFFECTUS. Agnoſco, ô Deus meus, hanc eſſe conditionem, quâ tecum in hac vita conjungi prius debet anima, quàm in altera poſſit vita poſt reſurrectionem ſociari. Verùm, *quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, ac requieſcam:* non extra arcam cum corvo, ſed ad arcam ſalutis reverſus? *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Nimirum, *gratia Dei, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hæc nemini feriò conſtantérque petenti unquam negata eſt. Omnibus dictum eſt, *quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Habes Dominum tuæ magis ſalutis cupidum, quàm ipſa ſis. Deus pater unigenitum pro te filium mundo obtulit: filius pro te vitam & ſanguinem; ut miſericordiam gratiam ac ſalutem impetrares. Et dubitas te poſſe conſequi, quod tanto pro te pretio eſt comparatum? Dei ad te voces ſunt: *Nunquid Pater tuus ego ſum? Et nunquid oblivisci poteſt mulier infantem, ut non miſeratur filii uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit: ego tamen non oblivïſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Cerne in his vulnera mea, pro te quoque poſt mortem retenta, ut eſſent argumenta

Rom. 7.

Gratia Dei ad hoc præſtandum nobis parata, ſi oratione ſeria petatur.

Ioan 11.

Iſa. 49. 15.

menta amoris mei, eſſent ſtigmata quibus patris offenſam emollirem, & ferreum etiam peccatorum animum ad ſpem erigerem, amorémque inflecterem. Quis hæc pro ſe ſuſcepta,& retenta tam admirabili charitate affectúque, intuens, de ſpe veniæ aut gratiæ poteſt deſperare? *Surge igitur amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ*, in vulneribus Salvatoris tui, conquieſce, alæ tuæ ſint fervens deſiderium & oratio. Hæc repulſam non patitur, cum pro ſanctificatione noſtra funditur. Siquidem, *hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus, ſecundum voluntatem ejus, audit nos. Voluntas autem Dei ſanctificatio noſtra.* Ita, ò Domine, credo, obſequor. Scio enim non eſſe aliam faciliorem hac viam, quà tecum conjungi poſſim, quàm crebram ferventémque orationem. cùm hæc ſit mentis in Deum elevatio, per quam mortalis homo ad immortalis Dei familiaritatem mira dignatione admittitur. Hanc igitur impoſterum, coram oculis divinæ majeſtatis tuæ collecta mente, frequentibus ſuſpiriis, devotè & frequenter inſtituam.

Cant. 2.

1. Joan. 5.

1. Theſſ. 4.

II. PUNCTUM.

EXpende, *cur* Chriſtus reſurrexèrit? Videlicet, inter cauſas ceteras, ut corpori, tanta prius in vita perpeſſo, ſuum à morte præmium gloriæ tribueret, noſq; ad illud pari in cauſa aliquando exſpectandū animaret. ac per utrumque æterni patris voluntatem impleret ac gloriam amplificaret, miſſis ad prædicandum diſcipulis, qui unius veri Dei cognitionem & tam admiranda ejus opera, quibus ipſi ad ſumma quæque audenda excitati erant, toto orbe propagarent. Attende, quanta hæc rerum commutatio, & in Chriſto, & in diſcipulis. Atque inprimis in Chriſto cum is, qui ante ſqualido contempto mortalíque in corpore ſuffixus cruci, nunc repentè immortalis, claritate fulgeret admirabili, quam tamen ad arbitrium, velut ſol

Reſurrexit Chriſtus, ut gloriam corpori debitam communicaret.

Et immortali corpori claritatem dedit pro contemptu.

ſub nube radios obtegebat, quòd mortales oculi illam ferre non poſſent. Nam ſi *juſti fulgebunt ſicut ſol* in regno Dei, quâ exiſtimas luce Sanctum Sanctorum radiaſſe? *lux venit in mundum*, jam tum in nativitate Chriſtus, & quanta fuerit in reſurrectione! Sed tenebræ eam non comprehenderunt, & *oculus non vidit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*. Deinde qui antè paſſibilis, *vir* fuit *dolorum*, & *ſciens infirmitates noſtras*; nunc ſubitò impaſſibilis *ſurgit in incorruptione*, & quamvis cibum cum diſcipulis ſumeret, ne phantaſma eſſe putaretur, tamen ex iis erat, qui *non eſurient*, *neque ſitient* amplius, & nec in mediis inferorum ignibus poterunt amburi. Tertiò, qui tardo ante motu cum ceteris incedebat, & à Dæmone ad pinnaculum templi translatus eſt: nunc agilitate ſingulari, immenſos etiam cœlorum orbes virtute propria tranſmeabat. Denique ſubtilitate tanta fuit, ut & lapidem ſepulchri, & clauſa oſtia, citra obſtaculum, penetraret; cùm illis non accenſeretur tantùm, ſed & præeſſet, qui *erunt ſicut Angeli Dei*. Jam quantæ animæ iſtius nobiliſſimæ gloria fuerit, in tam illuſtri corpore, quis cogitatione aſſequetur, nedum verbis exprimet? Certum eſt, excellentiſſimam hanc creaturarum omnium, gloriâ reſurrectionis ſuæ, æternam in cœlis Dei gloriam, ſuper omnia opera ejus, incredibili magnificentiâ extollere. Et meritò tantâ Deus claritate Salvatoris noſtri corpus illuſtravit, quod antè in mortali vita optimo morum exemplo, ſapientiæ virtutumque luce ceteris mortalibus præluxit; meritò

2. Impaſſibilitatem pro cruciatu.
1. Cor. 15.
Matt. 11.
3. Agilitatem pro obſequendi promptitudine.
4. Subtilitatem pro puritate.
Matt. 22.

meritò impaſſibilitatis dono ornatum eſt, quod prius tantâ moderatione adverſa quæque ſuſtinuit, tantâ ſenſuum affectuumque continentiâ rebus hujus mundi utebatur; ut cum pateretur minimè pati, cum offenderetur minimè offendi videretur. Agilitatem, inſigni promptitudine voluntatem Dei Patris omnibus exequendi, merebatur; ſubtilitatem, corporis animique puritate, quâ cœleſtes ſine corpore genios non exæquabat modò, ſed & ſuperabat. Ad has igitur dotes corporis ſi aſpiremus cum Chriſto à morte, non aſpernemur eaſdem Chriſti virtutes in vita: *quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt: neque corruptio incorruptelam poſſidebit.* Incorruptis antè cum Chriſto in vita moribus eſſe debet, qui vult *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.*

Vt Chriſto reſurgendo ſimiles ſimus, aſſimilemur vivendo.

1. Cor. 15. 50.

v. 53.

AFFECTUS. Intelligo, mi Domine quod qui tecum glorificari voluerit, debet, ſicut tu ambulaſti, & ipſe ambulare, ac juxta legem à te datam vivere. Et quomodo grave hoc mihi eſſe poterit, quando lex tua minimè gravis eſt, quia lex amoris eſt: nam, *qui diligit, legem implevit.* quomodo grave eſſe poterit, quod te ante omnes video implere? quod tantâ à te gratiâ & benedictione, tantâ denique gloriâ video munerari? Quomodo grave eſſe poterit, quando à *ſummo cœlo egreſſio tua, & exultaſti ut Gigas ad currendam viam*, ut faceres voluntatem ejus, qui miſit te? O utinam & nos *impleamur agnitione voluntatis ejus, in omni ſapientia, & intellectu ſpiritali, ut ambulemus dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei, in omni virtute confortati, ſecundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia & longanimitate, cum gaudio: gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum, in lumine: qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tran-*

Aſpiratio ad vitam Chriſti, ut parem reſurrectionis gloriam conſequamur.

Coloſ. 1. 9.

& tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ! O ſuave regnum, in quo omnis bonæ actionis regula voluntas Dei nos dirigit, potentia tuetur, ſapientia & ſcientia Dei illuminat. Dilectio ejus legem exequitur, virtus confortat, patientia munit, gaudium exhilarat, Deo per omnia placemus. Da, ô bone Ieſu, ut in hoc regno fidelis perpetuúſque tibi ſubditus maneam, & unum mihi propoſitum ſit, ut exemplo vitæ tuæ, *aſpiciens in autorem & conſumatorem Ieſum!* æterni patris voluntatem in omnibus ſpectem, eique placere deſiderem, & ſic à corruptione hujus mundi averſus, curſum mortalitatis feliciter abſolvam, donec tecum quoque induam immortalitatem, & *ad dexteram patris* in gloria merear apparere. Ita Domine. ita fiat: & ut æternum tibi conformis ſim, nunc in omni opere placere conabor.

III. PUNCTUM.

Chriſtus ſua virtute reſurgens, ut hoſtibus terribilis; ita ſuis amabilis fuit.

EXpende, *quomodo* reſurrexerit? Nimirum virtute propriâ, ſecum liberos è limbo patres, animamque latronis de cruce ducens inter Angelos è cœlo allapſos & applaudentes, territis hoſtibus, lætantibus proavis, Matre, piiſq; mulieribus, ac diſcipulis gaudentibus, ipſe victor exultans, & glorioſus incedens. Quis hic non obſtupeſcat obſtinatam Judæorum, hæc non obſcurè cognoſcentium, malitiam: qui cuſtodibus, reſurrectionem Chriſti apud principes Sacerdotum narrantibus, pecuniam dederunt, ut dicerent. *Quia diſcipuli venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus.* Quod deinde inter Judæos divulgatum eſt. Quanta, ex paucorum hominum pervicacia & fraude, animarum toto orbe pereuntium pernicies! Cum manifeſto hoc ſigno divinitatis, & Sacerdotum Principes, & milites ad Chriſtum ab admiſſo ſcelere converti, reliquoſque ad reſipiſcendum adducere debuiſſent. Sed *impius, cùm ad profundum*

Matt. 28. 11.

Iudæi, quo converti debuiſſent, magis evertuntur.

fundum venerit, contemnet. Caveat, quiſquis tempus divinæ agnitionis, & gratiæ oblatum reſpuit. Chriſti voces ſunt: *qui me erubuerit & meos ſermones; hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua, & patris, & ſanctorum Angelorum.* Verùm nos hic potius expendamus quantó in reſurrectione ſua Chriſtus gaudio, quantâ Mater aliique ob illam lætitia perfuſi ſint, quantæ omnibus nobis exultationi eſſe debeat Hæc enim reſurrectio, ut Chriſto, ſic & electis ejus, eſt laboris finis, quietis initium: hæc dolorum exitus, aditus ſolatiorum: hæc concluſio infauſti temporis, principium felicis æternitatis: hæc non timet amplius Deum, ut ſcelerum vindicem; ſed amat ut virtutum muneratorem: hæc gaudium ſine mœrore, voluptatem ſine dolore, gloriam ſine dedecore æternam complectitur, Sed in Chriſto hæc reſurrectio tantò illuſtrior, quantò mors contemptibilior: tantò optabilior, quantò univerſalior, non unius tantùm, ſed omnium electorum gloriam complexa. Ex hac una optimæ ſpes Matris, ſpes diſcipulorum, ſpes totius humani generis ſuſpenſa erat. At juvabit hìc Chriſti dilectiſſimæ & mœſtiſsimæ ex morte Matri ſuam reſurrectionem nuntiantis, viciſſimque excipientis illum Matris gaudia, attentâ magis cogitatione, quàm verbis proſequi. Quamvis enim ſcriptura de illa non exponat, quod ad ſepulchrum cum Magdalena, aut Joanne (qui eam acceperat in ſua) excurrerit, aut aromata & ungventa præpararit; ut quæ de ipſius reſurrectione non ambigebat, uti ceteri, ideó-

Luc. 9. 26.

Gaudium ingens ſuis attulit, & inprimis Matri cupidè expectanti.

ideóque hoc ſupervacaneo ſepulturæ apparatu (qui maximè ad Matrem ſpectaſſet) abſtinebat: tamen quin avida ipſius à reſurrectione videndi fuerit, nemo poteſt dubitare: nec quod Chriſtus illam ſolaturus inviſerit; cùm gladius doloris, ex morte Chriſti, nullius animam altius pertrâſierit. Tu igitur expendas, quale hoc colloquium, inter talem filium, ac Matrem fuiſſe putes, quantis venerationis, amoris, obſequiorum, exultationis & lætitiæ argumentis refertum! Si Magdalena & reliquæ mulieres tanto in Chriſtum ferebantur deſiderio, ut aperto monumento viſiſque Angelis, horum colloquio aſpectúque nequaquam tenerentur, ſed *exirent cito de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare diſcipulis*: Si Petrus & Joannes audientes *currebant duo ſimul*, & venerunt ad monumentum, ſi nullis quies, ſed currunt, timent, gaudent, eunt, redeuntque, quantus ardor videndi! Et Magdalena quidem reperiendi amiſſum impatiens, reverſa ad ſepulchrum ſic Chriſtum hortulani in ſpecie comparentem aggreditur: *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito ubi poſueris, & ego eum tollam*: ac deniq; ad vocem *Maria* eodem agnito provoluta ad pedes, una voce, *Magiſter*, tantùm reverentiæ, amoriſque complexa eſt, quantùm integra oratione nequeas comprehendere plus; tamen affectu, & mentis extaſi, quàm voce locuta. Habes in una muliere argumentum quid de Matre ceteriſque diſcipulis, atque inprimis Petro, dolore & amore pleniſsimo, ſi ſtatuendum. Tu quis aliquando tibi ſenſus eodem

Magdalenæ & diſcipulorum inſperata gaudia.

Matt. 28. 8.

Ioan. 20.

Gaudium

dem Domino ſua in gloria viſo futurus ſit, modò pari eum, in hac vita deſiderio quæſieris, ex his etiam poteris æſtimare. Tam erit quærentibus amabilis, quàm Judæis proditoribus, & cuivis peccatori terribilis.

cuiuslibet Chriſtum in gloria viſuri.

AFFECTUS ET COLLOQUIUM. *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum: quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo.* Et quis dubitet? *Salvatorem exſpectamus D. N. I. C. qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Quanta gloria, quantum gaudium! quale ſpectaculum redemptorem ſuum in ſede majeſtatis ſuæ ſuper choros omnium Angelorum elevatum in cælis intueri, ab illo benevolè excipi, amanter ſalutari, gloria etiam ſuppari honorari! O longè felicius, jucundius omnique gaudiorum ubertate plenius colloquium, quàm quod Mater & Magdalena cum eodem habuit in terris! O anima mea, cur huc perpetuis deſideriis non anhelamus, cogitatione illic indefeſſa quieſcimus, actione conatuque vitæ toto non enitimur? Ad mortuum Chriſti corpus Magdalena & mulieres ceteræ, tanta contentione pergunt, tam illud ſtudiosè inveſtigant: & tibi glorioſa ipſius in cælis contemplatio tanti non ſit, ut pari ad illam ſedulitate connitaris? Si Regina Saba, magno terrarum ſpatio, ad Salomonem videndum ſua in gloria properans, intuensque & admirans clamat: *media pars mihi nunciata non fuit, major eſt ſapientia & opera tua quàm rumor quem audivi. Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam*: quibus vocibus, qua admiratione, quo gaudio hominem Deum, dilectum fratrem, ac redemptorem coram excepturus es? Hærent attoniti Ioſephi fratres ad fratris voces & amplexus, dicentis: *ego ſum frater veſter Ioſeph*, non capiunt gloriam, ſtupent ad tantum amorem & benevolentiam: Tu quid ab illo exſpectabis, cujus *deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum?* qui ſuam pro te quondam dedit animam, & ſanguinem profudit? quo te vultu, quâ gratulatione,

Iob. 19. 25.

Aſpiratio ad Deum videndum ſuæ in gloria.

Phil. 3. 21.

Gaudium Beatorum ingens ex aſpectu, & alloquio Chriſti.

3. Reg. 10.

latione, ex tot vitæ ſalutiſq; periculis, ex hac miſeriarum valle, ad illam immortalitatis beatæ ſedem, & totius felicitatis poſſeſſionem evectum excipiet, cum Pater æternus ut filium, Dei filius ut fratrem, Spiritus S. ut ſponſam glorioſam ſalutabit? *O felix iucunditas, & iucunda felicitas, Sanctos videre, cum Sanctis eſſe, & eſſe Sanctum: Deum videre & Deum habere in æternum!*

S. Aug. Man. c. 26.

Pſ. 41. O mi Deus, fac ut nunquam dùm vivam hæc mihi cogitatio excidat, ſed per illam omnes actiones meas ad tui nominis honorem, & deſiderium ſalutis meæ accendam. *Sitiat anima mea ſemper ad Deum fontem vivum. O quando veniam & apparebo ante faciem tuam Domine! Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.*

Pſ. 83.

DISTICHON MEMORIALE

Morte triumphatâ vivit (2) ſpéque excitat omnes,
Ad vitæ exemplum (3) gaudia mille parit.

MEDITATIO II. DIEI VII.

De Apparitione Christi Diſcipulis in Emaus facta.

VERITAS. Diſcipulos duos Chriſtus in fide & ſpe reſurrectionis vacillantes, in via Emauntica apparens, confirmat. (2) cum inter ſe, de intellecta Chriſti reſurrectione, ſuæ & illius ſalutis anxii, confabularentur. Placuit enim Chriſto tam ſalutari colloquio intereſſe (3) Invitatus denique ad hoſpitium menſamque communem, ex benedictione & fractione Euchaiſtici panis, eorum

eorum oculos mentemque, ad agnitionem amoremque, aperuit.

ORATIO ET PRÆLUDIA ut ſupra.

I. PUNCTUM.

DUo ex Chriſti diſcipulis, quorum alter Cleophas dictus, ipſo reſurrectionis Chriſti die Jeroſolyma Emauntem, ibant, cumque de ipſius morte certi, de reſurrectione verò ambigui, imò increduli hæſitarent, licet Magdalenam eam nuntiantem audiſſent, Petrum etiam & Joannem corpus in ſepulchro minimè reperiſſe intelligerent. intervenit ſocius viæ Salvator ipſe ſub peregrini habitu incognitus, eorumque incredulitatem, ac deſperationem redemptionis arguit, correxitque. *O ſtulti*, inquit. *& tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ. Nonnè hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam? Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur, quæ de ipſo erant.*

Chriſtus apparet Diſcipulis in via, & ſcripturas S. ius exponit.

Luc. 24.

Expende hoc loco, Chriſtum tangere præcipuum fontem imperfectionis humanæ, quæ & illos Chriſti diſcipulos, & nos hodiedum impedit, quo minus res divinas, ut par eſt, æſtimemus, & mens noſtra cum Deo plenè conjungatur: videlicet defectum vivæ fidei, ac firmæ ſpei, quæ duæ veluti alæ ſunt, per quas anima noſtra ad Deum elevari ſolet, ut cum eo in amore copuletur, Vnde tam graviter eos Salvator perſtringit, *ſtultos ac tardos corde* appellat. Quod idem reliquis undecim diſcipulis factum: *exprobravit enim incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt* & Thomæ: *quia*, ait *vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Fides enim non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum vera fides credit quæ non vides, nititur authoritate ſola

1. Vt incredulitate damnata, vivam fidem ac ſpem in Deo perſuaderet.

2. Hæc humanâ experientiâ minimè niti declaravit.

ſola loquentis Dei, non experientia. quæ etiam cauſa, cur præſente Chriſto diſcipuli in vera diſciplina Chriſtianæ perfectionis, in fide, ſpe ac charitate abſoluti non fuerint, niſi poſt aſcenſionem ſpiritu S. uberius impleti: quòd carnali magis affectu Chriſtum, quàm ſpirituali, qui ab omni ſenſuum commercio abſtrahit, jungerentur. Vt verò in fide, ita & in ſpe fluctuabant miſeri: *Nos*, ajunt, *ſperabamus, quod redempturus eſſet Iſraël.* Quaſi verò, quod Deus ſtatim non præſtitit, de hoc repentè eſſet deſperandum. Viæ & rationes Domini planè diverſæ ſint à via & ratione hominis. Quando juxta humanam rationem ſæpe omnia deſperata videntur: tum Deus potiſsimùm promiſſa exequitur. Jta Abrahamo olim in extrema ſenectute de omni prole deſperante, dedit filium, & benedicendas in illo omnes nationes promiſit; ſed tamen haud multó poſt eundem jubet filium immolari. Nec tamen defecit fides & ſpes Abrahæ, ſed *contra ſpem in ſpem credidit.* exiſtimans quod Deus, etiam immolato filio in promiſsis non poſſet fallere. Jn qua firmitate Apoſtoli defecerunt. Nam cum illi ſpem quidem de regno Chriſti, ſed humanam tantùm, animo concepiſſent; ubi Chriſtum videbant mortuum, jam deſperata eſſe omnia ſunt arbitrati, *ideoque, nos* inquiunt *ſperabamus.* quia humana jam ratio defecerat. O *ſtulti*! Ergo *potens* non *eſt* Deus *de lapidibus* etiam *ſuſcitare filios Abrahæ?* Nonne vidiſtis Lazarum jam quatriduanum de ſepulchro ad ipſius voces prodeuntem, & de illius reſurrectione deſperatis?

3. Humanæ rationes plerumque iis etiam adverſantur.
Gen. 18.
Mat, 3. 9.

tis? Nimirum ſic placet fidem ſpemq; noſtram ſæpe probare Deo; ut, cum exiſtimamus perdita ac deplorata omnia tum repentè in ſpem contra ſpem nos erigat: ne humanæ potius rationi, quàm illius in fide veritati, in ſpe fidelitati innitamur. Fallere nos poſſunt humana argumenta omnia: Deus nunquam fallit. ut ille expertus didicit, qui dixit: *etiamſi me occiderit, in ipſum ſperabo.* Et talis nobis fides, talis ſpes neceſſaria eſt, ſi indivulſa cum Deo intellectûs affectûſque noſtri unione ſociari deſideramus. Talis fides ac ſpes omnia impetrant, nunquam fallunt, quia Deo infallibili, & omnia quæ promiſit exequi valenti nituntur: cui non minus facilè eſt verbo dare, quàm promittere, quia ipſe dixit, & facta ſunt univerſa.

4. Id propterea fit, ut ſoli Deo innitamur.

Iob. 13.

AFFECTUS. Novi, ô Domine, quia *fides eſt argumentum non apparentium*, & quod *accedentem ad Deum oportet credere.* Quantum bonum, quòd ad eam tua in Eccleſia me, præ tot mortalibus, vocaveris: cùm *hæc ſit vita æterna, cognoſcere te verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, & *ſine* hac *fide impoſſibile ſit placere Deo*! Quis ego, ô Deus meus, quem cum diſcipulis tuis ſingulari hac gratia dignatus es, & toties hæſitantem confirmaſti! Quam innumeri mortales ſunt, qui ſi hoc tuo beneficio fruerentur, longè in fide ſua ferventiores, longè in fiducia conſtantiores futuri eſſent; quos tamen, me ad hanc gratiam admiſſo, præteriiſti! An eſt mens, aut cogitatio, quæ hic dignam poſſit gratiarum actionem concipere, quâ tibi pro tanta benevolentia reſpondeam? Et tamen, qui hæc præ tot hominibus mihi agnoſco præſtita, nondum at firma te fide (quam exigis) proſequor, nondum eâ ſpe & fiduciâ nitor, quâ plenè ad te converſus, & à mundo averſus, omni hæſitatione & humanâ ratione excluſâ, te unum intellectu toto, in obſequium fidei captivo, & affectu confidentiſſimo amplector; ut cum Apoſtolo poſſim dicere: *certus ſum, quia neque mors, neque vita poterit*

Heb. 11.

1. Æſtimatio vocationis ad fidem Chriſti.

Ioan. 17.

2. Admiratio, ob beneficium hoc ingrato collatum.

3. Deſiderium firmæ fidei ac ſpei.

 nos

Rom. 8. *nos ſeparare à charitate quæ eſt in Chriſto I. D. N.* Sed
2. Cor. 4. tu, ô lux mundi, qui *facis de tenebris lumen ſplendeſcere*, qui tanto ſtudio illuminaſti corda diſcipulorum tuorum, qui es *via, veritas, & vita*. Dirige me in ſemitam mandatorum tuorum infallibili cognitione, & amore veritatis, ac ſpe vitæ æternæ: ne illam tam acerbam reprehenſionem tuam *ſtulti* & *tardi* aliquando incurram; ſed illam potius audiam benedictionem, *beati qui non viderunt, & crediderunt*: & *qui ſperaverunt in Domino, non ſunt confuſi.* Ita Domine, fidem ſpemque futuræ tecum reſurrectionis manè in prima vigilia, ac per diem ſæpius, hac & illa occaſione N. N. excitabo. Tu, ô Deus cordis mei, cor meum ad hæc frequenter erige.

Propoſitum.
Pſalm. 12.

II. PUNCTUM.

Colloquium diſcipulorũ ſpirituale Chriſtum traxit.

IN hac hiſtoria expende, quid potiſſimum ſaluti fuerit his Chriſti diſcipulis: & reperies, fuiſſe dignum viris bonis colloquium de Chriſto. *Qui*, inquit, *ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem?* reſpondent, *de Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone, coram Deo, & hominibus.* Præclarus ſermo! egregia de Chriſto exiſtimatio! nam qui opere & ſermone Deo & hominibus placet, quid in illo ad perfectionem ultra deſideres! Hos igitur dignos viciſſim Chriſtus habuit, quos præ ceteris omnibus inviſeret, oſtendens, quàm verum eſſet, quòd aliquando monuerat: *ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ.* Quantum verò hi diſcipuli guſtum fructúmque ex ſpirituali hoc colloquio per Chriſtum producto hauſerint, ſatis ex illo liquet, quod deinde avelli à Chriſto non potuerint; ſed invitarint eum cupidè: *mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit:* & tanquam boni cum Jacobo luctatores, non dimiſerint, donec illis benedixiſſet, ſingulari cognitione & amo-

Matt. 18.

Gen. 32.

re Dei plenis. Hos planè imitetur neceſſe eſt, quiſquis ad perfectionem aſpirat, & cum Deo per amorem conjungi deſiderat. Nam cor Deo plenum, cum David, ſolet dicere: *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* Quia *ex abundantia cordis os loquitur.* Et ſi Venator de ſilvis, canibus, feris: arator de ſtiva & bobus: de ſuis miles armis ac præliis: de qua re frequentius loquatur Dei cultor & amator quàm de Deo? an hic campus differendi ſterilior, aut minus aptus dignúſque, qui in colloquiis diſcuratur? aut fortè ruſticum ſuæ non pudet profeſſionis, & ſervum Dei pudet? Hoc argumentum eſt, ex quo quiſque ſeipſum explorare poteſt, quantum in amore Dei & proximi, ac via ſalutis ſuæ profecerit. Nam ignis in ſinu non abſconditur: & *ſi repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent.* Hoc exemplo Chriſti & diſcipulorum cuivis ad perfectam cum Deo unionem, etiam ut par eſt in ſermone, aſpiranti agendum eſt; ut proximus, ex noſtra converſatione diſcedens, dicat: *nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, cum loqueretur?* Certè materia de Deo loquendi deeſſe nunquam poterit. Quia, ut David ait: *magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis. Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt: Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. virtutem terribilium tuorum dicent: memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt, & juſtitiâ tuâ exultabunt.* En quanta, quamque præclara differendi materies,

Hos imitantur in colloquiis qui Dei ſunt amantes.

Eccl. 11.

Proximus pio ſermone de variis Dei virtutibus eſt inflammandus.

Pſ. 144. 3.

præſertim illa, quæ de juſtitia Dei Patris in Chriſtum exercita, propter peccata noſtra: tum de Chriſti ſuavitatis abundantiâ erga homines perditos inſtituitur. Quid loqui delectat, ſi hæc faſtidimus!

Agnitio obligationis ad piè loquendum.

AFFECTUS. Verè mendax eſt Domine, qui dicit, quod te diligat, & tamen de te audire faſtidit ac loqui. Si quis ſe profiteatur Dei cultorem amatoremque & vana loquatur: ille ex Chriſto auditurus eſt: *ex ore tuo te judico, ſerve nequam.* Nam *ex ipſo ore procedit benedictio, & maledictio.* Sed non ex eodem utraque: *Nunquid enim fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam? Nunquid poteſt ficus uvas facere, aut vitis ficus? Qui ſapiens & diſciplinatus eſt, oſtendit ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.* Hæc me Domine docuiſti, hæc per alium quoque Apoſtolum inculcas: *exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Jn verbo & converſatione exemplum ante omnia requiris. Cæteræ enim virtutes, ut verbo potiſſimum traduntur ac foventur; ita & evertuntur. Heu Domine, quoties hæc à me neglecta ſunt, qui tamen inter amatores Dei volui cenſeri! quàm lingua in vanis profuſa & ardens eſt, quàm in divinis parca & frigida! quàm paucis illa ædificationi, quàm multis offenſioni! An ignoro hoc à te præceptum eſſe: *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt?* aut fortè minus neceſſarium exiſtimo, ut verbo proximos ædificem, quàm opere? Quam ſerio admones, ut ſi vel oculus, vel pes in me ſcandelizet, abſcindam ac projiciam; quòdque melius mihi futurum ſit, *ut mola aſinaria ſuſpendatur ex collo, & demergar in profundum maris,* quàm vel unum de puſillis ſcandalizem! & tamen quoties lapſus hanc admonitionem ſprevi! quoties lingua amputanda, potius quàm malè uſurpanda fuiſſet! Quid ergo ſupereſt, niſi ut illam cum toto corde convertam ad Deum meum, ne inimicum illum judicem ſuſtineam, qui de omni etiam verbo otioſo rationem exiget in die judicii, quem fallere vel in minimis nequeo: *non enim præterit Dominum omnis cogitatus, & non*

Iac. 3. 10. · *1. Tim. 4.* · *Mat. 5.* · *Mat. 18.* · *Eccli. 42.*

Dolor de vanitate ſermonis, & Propoſitum emendationis.

non abſcondit ſe ab illo ullus ſermo. Adeſt coram ipſe expenditque omnes ſermones noſtros. *Pone* igitur ô Domine *cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis: nec declines cor meum in verba malitiæ.* Sed *complaceant eloquia oris mei & meditatio cordis mei, in conſpectu tuo ſemper.* Ab hoc momento tibi ita conſecro lingvam; ut primò nihil honori tuo adverſarium ſtatuam proferre: deinde ubicunque opportunè & cum fructu potero, ut hic & iſtic N. N. de rebus ad Deum ſalutémque ſpectantibus ſermonem inferam, tu *ô Domine labia mea aperias.* Pſal. 140. Pſalm. 18. *Propoſitum.*

III. PUNCTUM.

IUcunda hujus fuit hiſtoriæ concluſio. *Factum enim eſt dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, fregit, ac porrigebat illis: Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis, ipſe verò evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invicem: nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur?* &c. *Et ſurgentes eâdem horâ, regreſſi ſunt in Jeruſalem ac narrabant quæ geſta erant.* Hic expende quemadmodum Chriſtus, ut plerique ſentiunt, ex repetitione illius diſtributionis panis Euchariſtici, quâ ultimò ſuum amorem incomparabilem diſcipulis teſtatus erat, iiſdem ſeſe manifeſtarit: ut oſtenderet, hoc faciendum in ipſius cõmemorationem eis, qui oculos ſibi ad res divinas cognoſcendas, Deum amandũ ac in hac vita aperiri vellent. Nam, ſi Tridentinis Patribus credimus, *Salvator noſter*, diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, ſacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini erga homines amoris velut effudit: *memoriam faciens mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Sumi autem voluit hoc ſacramentum tanquam ſpiritualem animarum cibum,

Luc. 24. *Chriſtus in fractione panis benedicti agnitus.*

Trid. ſeſ. 13. c. 1.

quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: *qui manducat me vivet propter me, &c.* Et ſi gutta mellis, à Jonatha deguſtati, aperire oculos & reddere vires animoſque deficienti potuit; ſi Elias, in virtute cibi allati cælitus, grandeiter uſque ad montem Dei Horeb conficere: quid ni hoc ipſum cibus ille vitalis queat? Si jam cor diſcipulorum illorum ardens erat in via, cùm loqueretur eis Chriſtus, & ſcripturas aperiret, quanto putas æſtu, illos ex panis benedicti fractione, & ſumptione, cùm Salvatorem agnoſcerent, exarſiſſe? Et ſanè, qui Deum in carne præſentem ac tot amoris nos ſignis complectentem non amet, pluſquam ferreum & adamantinum cor poſſideat. Quantus ille charitatis in Deo exceſſus: opes, honores famam, vitam ac ſanguinem, non pro amicis ſolùm, verùm & hoſtibus profundere, atque inſuper (ne quid ſui reliquum ſit, quod non largiatur amanti) ſeſe ipſum in cibum, eumque perpetuò nobis præparatum, offerre, ne tantùm affectu, ſed ipſa etiam divinitate atque humanitate ſingulariter nobis conjungatur! *Magnum quidem fuit, Chriſtum ipſum in peregrinationis noſtræ ſocium ſe dediſſe, majus verò in pretium redemptionis: hoc tamen donum adhuc eſt in aliqua ſeparatione ab eo, cui datur. Cum verò datur in cibum, datur non ad aliquam ſeparationem, ſed ad omnimodam unionem. uniuntur enim in unitate corporali cibus, & qui cibum ſumit.* Jam quòd in hoc ipſo ſacramento quædam nobis imago memorativa paſſionis Dominicæ proponatur in hoc mirificè *commendat nobis charitatem ſuam Deus*

[Margin notes: 1. Reg. 14. — *Cibus Eucharisticus Dei in nobis cognitionem & amorem auget.* — S. Thom. l. 8. de Trin. opuſc. de ſacr. alt. — *Singularis amor in unione per cibum eminet.*]

Deus, quoniam, cùm adhuc inimici eſſemus, pro nobis mortuus eſt: licet pro amicis vix quiſquam moriatur. Nunquid igitur vitam pro vita jure exigit? Deus pro homine (quanta diſparitas!) ex amore moritur, & homo pro Deo recuſet? At minus ipſe poſtulat. agnoſce, & ama ſic amantem, & reſpondiſti. Aliud quoque in hoc myſterio argumentum ſummi amoris reconditur. ut enim amans amati præſentiam deſiderat; ita ipſe, licet cæleſtem ad gloriam avocandus, in hac tamen mortali vita. adeſſe nobis hoc in ſacramento, ſuâ in Eccleſiâ, perpetuò voluit: neque tædium ex temporis diuturnitate, aut redamantium etiam tepore patitur, amorísve pactum reſcindit; ſed manet *nobiſcum uſque ad conſumationem ſeculi*, peramanter etiam invitat: *venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, ex hoc fonte gratiarum & divini amoris. Et dũ hæc Salvator nobis charitatis inexplicabilis argumenta oſtendit, dum ſic inter nos verſatur, agit, loquitur ſeſe in nos transfundit, conjungítq; nobiſcum, ut unum cũ ipſo ſimus, re non minus, quàm amore, nondũ exardeſcit cor noſtrum; nec tanto incendio divini amoris corripitur? Quiſquis ſic amari vis & æternùm conjungi; ama, & impetraſti.

Rom. 5.

Memoriam paſſionis refricat.

Se præſentia noſtra delectari oſtendit.

Mat. c. 28. c. 11.

AFFECTUS ET COLLOQUIUM. *Domine Deus Iſraël, non eſt ſimilis tui Deus in cælo deſuper, & ſuper terram deorſum, qui* (tam admirabili præſentiæ tuæ & amoris argumento) *cuſtodis pactum & miſericordiam ſervis tuis, qui ambulant coram te in toto corde ſuo. Ergone putandum eſt, quod verè* Deus *habitet ſuper terram? ſi enim cæli cælorum te non capiunt. quantò magis Domus hæc*, Eccleſia tua & corpus meum in hoc ſacramento? *Quis det mihi te fratrẽ meum, ut* hic *te inveniam, & deoſculer te?* Et *unde hoc*

3. Reg. 8. 23.

Admiratio divini amoris in Eucharistia exhibiti.

Cant. 8.

mihi, ut Dominus meus veniat ad me, Rex Regum & Dominus Dominantium? Ille in hoc memoriali, figura paſſionis ſuæ, mihi ante oculos in Eccleſia Dei propoſitus ſit, & non magis ardentiúſque ad hoc ſignum amoris feſtinem? ille perpetuò hic mecum eſſe dignetur, & mihi quandoque grave ſit, una iſtic diei hora cum ipſo morari? ille me reficere mecúmque ſociari intimè deſideret, & ad tam ſanctam communionem non ferventius aſpirem? O anima mea, quid ultra tibi Salvator tuus facere debuit, & non fecit? Fierine poteſt, ut Dominum tàm potenter te amantem non redames? *Surge, quæ dormis, & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Dic ex toto corde tuo; *Dilectus meus mihi, & ego illi, inter ubera mea commorabitur*: ille mihi præſens eſſe deſiderat, & ego illi. curramus in mutuos amplexus, jungamur in divino hoc myſterio. Quomodo enim amare me Deum meum profiteor, ſi memoriam ejus depono, præſentiam non quæro, unionem refugio: Non eſurit ſitítque, qui panem vinumque tale appoſitum faſtidit. Quantum, quam ſingulare beneficium! *panem Angelorum manducabit homo.* quantus amor! *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo. & vivet in æternum.* Quàm verè canit Eccleſia! O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur! Te ego omni impoſterum affectu deſiderabo, ſtudiò frequentabo, amore complectar.

Deſiderium ardenter redamandi.
Eph. 5.
Cant. 1.
Ioan. 6.
Propoſitum.

Gratia petitio.

Aperi, ô bone Jeſu, oculos meos, ut agnoſcam hunc tantum amorem, & beneficium hoc tanto affectu oblatum nulla occaſione recuſem. Accende frigidum cor meum, ut inardeſcat ex divina præſentia tua, te ſitiat fontem aquæ vivæ, te deſideret panem vitæ, & in fortitudine cibi illius tecum ad montem Dei ſanctum perveniat, ubi in gloria es Dei Patris.

DISTICHON MEMORIALE.

Ducit Emauntem (2) ſociuſq; eſt ſacra loquentũ
Inſtructor (3) felix hoſpite menſa fuit.

MEDIT. III.

MEDITATIO III. DIEI VII.

De apparitione prima Apoſtolis collectis facta.

VERITAS. Apoſtolis, Thoma excepto, collectis apparet Chriſtus, & pacē iteratò precatur. Quæ primò quidē homini ſecum optanda eſt, & ſubactis paſſionibus obtinetur. (2) Deinde cum proximo Chriſtianis inprimis eſt commendata, ſine qua charitatis lex non impletur. (3) Denique, ut cum Deo ab homine obtineri facilius poſſit, reconciliationis Sacramentum à Chriſto utiliſſimè eſt inſtitutum.

ORATIO PRÆPARATORIA ET PRÆLUDIA *ut ſupra.*

I. PUNCTUM.

EOdem die ſabbatorum veſperi, cum diſcipulis ex Emaus redeuntibus nondum ſatis crederent Apoſtoli, qui præter Thomam, occultè, propter metum Judæorum, convenerant. *Venit Ieſus, foribus clauſis, & ſtetit in medio, dixitque, pax vobis. Conterritis verò, inquit, Ego ſum, nolite timere*: nondum credentibus, ſed *exiſtimantibus ſpiritum ſe videre; oſtendit manus, pedes, & latus.* Deinde ex aſſo piſce, & favo mellis comedit, ac reliquias exhibens, ſcripturas illis, earúmque ſenſum aperuit, iterumque pacem precatus, creavit Apoſtolos, hoc eſt legatos ſuos, in orbem mittendos. Ioan. 20. Luc. 24. 1. *Variis argumentis Chriſtus ſe vera in carne reſurrexiſſe probat.*

Expende hoc loco, ex quanta Chriſtus tempeſtate & jactatione diſcipulos ſuos repentè in tranquillo collocarit: Adfuit tanquam columba 2. *Pacem ac gaudium turbatis ac mœſtis diſci-*

pulis, omniumque proborum conſcientiis Chriſtus præſens adfert. ba viridem ramum olivæ ad arcam ferens, cum pedibus manibuſque ac latere exhibito, ſeſe redemptorem manifeſtavit, veram illis pacem, quietem, & gaudium animi incredibile apportans. Ita videlicet in conſcientia à qua Chriſtus abeſt, turbata ſunt omnia: ad quam ille redit, redit & *pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum.* (Phil. 4.) Certum eſſe, non experientia ſolùm, ſed & divina nobis oracula teſtantur, quòd *impii ſint, quaſi mare fervens, & non ſit pax impiis.* (Eſ. 57.) Quòs enim conſcientia ſcelerum propria accuſat, mors imminens, & Vindex Judexque ſupremus terret, quam ſperare in animo pacem & gaudium poterunt? At *ſit aliquis, nihil in ſe damnandum habens, ſed bona fretus conſcientia, & ad futura anhelans, & exſpectans illam beatam ſpem, quid hunc quæſo in triſtitiam poterit inducere? Nam omnibus rebus mors intolerabilior eſſe videtur; ſed hujus exſpectatio non tantum ipſum non contriſtat, verùm & potius delectat. Novit enim, quòd mortis præſentia laborum eſt liberatio, & curſus ad coronas & bravia pro virtute pugnantibus repoſita.* (Chryſoſt. ad pop. hom. 18.) Novit quod poſt hanc viſurus ſit Chriſtum in gloria, jungendus cum dilecto ſuo, ut pace & gaudio cum illo fruatur ſempiterno. Turbata erat apud incredulos Diſcipulos conſcientia; at ſubitò, ubi Chriſtus, & cum illo vera fidei lux affulſit, ſpes moriens excitata eſt, amor refrigeſcens in Salvatorem exarſit, pax gaudiumque tranquillæ menti eſt reſtitutum. Igitur jure, quam Chriſtus agnitus amatuſque præſens attulit, pacem verbis eſt precatus. Ita Paulus: *pax*, inquit, *fratribus & charitas, cum fide,* (Eph. 6.)

fide, à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto. Et, *pax* Phil. 4.
Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat cor da veſtra, & intelligentias veſtras. Sed hac frui conſtanter non poteris, niſi turbulentis in te paſſionibus ſubactis, *poſt concupiſcentias tuas non eas.* Non dico, ne omnino nullas patiaris, quòd in hac vita ſperandum vix eſt; ſed ne illas, obfirmata jam ad non peccandum voluntate, ſequaris. Impetere ille te, etiam cum tuo ad virtutem profectu, poſſunt: tantùm neceſſe eſt, ut vincas, & non vincaris. Quod à fidis Dei ſervis, ſi à Chriſto ſeparari non velint, atque audire hanc aliquando ſententiam: *Euge ſerve* Mat. 25.
bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam; omnino eſt exſpectandum. *Gloria enim, & honor, & pax omni operanti bonum.* *Quod ſi* autem *ſpiritus ejus, qui ſuſcita-* Rom. 2.
vit Chriſtum à mortuis, quemque ipſe Diſcipulis ſuis apparens largitus, *habitat in nobis, vivificabit & mortalia corpora noſtra. Si enim ſecun-* Rom. 8.
dum carnem vixerimus moriemur; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus. Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.

3. Vt conſtans pax animi ſit, paſſiones ſunt edomandæ.

AFFECTUS. Jam dudum docuiſti me, ô Deus meus, per Angelum tuum, quod ſit *pax hominibus bonæ volun-* Luc. 2.
tatis. In pace enim perfectio eſt, ubi nihil repugnat, & ideo Aug. de ſer.
filii Dei pacifici, quoniam nihil in his reſiſtit Deo. Et utique Chr. in
filii ſimilitudinem patris habere debent. Pacifici autem in Mont.
ſemetipſis ſunt, qui omnes animi ſui motus componentes & ſubjicientes rationi, id eſt, menti & ſpiritui, carnaleſque concupiſcentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo ordinata ſunt omnia. Et hæc eſt pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita conſummati perfectique ſapientis. Agnoſco Domine, hæc eſt via ad illam, quam

1. Agnitio & deſiderium pacis

interna, quæ à bona voluntate Chriſti gratiam præſentem amplectente naſcitur.

Rom. 7.

quam Diſcipulis & univerſis Dei cultoribus pacem precaris. Hoc *regnum Dei eſt, quod intra nos* eſſe teſtaris. Optanda prorſus pax, & felix regnum, quod illâ delectatur! Quis mihi tribuat, ut hac pace, gaudioque illi conjuncto, deinceps potiar! Quoties cum tuis diſcipulis, anceps de tua præſentia, inter fluctus affectuum, adverſitatum, & tentationum miſerè jactor turborque! *Video enim aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Huc me confugere neceſſe eſt, qui licet propriæ conſcius infirmitatis, nunc vacillo, nunc etiam labor: *omnia tamen poſſum in eo qui me confortat.* Tu igitur, ô bone Jeſu, qui *es pax noſtra, qui facis utraque unum*, quæ in terris cœliſque ſunt, reconcilians ima ſummis, qui ventis & fluctibus tempeſtatum imperas, qui diſcipulis incredulis turbatiſque pacem attuliſti: veni quoque in vagum turbatumque cor meum, ſta inter medios tentationum affectionumque inſurgentium fluctus, & tranquillitatem impera, pacem largire, aut victoriam. Tecum mihi vivere ac mori certum eſt. Quia nullibi ſine te veram haberi pacem gaudiumque poſſe intelligo, *Illud enim verum & ſolum eſt gaudium, quod non de creatura, ſed de creatore concipitur, & quod, cùm poſſederis, nemo tollet à te. Cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror eſt, omnis ſuavitas dolor, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne poſtremò quodcunque aliunde delectare poteſt, moleſtum.* Da gaudium hoc Domine, totoque animo & cogitatione ita tibi Deo meo affixus maneam, ut nulla me tentatio poſſit avellere à te ſummo bono meo.

2. Fiducia in Chriſti ope inter tentationes, pacis certa cuſtos.

Eph. 2.

Propoſitum, & petitio gratiæ.

Bern. Ep. 114.

II. PUNCTUM.

Pacem Chriſtus iteratò precatus, illam quæ cum proximo colenda eſt, inculcavit.

SEd non fruſtra Chriſtus iteratò pacem diſcipulis precatus eſt. Neque enim ſufficit illa pax, quam ſecum in conſcientia quiſque innoxia, fluctibuſque tentationum compoſitis, aut ſuperatis poſſidet; ſed cum proximo quoque pax illi & amicitia colenda eſt. Eſt enim ſociale homo animal, vivit inter homines, ideóque

que ſola ratio, quâ donatus, præ ceteris animantibus eſt, pacem ſuadet. Ut nunquam hæc violetur ſine crimine, ab indomitæ tantùm cupiditatis hominibus, qui humana divinaque jura, æquitatemque communem conculcando, pacem violant. Quò autem quiſque Dei amantior, tantò & pacis eſt. Voluitque Deus olim populo ſuo illius conſervandæ memoriam curamque perpetuam eſſe, cum ipſam metropolim gentis *Hieruſalem*, id eſt, *pacis viſionem* dixit, atque hoc ipſum nomen cœleſti beatorum civitati velut proprium ſervavit. ut ſive in nobiliſſimam terræ; ſive cœli manſionem oculos animoſque defigerent, pacis illos recordatio ſubiret. Jam in Chriſtiana lege quid perinde, quàm pacis commendatio, frequens eſt! Hanc Chriſto naſcente hominibus ante omnia Angeli precantur; hanc Chriſtus primò reſurgens inter Apoſtolos viſus offert; hanc miſſis ad prædicandum, in quamcumque domum intraverint, jubet nuntiari. Et, ô dedecus Chriſtianæ gentis! ubi terrarum pax magis exulat, quam inter Chriſtianos, ubi non tantùm regna cum regnis, ſed cum principatibus principatus, cum rebuſp. reſp. cum urbibus urbes, cum familiis familiæ colliduntur? Ad quam denique anarchiam & confuſionem ab illa prima Chriſtianæ gentis diſciplina, quando omnium *credentium erat cor unum, & anima una*, ſumus devoluti? Verùm quotquot ab hac indole Majorum deſciſcunt, hi præter nomen Chriſtiani nihil retinent: cùm illorum character proprius ſit, qui Jeſu Chriſti eſſe volunt, in pace & charitate

Hanc 1. Chriſtus in perpetua apud ſuos memoria eſſe voluit.

Violatur hodie cum ingenti probrò Chriſtianorum qui olim unicordes erant.

Act. 4.

2. Character veri Chriſtiani proprius eſt.

Ioan. 17. 21. ritate uniri. *Volo Pater*, inquit ille, *ut quos dediſti mihi, omnes unum ſint, ſicut & nos unum ſumus.* An arctius abſolutiuſque ullum pacis vinculum potuit reperiri? Et vis eſſe beatus? ſis pacificus.
Mat. 5. *Beati* enim *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Non vis eſſe carnalis, ſed ſpiritualis? ſis pacificus. Nam Apoſtolus ita ſuos arguit. *Cum ſit*
1. Cor. 3. *inter vos Zelus & contentio, nonne carnales eſtis?*
Eph. 4. Sitis igitur *ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, unum corpus, & unus ſpiritus; ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* Vis ha-
Ioan. 13. beri diſcipulus Chriſti? *In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem ad invicem habueritis.* Vis denique videre aliquando Deum?
Hebr. 12. *Pacem ſequaris cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.*

Pſal. 132. AFFECTUS. *O quam bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum! Vix poteris,* ô anima mea, *in præſenti invenire unum, quod ſit bonum & jucundum. Cupis tamen invenire? perſequere pacem, & amplectere illam. Hæc enim ſola virtus, quæ habet bonum & jucundum. Hæc eſt illa bonitas, quæ nos facit habitare unius moris in domo, ut ſimul vivere ſimulque mori ſemper optemus. O pax, tu mentis ſerenitas, animi tranquillitas, amoris vinculum, charitatis conſortium! Hæc eſt illa ſumma felicitas, quæ bella compeſcit, iras comprimit, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis placet, à cunctis optatur. Beatus qui te habet, maledictus qui te odit, quoniam Antichriſtus eſt, & filius perditionis.* Pugnat enim cum Chriſto Jeſu, qui eſt pax & ſalus noſtra; quia pacem & ſalutem evertit. Agnoſco quòd *meritum Chriſtianæ virtutis vileſcit in cunctis, ſi unitatem non habeat pacis, nec pervenit quis ad vocabulum filii, qui nomen non habet pacifici. Pax ex famulo liberum facit, filium ex ſervo. Pax dilectionis mater eſt, concordiæ vinculum, puræ mentis indicium.* Abſit, ut tantum donum à Chriſto diſcipulis ſuis oblatum recuſem. Recuſat enim eſſe in Chriſti corpore, qui per hoc vinculum

Auguſt. ad Fratr. in Erem. ſer. 2.

1. *Amor & deſiderium pacis, ejuſq; bonorum in Chriſto.*

Id. ſerm. 169. de Temp.

lum pacis non vult ſociari: ipſum Chriſtum rejicit, qui eſt pax noſtra. Heu quoties à tanto bono averſus, illum patrem diſcordiarum ſecutus ſum, qui primus pacem inter Deum & homines ſuſtulit, & infelicem denique Cain in proprium fratrem armavit! Quare, cum *in hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli. Et in hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii Diaboli: quod omnis qui non diligit fratrem ſuum, non eſt ex Deo*: procul abſit à me tam turpis ſervitus: pacem tuam, ô bone Jeſu, amplectar & te etiam pro viribus ſequendo, *cum his qui oderunt pacem ero pacificus*: ut inter illos cenſeri merear, qui *filii Dei vocabuntur*. Quod ſiquis me offendat adverſum me inſurgat, famam lædat, opes auferat, vulnera etiam infligat, pacem tamen tuebor, dicamque cum Jeſu Deo meo, *ignoſce, ô pater, quia neſciunt, quid faciant.*

2. Deteſtatio diſcordiæ, ejuſque autoris Diaboli.

1. Ioan. 3. 8. 10.

Propoſitum

Pſal. 119.

III. PUNCTUM.

CHriſtus poſtquam diſcipulis iteratò pacem fuiſſet precatus, Apoſtolatus eis munus commendavit, poteſtatemque clavium his verbis conceſſit. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Et inſufflavit, ac dixit eis. Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Expende, quantum hic beneficium Deus hominibus conceſſerit, ad violatam cum ipſo pacem, nova reconciliatione, ſanciendam. Neceſſe enim homini ad bene beatéque vivendum non tantùm, ut ſecum, & cum proximo, ſed inprimis, ut cum Deo pacem habeat: quia hic potentiſſimus omnium, ut amicus, ſic hoſtis, & prodeſſe maximè & nocere poteſt. Quocirca summi beneficii loco acceptandum eſt oblatum nobis tam facile & optabile reconciliatæ pacis medium, per quod offenſam ſupremi Numinis majeſtatem, non longis ambagibus tractati-

Ioan. 20. v. 21. 23.

Diſcipulis ſuis Chriſtus poteſtatem confert peccata remittendi, aut retinendi.

1 Ingens hoc beneficium.

tractatibuſque, quales ad hominum inimicitia componendas ſuſcipiuntur; ſed brevi tempo-
2.Cor.5.20. ris mora, expeditoque opere placemus. *Pro Christo*, ait Paulus, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus* ergò *pro Christo: reconciliamini Deo.* Potuítne quicquam
2. Ingens amor Dei hoc nobis conferentis. amantius fieri? Ipſe Deus per Apoſtolum ſuum tanquam offendens potius, quàm offenſus nos ad reconciliationem hortatur. Nimirum intelligit, quanti noſtrâ interſit, non habere inimicum ſe, ſed benevolum; ac pace cum Deo bonorum omnium fonte, hominem ſociari. Et
Rom. 5. ad hanc pacem Romanos Paulus excitat: *Justificati ex fide, pacem habeamus apud Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Christum.* Hanc idem ſuis Galatis, Epheſiis, Philippenſibus, Coloſſenſibus, & Theſſalonienſibus his fere verbis in principio Epiſtolarum precatur: *Gratia vo-*
3. Omnia dona hoc pacis cum Deô donum complectitur. *bis, & pax, à Deo Patre, & Domino N. J. C.* Nec immeritò, cum in hac una omne bonum apprecetur. Quem enim timeat hoſtem, qui Deum habeat amicum? quod malum formidet, qui omni bono conjunctus eſt? quam felix ille cliens, qui Dominum Jeſum habet protectorem! quam fortunatus eſt filius, qui Deum habet patrem! At hæc ſolâ cum Deo pace obtine-
S. Greg. l.7. Epiſt. mus. *Hanc Dominus & redemptor noſter, in magno munere Diſcipulis ſuis relinquere ac dare dignatus eſt; ut eos qui firmitate fidei ei cohærebant, per hanc ſibi piâ faceret participatione conſortes. Scriptum namque eſt; beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur. Quiſquis ergo patris heres eſſe deſiderat, filius exiſtere, hanc cuſtodiens, non renuat.*

nuat. Quid, quod ſumma perfectio ac felicitas noſtra, in conjunctione cum ſummo bono conſiſtat: ita ut quantò hæc in anima noſtra major, tantò illa ſit abſolutior atque excellentior? Quæ conjunctio, cùm ſine prævia pace haberi nequeat, pax autem firma, niſi offenſione omni ſublata, non poſſit ſtabiliri: nihil magis pacis cum Deo amanti curandum eſt, quàm, ut offenſæ omnes, ſiquæ fuerint ſubortæ, ex fragilitate, aut perverſitate noſtra, eæ quantocyus removeantur. Quocirca ſummo beneficio noſtro Chriſtus illud reconciliationis Sacramentum Apoſtolis eorúmque in Eccleſia ſucceſſoribus commiſit: ut ex parte Dei ſemper eſſent, per quos reconciliati pacem haberemus apud Deum. Ita ut nulla reſp. in univerſo ſit orbe, quæ tam facile medium ad tollendas inter homines inimicitias, concordiámque reducendam invenerit. Nullus hominum ſit, qui tam promptè ſecum in perverſis affectionibus ſuis componendis, pacem repererit, cum tamen infinitè gravius ſit Deum, quàm hominem offendiſſe atque ab illo diſſentire. Unde ſiquis hominũ, læſo Numine, & pace inter Deum quomodocunque violatâ, tantâ illius gratiâ ad reconciliationem uti differat, hic jure erga Deum ingratiſſimus debet cenſeri, nec tantâ dignus pace & amicitiâ, quam tam benevolè oblatam, tam leviter averſatur. Audi illas ſapientis te monentis voces, quiſquis etiam levius Deum offendiſti: *Fili peccaſti? non adjicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare.* Audi & Apoſtolum ſciſcitantem: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ,*

4. In hoc ſumma perfectio, & felicitas noſtra.

5. Perquam facilè hæc pax obtinetur.

6. Negligere ingratum damnoſumque, differre verò periculoſum eſt.

Eccli 21.

Rom. 2.

tientiæ, & longanimitatis contemnis: ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiũ te adducit? Ne exiſtimes contemnendũ, quodvis etiam leviſſimum delictum, quod amicitiam Dei, ſi non abrumpit, certè retardat, teque ab intima ſummi boni conjunctione ſeparat, & divinæ gratiæ favoriſque influxum obſtruit. nihil leve eſt, quidquid Deo te facit diſplicere.

1. Æſtimatio & deſideriũ reconciliationis, & pacis cum Deo. AFFECT. ET COLLOQ. O pax ſancta! pax divina! pax optanda! quæ Deum homini, hominemque Deo ita concilias, ut nihil reliquum ſit, quod fidem fidelitatémque mutuam debilitare, nihil quod amicitiam conjunctionémque affectuum intimam poſſit lædere! Hæc certè ex illa pace manat, quæ eſt hominum bonæ voluntatis, qui cum Abraham ambulant coram Deo, & ſunt perfecti, vel qui cum juſto quidem cadunt, ſed & reſurgunt, quia *juſtus in principio accuſator eſt ſui.* Hi tanquam pupilla oculi, quæ nihil impuri ferre poteſt, à Deo diliguntur.

Pſal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini! beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum!* Nihil niſi immaculatum cum ipſo puritatis fonte intimè conjungi poteſt, & pacem charitatémque illæſam ſervare.

Aug. ſer. 10. ad Fr. in Erem. *O felix conſcientiæ puritas, felix ſancta conſcientiæ jucunditas! ô paradiſus deliciarum, variis bonorum operum virgultis conſita, variiſque virtutum floribus purpurata, & ſuaviter cœleſti gratiâ irrigata! Hæc eſt paradiſus, in quo plantatur lignum vitæ, & cœleſtis ſapientiæ; hæc eſt thalamus Dei, palatium Chriſti, habitaculum ſpiritus ſancti.* Et tale habitaculum, quis purum non

Prov. 4. ſervet? O anima mea, *omni cuſtodia cuſtodi cor tuum, quia ab eo vita procedit.* Noli in hac pupilla oculi tui quicquam immundi ſuſtinere, quò minus Deum tuum, tibi in-

2. Propoſitum firmũ pœnitentiæ non procraſtinanda. timè præſentem, queas intueri. Ecce reconciliationis tibi in Eccleſia præparatæ myſterium, ne in ulla offenſione Dei perſiſtas; cùm nihil inter hujus vitæ calamitates magis tibi, quàm ira Dei metuendum ac noxium eſſe poſſit, nihil inter omnia mundi bona præ ipſius benevolentia ſit optandum. *An neſcis, quòd qui pœnitenti veniam ſpopondit,*

dit, peccanti craſtinum non promiſit? Quid igitur differs conciliare Judicem, à quo fortè cras es judicandus? & quocunque demum exſpectes tempore: certè, quâ horâ non putabis, filius hominis veniet. Semper igitur amicum habe, quem ſemper exſpectas Judicem, quodvis etiam leviſſimum delictum, poſthanc vitam, ſuis in amicis graviſſimè punientem. Quære igitur ac tuere illam, quam mundus dare non poteſt pacem, quæ in corde puro, & conjunctione cum Deo per charitatem ſita eſt, ex qua hujus atque alterius vitæ quies, ac beatitudo dependet: *Finis enim præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Greg. hom. 12. in Evang. 1. Tim. 1.

O ſuaviſſime pacis dator, & amator puritatis Chriſte, qui ex amore ineffabili, quo me ab æterno complexus es, meque tibi æternùm quoque conjungere & unire cónaris, ſingulare mihi beneficium reconciliationis tuæ in Eccleſia, præ tot mortalibus hoc ipſum ignorantibus, præparaſti, ut in minima etiam offenſa tui, quantocyus Deo reconciliari, & pace amicitiaque illius, merito paſſionis tuæ, frui poſſim. Accende hujus obſecro pacis ardens in animo meo deſiderium, quo ſupra tuam benevolentiam amoremque nihil in terris cupiam quæramque, & ingratum amarumq; mihi ſit, quidquid illi adverſatur: gratum ac dulce quidquid cum illo conjunctum eſt. *Quid enim mihi eſt in cælo, & a te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum!* *3. Imploratio divinæ opis ad exequendum propoſitum.* Pſal. 72.

DISTICHON MEMORIALE.

Diſcipulis pax trina datur (2) quâ gaudeat unà
Proximus (3) atq; Deo concilietur homo.

MEDITATIO IV. DIEI VII.

De apparitione Thomæ in præſentia aliorum Apoſtolorum facta.

VERITAS. Thomæ, reſurrectioni non credenti, Chriſtus, reliquis diſcipulis ſpectantibus, fidem per vulnera patefacta fecit. (2) ingentemque in illo, per divinitatis in Chriſto agnitæ præſentiam, venerationem & amorem excitavit, (3) præſertim cum ſingulare hoc ſibi incredulo atque immerenti beneficium contigiſſe animadverteret.

ORATIO PRÆPARATORIA ET PRÆLUDIA *ut ſupra.*

I. PUNCTUM.

CUm in die reſurrectionis à diſcipulorum conſortio, quibus Chriſtus manifeſtatus eſt, abfuiſſet, neque tot teſtibus factum aſſerentibus ſe credere velle profiteretur, niſi vidiſſet in manibus ejus fixuram clavorum, atque in ipſum Chriſti latus manum immitteret, poſt dies octo Chriſtus diſcipulis, ibidem congregatis, adfuit, & Thomæ dixit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis*, quo ſpectaculo & admonitione Thomas attonitus, honore atque amore Dei ſui plenus, exclamavit. *Dominus meus, ac Deus meus!*

Chriſtus reſurgens vulnerum cicatrices retinuit.

Expende & tu, quale hoc ſpectaculum Redemptoris ac Domini tui, ita aliquando coram te exhibendi, futurum putes? & qualem illud jam nunc etiam, per fidem hac in ſpecie tibi repræſen-

præſentatum, admirationem, reverentiam, ſpem, amoremque mercatur? Quære ex illo: *Quæ ſunt plagæ iſtæ, in medio manuum tuarum?* Zach. 13. Et dicet: *his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* Quære cauſam, cur has vulnerum cicatrices, quas abolere reſurgens poterat, voluerit retinere? Et intelliges id factum: ne Thomas, ne tu, ne quiſquam alius incredulus ſit: nam *in carne tua videbis Deum Salvatorem tuum.* Iob. 19. Jn carne vera, non ſimilitudinaria, eodem, in quo vixit, non alio reſumpto corpore: quæ hæreticorum quorundam ſunt ſomnia.

1. Vt fidem ejus carnis reſumptæ faceret.

Iterum vulnera retinuiſſe, ut hæc ſigna certaminis, doloris ac mortis graviſſimæ pro noſtra ſalute toleratæ exhiberet; cũ *vulneratus ſit propter iniquitates noſtras*, adeóq; nobis in his gravitatem ſcelerum divinæque offenſæ demonſtret. Deinde ut virtutum ſuarum, patientiæ, obedientiæque ac perſeverantiæ ad mortem uſque productæ ſpeciem proponeret: noſque ad paria ejus imitatione audenda ac ſuſtinenda inflammaret. *vult* enim *benignus Dux decori militis vultum. & oculos, in ſua ſuſtolli vulnera; ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſuo reddat ad tollerandum fortiorem. Enimvero non ſentiet ſua, dum illius vulnera intuebitur.* ut ille, qui gloriatur: *ego ſtigmata Domini mei Jeſu in corpore meo porto.* Denique ut miſericordiæ, pietatis, & charitatis erga nos ſuæ, hos velut characteres indelebiles circumferret. *Clamat* enim *clavus, clamat vulnus, quod verè Deus ſit in Chriſto, mundum reconcilians ſibi. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet illud magnum pietatis*

2. Tanquam ſigna paſſionis.

Bern. ſer. 61 in Cant.

Gal. 6.

3. Vt ſigna miſericordiæ.

Bern. loc. cit.

ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Quid ni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clarius, quàm in vulneribus tuis eluxiſſet, quod tu Domine ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ. Majorem enim charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro addictis morti & damnatis. Verè *poſuit nos ut ſignaculũ ſuper cor ſuum, ut ſignaculum ſuper brachium ſuum.* quot vulnera, tot ſunt amoris ſummi argumenta. Retinuit præterea vulnera, ut in his perpetuò meminiſſet ſalutis noſtræ, patrem miſerationis & indulgentiæ commonefaceret, noſque ad ſpem veniæ per mortem interceſſionemque Chriſti impetrandæ erigeret. Cum *appareat vultui Dei pro nobis, & ſemper ſervata in corpore plagæ ſalutis humanæ exigant pretium.* Si ſanguis Abel de terra divinam inclamat vindictam; quidni ſanguis & vulnera Chriſti miſericordiam? Retinuit & vulnera, in extrema mortis hora, & ſupremo judicio improbis ad terrorem, probis ad ſolatium. *Inimicis enim S. vulnera demonſtraturus eſt ſua, ut convincens eos dicat: Ecce hominem, quem crucifixiſtis: agnoſcite latus, quod pupugiſtis; quoniam per vos, & propter vos apertum eſt.* Amicis dicturus eſt, confidite & nolite timere à die malo, ego ſuſtinui iniquitates omnium veſtrum: ego tot vulnera meo excepi corpore, ut vos defenderem: hoc latus pro vobis apertum eſt, ut pateret omnibus ad refugium: ego protector fortis, deſcripſi vos in manibus meis. vitam impendi vobis, ut vitam ac ſalutem haberetis æternam. Poſtremò *vulnerum cicatrice*

Cant. 8. 6.

4. *Vt perpetuus apud Patrem interceſſor.*

Cypr. ſer. de Bapt. Iud.

5. *Vt in judicio exhibeat.*

Aug. in lib. 2. de ſymb. c. 8.

6. *Vt trophæũ in cœlis æternum.*

tricees cælo inferre maluit, quàm abolere; ut perpetuum quaſi quoddam trophæum victoriarum ſuarum exiſterent : idque glorioſum : *Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam, quamvis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit.* Ideóque Sancti Dei æterno plauſu & gratulatione illi accinent : *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem in ſecula ſeculorum.* Non mirum igitur, quod his inſpectis tactiſque vulnerum glorioſis cicatricibus Thomas præ admiratione & reverentia exclamet, *Dominus meus & Deus meus!* Beda in cap. 6. Luc. 1. 33. Aug. de Civ. 30. Apoc. 5.

AFFECTUS. Veneror, exoſculor, amplector ſacratiſſima divini corporis vulnera, O amantiſſime Jeſu. Benedicant te creaturæ omnes atque imprimis Sancti & Sanctæ Dei, quos in hoc mortali vita, tam admirabili teſtificatione reſurrectionis tuæ, in aſſumpto ſemel, & nunquam dimiſſo corpore, in vera fide confirmare dignatus es, & nunc in vita altera glorioſiſſimo vulnerum clariſſimorum ſpectaculo recreas. Imprime, obſecro, per vivam fidem, altiſſimè eorum in anima mea imaginem; ut ex contemplatione profundiſſimæ in te humilitatis, patientiæ, ac reſignationis ad tam ignominioſam acerbamque mortem, me quoque ad quævis adverſa, ad probra & vulnera pro te ſuſtinenda offeram, & in omni calamitate divinæ voluntati tuæ lubens volenſque ſubjiciam. Quot præclari athletæ utriuſque ſexus, quorum indies per Eccleſiam memoria recurrit annua, tanto illud ſtudio & fervore præſtiterunt! & ego etiamnum ignavus imitator, & amator tam glorioſi certaminis langueo! Tot video in ætate quoque imbelli ſexuque debili, his tuæ fortitudinis argumentis, his charitatis inſignibus excitatos, in ipſa ſeſe pericula ingerere, adverſis & calamitatibus ultro occurrere, paria in tuæ paſſionis honorē quærere vulnera, provocare inimicos tortores, atque illuſtrem fuſo ſanguine am- *1. Adoratio & gratiarū actio.* *2. Deſideriū imitandi & patiendi cum Chriſto.*

bire mortem: & quàm ego ad hæc decora conſequenda frigeo! Quomodo non configor corde intimo divini amoris jaculis, quando patere cor tuum, & in hac ſpecie amoris tui ardorem erga me video profiteri? Per hoc me trepidantem ab ira Dei, ad tuæ pietatis ac miſerationis recordationem excitas, ad fiduciam erigis, ad charitatem inflammas. Hæc pro me vulnera juſtiſſimæ patris indignationi opponis, & quas meis non poſſum avertere pœnas meritis, tua ſatisfactione compenſas. O ne mihi hæc tua, mitiſſime Jeſu, vulnera olim cedant in opprobrium & confuſionem, fac me illorum memoria, nunc ad ſeriam pœnitentiam ex amore tui inflammari, nec tecum refugere afflictionem in tempore, ut poſſim unà gaudere in æternitate. Hic, ſi me pati vis, inflige potius vulnera, hic opprobriis onera, hic tribulationibus exerce; ut parcas in ſeculo futuro. O ſi tecum mihi dulce foret perpeti! ſi ex illis eſſe poſſem, qui *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quod digni fuiſſent habiti pro nomine Ieſu contumeliam pati!* ut cum Thoma tuæ etiam paſſioni conformis, ita te in hac vita agnoſcere, ita ſequi vivendo queam, ut æternum agnoſcam & ſequar in cælis. Hoc fine, ô mi Jeſu ſtatuo indies ante crucifixi tui effigiem hoc deſiderium innovare, & ad hæc & iſta N. N. amore tui ſuſtinenda me tibi conſignare.

3. Excitatio ad redamandum Chriſtum & perpetuam vulnerum memoriam.

Propoſitum.

II. PUNCTUM.

EXpende in hac eadem hiſtoria, quomodo Jeſus venerit januis clauſis, & *ſteterit in medio* diſcipulorum, & quemadmodum Thomas illum agnoverit, cum emphatica exclamatione: *Dominus meus, & Deus meus!* Ex manifeſtis enim argumentis divinitatis jam agnoſcens in Chriſto non ſolum hominem, ſed & Deum coram ſibi adeſſe præſentem, in has voces attonitus erupit. Et certè nihil eſt, quod hominem ita ad Deum venerandum colendumque poſſit convertere, quam ipſius tantæ majeſtatis præſentia, fide viva apprehenſa. Nam ſi ad honeſti gravis-

Præſentia divinitatis in Chriſto agnita Thomam incredulum perculit.

graviſque viri conſpectum & obſervationem repentè mores componimus, nec diſſolutum quicquam in nobis eſſe patimur: ſi Principes Regeſque magna coram veneratione colimus: ſi ad deſiderati amici, aut parentis occurſum gaudio perfundimur; quid ni ad ſummi Numinis majeſtatem, ad cæleſtis parentis contuitum, & magna reverentiæ ſignificatione nos componamus, & ſingulari gaudio perfundamur. At, quid verius eſt, quàm Deum nobis ubique præſentem adſiſtere? Hìc nos ratio manifeſta, hìc teſtimonia Dei clariſſima, hìc fides indubitata convincit. Nam, ſi per eſſentiam ſuam Deus alicubi non eſſet, immenſus eſſe deſineret, atq; infinitus, neque nos præſenti virtute conſervaret, nihil enim creatum finitumque à ſeipſo conſervari poteſt. Tam igitur Deus qui immenſus eſt, & ubique eſſe poſtulat; quam creatura quæ finita eſt, ſibi Deum conſervantem adeſſe. quæ ratio non minus ethnicis, quàm fidelibus innotuit. Jllis familiaris verſus eſt:

Et nos eadem meritò debet commovere.

Nam 1. Deus per eſſentiã, quæ infinita eſt, ubique eſt.

2. Potentia & virtute, quia conſervat omnia.

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.

Et hominum preces vanæ eſſent, niſi Deus, qui audiret, adeſſet. Certè ipſe *portat omnia verbo virtutis ſuæ, & in ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* Jmo nos omnes comprehendit, tanquam mare piſces, & aër volucres: penetrat univerſos corporis animique receſſus magis, quàm aqua ſpongiam, aut radii ſolares vitrum. *Excelſior cælo eſt, profundior inferno, longior terrâ, latior mari.* nec tantùm in medio noſtrûm eſt; ſed etiam circa nos. Nec quicquam illum poteſt fallere, aut illius cognitionem ſubterfugere. ac ſi

Hebr. 1. 13.
Act. 17. 28.

3. Per immenſitatem, quâ omnia excedit.

Iob. 11. 8.

4. Per ſcientiã, quâ novit omnia.

totus oculus eſſet, ita ubique obſervat providet ac prævidet omnia: ac ſi totus manus eſſet, ita ubique diſponit, agit, moderatur omnia, ut nec muſcæ volatus, aut pulicis ſaltus, ſine virtute ipſius gubernetur. Jam nec cogitatio homini incedit, nec verbum excidit, quod ille ab æterno non prævideri, in tempore non conſervaverit, & in æternum poſſit oblviviſci. Nam infinitam ſapientiam omnia noſſe ac providere; infinitam potentiam omnia poſſe ac gubernare neceſſe eſt: ita, ut ſi vel minima res extra ipſius cognitionem aut poteſtatem ſita eſſet, jam deſineret eſſe qui eſt; hoc eſt noſſe & poſſe omnia. Non fallit qui dixit, *& capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* (Luc. 12.)

AFFECTUS. O ingens ſtultitia peccatoris, qui dicit: *tenebræ circumdant me, parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me: quem vereor? Et non cognoſcit, quoniam oculi Domini multò lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* An *qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat?* Quantò herois illa Suſanna rectius perditis amatoribus dicit: *melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Dei mei.* Melius enimvero eſt, omnia hujus mundi tormenta, cum fortiſſimis Dei martyribus, perpeti, quàm in conſpectu ſupremæ majeſtatis Dei noſtri peccare: *qui non ſic adeſt, ut ſervos ſuos tantùm ſpectet, ſed & ipſe luctatur in nobis, ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri, & coronat pariter & coronatur.* In hujus oculis, ut in quavis tentatione ac tribulatione vincere glorioſum, ita vinci turpe eſt. Et quis non æſtimet à tantâ ſe majeſtate ſuis in actionibus, moribus, verbis, cogitatis, tanquam ſpectaculum illâ dignum, obſervari; & ſi cum ratione prudenter, cum virtute fortiter agat, æſtimari, laudari, ac præmiari? quis non lætetur, tanto ſe Numini aſpectanti, & exſpectanti, gratum aliquod

(Margin: Eccli 23. 1. *Admiratio cæcitatis humanæ Dei præſentiam non perpendentis.* Pſal. 93. Dan. 13. Cypr. Epiſt. 6. de Marty. 2. *Erectio animi ad fortitudinem in conſpectu Dei.*)

quod obſequium præſtare poſſe? quis deſperet in maximè etiam arduis victoriam, quando manu ſeſe omnipotenti novit fulciri, ab amantiſſimo ſe patre ſuſtentari, à ſponſo dulciſſimo præſente invitari, ab infinitè ſapiente ſe dirigi, à ſummè bono etiam diligi? Et hunc talem animos vireſque ſufficere præſentem, exhibere manum, oſtendere affectum, & veluti cor ipſum amore & favore benevolentiſſimo pandere! Ah me parum hactenus memorem talis tantique Numinis præſentiæ! quot peccata, errores, imperfectiones, in vita moribuſque, caviſſem, quanto ſtudio actiones meas ad tantæ majeſtatis obſequium, tantæque bonitatis beneplacitum diſpoſuiſſem, ſi cum ſanctiſſimo patriarcha Abrahamo, ambulaiſſem coram te, ut eſſem perfectus! O mi Deus, qui certâ fide credo, te ubique, & in omnibus, etiam in ipſo corde ac cogitatione mea, magis intimè præſentem, quàm anima poſſit eſſe corpori, qui ſcio nihil ſine te eſſe, vivere, atque operari poſſe, tuámque eſſentiam, bonitatem, potentiam & quidquid poſſides in meipſo totum me complecti; fac, ut illa tua præſentiâ perpetuò læter & animer, ad ſequendum amandúmque quidquid illi placere intellexero. Vileſcant mihi omnes theſauri in poſſeſſione infinitæ illius opulentiæ; omnis decor & amœnitas in tantæ pulchritudinis comparatione; omnis honor & poteſtas tuæ cedat omnipotentiæ; omne mundi bonum, bonitati immenſæ. Te ſolum cogitem, te æſtimem, ad te aſpirem, te amplectar, tu mihi in omnibus ſis omnia *Dominus meus*, ac *Deus meus!* Hæc cogitabo, hæc repetam millies etiam die uno, atque iſtic inprimis ubi offendendi occaſio eſt.

3. Dolor de neglecta ſæpius Dei memoria.

4. Excitata fides amorque Dei præſentis.

Propoſitum.

III. PUNCTUM.

EXpende denique, quemadmodum Chriſtus propter Thomam præcipuè ingreſſus ſit conclave, ubi erant diſcipuli congregati. Unde omnis Chriſti inſtructio ad Thomam quoque directa fuit; ut hunc, ab infidelitate & errore, ad veram Dei agnitionem adduceret. Ideóque & Thomas exclamavit: Dominus *meus* (cum *noſter* poſſet dicere) & Deus *meus*. Quòd hoc benefi-

Chriſtus ſingulariter ad ſolum Thomam ab errore reducendum apparuit.

beneficium ſibi ſoli impenſum à Deo ſentiret; nihil magis eximium habiturus, ſi ipſe ſolus in orbe homo & peccator, Chriſtúſque ſolùm ob ipſius redemptionem mortuus ſurrexiſſet. Sic quiſque meritò de ſe poterit hominum argumentari. Nimirum, ita Deum, & condidiſſe, & regere in orbe ubique præſentem univerſa, ita hominem ac redemptorem factum, quaſi hæc omnia ſoli ſibi præſtitiſſet, atque etiamnum impenderet. Minus enim ſol in cœlo non præſtitit uni Adamo, quàm nunc præſtat omnibus: nec Chriſti paſſio minus illi ſalutis adfert, quòd eadem proſit innumeris. Ipſe enim unus eſt, qui *operatur omnia in omnibus*. Ipſe ita ſingulis adhæret, actionéſque unius conſiderat; ut ſi alterius nullius curam gereret. Unde ſic Auguſtinus cum Deo loquitur: *ſicut omnia, ſic unum; & ſicut unum, ſic ſingula conſideras. Totum me, ſimul ſemperque conſideras, ac ſi nihil aliud conſiderare habeas. Sic igitur ſuper cuſtodiam meam ſtas, ſicut ſi omnium oblitus ſis, & mihi ſoli intendere velis. Semper quippe te præſentem exhibes, ſemperque te paratum offers, ſi me paratum invenis. Quocunque iero, tu me Domine non deſeris. Quæcunque facio, ante te facio, & illud quidquid eſt, quod facio, melius tu vides, quàm ego, qui facio.* Nec ſolam ita Deus ſuam nobis impendit ſapientiam, ſed & providentiam, bonitatem, ac liberalitatem. Nam ille qui *attingit à fine uſque ad finem, & diſponit omnia ſuaviter*, à quo *oculi omnium exſpectant, ut det illorum eſcam in tempore, & impleat omne animal benedictione*, hic & paſſerem, quamvis vile animalculum,

1. Deus ſingulos noſtrum ita conſiderat, ut ſi ſoli eſſent.

1. Cor. 12.

Aug. in ſolil. c. 14.

2. Providet ſingulis, tanquam univerſis.

Sap. 8.

Pſ. 144.

culum, curare nunquam deſinit, ipſo Salvatore teſte: *Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio, & unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo?* Luc. 12.
Quid? quod etiam unici capilli noſtri curam gerat. nam *capillus de capite veſtro non peribit.* c. 21.
Nemo igitur tam vilis & abjectus pauperculus eſt, tam ab omni deſertus ac deſpectus eſt homine, cui non æquè ſolicitam perfectámque Deus curam impendat, non pari providentia ac bonitate advigilet, & in quo ſervando tuendóque non eandem adhibeat omnipotentiam bonitatem & ſapientiam, quam in cœlo Angelíſque conſervandis uſurpat. Sicut omnia ſic curat unum; ſicut unum, ſic omnia. Ipſa denique paſſio, reſurrectio, merita vitæ ac mortis Chriſti ſic uni mihi impenſa ſunt, ut licet ſolus eſſem, ſine his tamen ſervari non potuiſſem.

AFFECTUS ET COLLOQUIUM. Deus immortalis, ſumme, atque unice proviſor, benigniſſime mei protector, Dominus meus, ac Deus meus. Quantum mihi in tuis creaturis, ad meam ſalutem præparatis, impendis beneficium; cum tuam ubique præſentiam, ſapientiam, potentiam ita per illas ſoli impendis, ut ſi præter me nihil in orbe aliud curares, aut amares! Quanta miſericordia ac benevolentia tua eſt, quod poſtquam omnia in mundo ſubjeciſti mihi, in omnibus rebus à te creatis præſens ipſe neceſſitati, commodo atque oblectamento meo in hac atque altera vita per totam æternitatem adeſſe volueris, ut jam neque in terra, neque in cœlo quicquam reperiatur, nullum, neque creatum, neque increatum bonum ſit, quod mihi ex infinita quâdam liberalitate ac bonitate impendere non deſideres! Tu es, qui in ſole pulcherrimo mihi diem præbes, in luna ſtelliſque noctem illuminas, in aëre volucres, in mari piſces, in terra plantas nubis & animalia. Tu qui teipſum mihi totum, in nativitate, vita, ac morte, & tot gratiæ donis, tot Eccleſiæ ſacramentis

1. Agnitio benevolentia ſingularis Dei, erga quemque noſtrûm, in re qualibet creata.

mentis impendiſti. Hæc quotidiana tua ſunt munera quibus me velut pater filium, ſicut nutrix alumnum recreas. Verè *Dominus meus* ac *Deus meus* es! Sed ingratiſſimus ego cliens ſum, qui hæc omnibus vitæ momentis ſic à te percipio, ut ad dona magis, quàm donantem reſpiciam: non aperiam mentis oculos, nec affectum ad te Deum meum, his me illiciis ad te amandum provocantem, reſpiciam. Profectò, ut momentum temporis nullum eſt, quo non aliquo me beneficio in tuis creaturis reficis; ita par eſſet, nullo non tempore cor meum ad te converti &, quanto poſſibile eſſet, gratitudinis amoriſque affectu, hæc tua munera accipere, in quibus tenerrima amoris propenſione etiam temetipſum præſentem mihi offers; ut ſis ipſum non minus donum, quàm donator, & tam benefactor, quàm beneficium. Et in his tuis creaturis, me ſuaviter admones, ut tui memor eſſe velim, qui mei ſemper meminiſti: te viciſſim amem, qui tot amoris argumentis me provocaſti. Heu male neglectas à me ſæpius voces, quando deſideriis carnis meæ obſecutus ſum! *Væ ſurditati illi, quando non audiebam te! Cæcus & ſurdus per formoſa quæ feciſti deformis irruebam. Et mecum eras, & tecum non eram, & ea me tenebant longè à te, quæ non eſſent, niſi eſſent in te. Illuminaſti me lux mundi, & vidi te, & amavi te. Nemo quippe te amat, niſi qui videt; & nemo te videt, niſi qui te amat. Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova: ſerò te amavi. Væ tempori illi quando non amavi te!*

2. Deteſtatio ingratitudinis erga Dominum quovis momento beneficè amanterque nos inviſentem.

Aug. in Sol. c. 3.

3. Votum & propoſitum Deum grato animo in omnibus agnoſcendi & amandi.

Aperi, ô Domine, cum Apoſtolo tuo Thoma, oculos meos, ut agnoſcam te Domine præſentem in creaturis tuis, omnibúſque vitæ ac gratiæ donis, memoríque te mente complectar, ac laude proſequar, & *anima mea exultet in Domino, & delectetur in Deo ſalutari ſuo: & omnia oſſa mea dicant, Domine, quis ſimilis eſt tibi!* Non evigilem, ô mi Deus, quin tu ſimul gratiſſima recordatione, cum ipſa luce in animum inſinuas, qui es *lux vera, & illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum.* ni

Pſal. 34.

Ioan. 1.

deind

deinde orem, ſcribam, legam, operer, quin tu in omnibus & ante omnia infinita tua præſentia memoriam affectúmque ad te Dominum & Deum meum abripias. nec cibus potúſque os intret, quin tu ſimul cogitatus in animum influas. Sine hoc condimento deſipiant mihi omnia, & felle amariora ſint, quæcunque guſtavero. Ita vivere ac mori, in te, ac per te, cupio, *Dominus meus, ac Deus meus!*

DISTICHON MEMORIALE

Nudum aperit Thomæ latus (2) ille fidelis
Numine præſenti eſt, (3) & ſua dona capit.

Aſpira-

Aſpirationes piæ in via unitiva.

Pſ. 72. v. 26. DEfecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

v. 27. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.

Pſal. 138. Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades, ſi habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Sap. 11. Virtuti brachii tui quis reſiſtet? quoniam tanquam momentum ſtateræ ſic eſt ante te orbis terrarum.

Pſal. 15. Dominus pars hereditatis, & calicis mei, tu reſtitues hereditatem meam mihi.

Pſal. 26. Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini & videam voluptatem ejus.

Pſal. 83. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Pſ. 141. Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. Me exſpectant juſti, donec retribuas mihi.

Pſal. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.

Pſ. 114. Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

Pſ. 79. Deus converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

Eph. 1. Benedictus Deus, & pater D. N. J. C. qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.

Col. 1. Gratias ago Deo & Patri, qui eripuit me de poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ.

Tob. 13. Benedicam Deum cœli, & coram omnibus viventibus confitebor illi, quia fecit mecum miſericordiam ſuam.

DIES VIII.



Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt q́rite: non quæ ſuper terram. Col. 3.

H.

DIES VIII. EXERCITIORUM.

HIc Dies præcipuè in amore Dei ſuper omnia diligendi verſatur, eſtque apex perfectionis noſtræ; quia ſummo bono animam noſtram ita conjungit, ut ad hujus unius poſſeſſionem actiones dirigat univerſas, propter hoc unum velit, deſideret, atque agat omnia. Quod quidem univerſæ legi, tam humanæ, quàm divinæ adeò conforme eſt, ut cum unus è numero Scribarum Chriſtum de charitatis præcepto audiviſſet diſſerentem, ſubjiceret;
Marc. 12.32. *Bene Magiſter, in veritate dixiſti, quia unus eſt Deus, & non eſt alius præter eum. Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocautomatibus & ſacrificiis.* Sapienter planè! ideoque & à Chriſto audire meruit: *non eſ longè à regno Dei.* Agnovit probavitque ſummam perfectionis Chriſtianæ. Sola ipſi deerat executio. Nam ut rectè D. Gregorius: *probatio dilectionis, exhibitio eſt operis Amor enim ubi eſt, magna operatur, & ubi operari renuit, amor non eſt.* Et Apoſtolus, ille dilectionis magiſter, qui in ſinu Domini recumbens amore Dei ebrius erat, id
1. Ioan. 2. confirmat, aſſerens: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt. Qui autem ſervat verbum ejus: verè in hoc charitas Dei perfecta eſt.* Nimirum *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam,* verbo, omnium eſt virtutum magiſtra, & vitiorum profligatrix. Hæc potiſſimum efficit, ut *jugum* Domini *ſuave* ſit, & *onus leve.* Hanc quiſquis indivulſo nexu obtinuit, & hujus, & futuræ vitæ ſupremam felicitatem aſſecutus eſt: cùm hìc Deum, ſummumque bonum poſſideat in gratiâ, olim poſſeſſurus in gloriâ. Quod omnibus hæc exercitia ſpiritualia conſtanter uſurpantibus obventurum
Prov. 8. confido. Promiſſio Dei certa eſt: *Ego diligentes me diligo & qui manè vigilant ad me, invenient me,* & mecum omne bonum. Fiat, fiat.

MEDIT. I

MEDITATIO I. DIEI VIII.

De Amore Dei & ovibus Petro Amanti commiſſis. reſpondens Contempl. ultima Hebd. 4.

VERITAS. Chriſtus Petro committit Eccleſiam, quòd plus ceteris amaſſet, ideoque ſibi maximè (ut amore fit) conjunctus eſſet. Ad quem amandum nos quoque multis beneficiis incitamur. (2) Imò omnia nos bona creata ad Deum bonorum fontem inexhauſtum ducunt. (3) Quin & Deus, in ipſis creaturis, nobis potiſſimùm noſtroque commodo, etiam affligendo, inſervit; ut in harum uſu Deum ubique intueri & amare doceamur.

ORATIO PRÆPARATORIA ex more præmittitur.

PRÆLUDIUM I. *Coram Deo ſanctisque te conſtitue. Aut in Chriſti & Apoſtoli Petri præſentia. 2. Gratiam poſtula, ut beneficiis illius agnitis dignum illi ſervitium amoremque rependas.*

I. PUNCTUM.

POſtquam Chriſtus piſcantibus in Mari Tiberiadis diſ- Ioan. 21.
cipulis apparens ingentem piſcium multitudinem ſuf- *Chriſtus Pe-*
feciſſet, & aſſo piſce in litore ad refectionem invitaſſet, *tro ſe præ*
ſciſcitatus ex Petro eſt: nunquid *ſe diligeret plus ceteris? ceteris a-*

mantiEccleſiam ſuam commiſit. cumque ter quæſitus eadem, ter reſpondiſſet *ſe amare*; totidem vicibus illi oves ſuas paſcendas Chriſtus commiſit. Nimirum amor eſt, qui nos & arctiſſimè Deo conjungit,& ad graviſſima quæq; Eccleſiæ munia facit aptiſſimos. Vnde & Chriſtus, in hoc unico amoris præcepto, præcepta

Matt. 22. *Quia amore Deo maximè conjungimur, & perficimur.* concluſit univerſa. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximũ ſicut teipſum In his duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ.* Hæc autem duo, in una etiam amoris divini ratione conveniunt; cùm Deus propter ſe & proximus diligendus ſit propter Deum. Unus itaque Dei amor perfectionem Chriſtianam universè in ſe comprehendit, & quantò quæque virtus plus de illo participat, tantò eſt excellentior. Deo proximus eſt, qui in amore maximè profecit: quia amor, aut ſimilem facit, aut invenit.

Ad hunc nos excitant multa Dei beneficia. Conſidera igitur quemadmodum Deus ad hunc amorem in te excitandum, ipſe prior amore infinito te complexus ſit, atque ex abyſſo nihili eductum, præ tot aliis creaturis, ad ſui

1. Quia creavit nos ad ſui ſimilitudinem; memoriam, intellectum, & voluntatem tribuens. imaginem te formaverit tribuendo memoriam animæ tuæ, quâ illius ſemper meminiſſe poſſes; intellectum, quo autorem tui, bonorumque omnium fontem agnoſcere; voluntatem, quâ ſummam illius bonitatem amare, eâque gaudere ac frui ſuaviſſimè poſſes: præterea libertatem, ceteraſque tam corporis quàm animæ facultates dederit; ut iiſdem, ad Dei tui obſequium, propriæque ſalutis commodum, utereris.

2. Quia naturalibus donis ſupernaturalia adjecit, fidẽ, ſpem, &c. Naturalibus hiſce donis plurima gratiarum ornamenta, quæ ſupra naturam erant, Deus adjecit. fide, ſpe, & charitate te ornavit, atque in filium heredemque felicitatis elegit æternæ: in quâ, poſt omnia bona creata ſeipſum, hoc eſt, omne bonum, daturus erat, in poſſeſſionem ac præmium. Hæc qualia quantaque ſint,

quæ

quæ lingua exprimere, quæ mens ſat poteſt concipere! His accedit beneficium jam multò maximum redemptionis, ac deinde & vocationis meæ: quod cum mihi ſingulari gratia, inter tot mortales, hoc ipſum, vel ignorantes, vel negligentes, impenſum ſentiam: utpote qui non in Turcia, aut barbara natione procreatus; non in utero, aut ante tempus gratiæ extinctus; neque in peccatis hactenus meis perditus ſum, quid Deo meo dignum rependam? Jam quòd omnibus vitæ momentis hæc etiamnum in me Deus conſervet. tantùmque ſimul ſemelque præſtet, quantùm ante diviſim, nunc vitam, nunc gratiam largiendo præſtitit (cum citra illius præſentiam, opemque hæc univerſa in nihilum reciderent) quis illo, quo æquum eſt, gratitudinis affectu proſequetur? tantoque amori Dei ſui digna amoris ſignificatione reſpondebit?

3. Quia perditam gratiam & ſalutem, homo factus, morte ſua reſtituit.

4 Quia omni momento, hæc in nobis dona cōſervat, & auget novis.

AFFECTUS. O potentiſſime Deus, creator optime, redemptor miſericordiſſime, conſervator benigniſſime, largitor bónorum omnium liberaliſſime: *quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Quid obſecro in me ingratiſſimam creaturam, tot tantaque bona te fecit cumulare, quid præ tot aliis mortalibus, extra gratiam hanc tuam pereuntibus, me ſaluti meæ, tuæque gloriæ conſervavit, niſi gratuita & infinita bonitas, ac miſericordia tua, mihi præ reliquis impenſa? Nihil merui, ut me hoc loco inter fideles tuos conderes, cùm nondum eſſem; nihil, ut tuâ me gratiâ ornares, cùm inimicus eſſem; nihil, ut ad pœnitentiam revocares, cùm meis peccatis gratiam perdidiſſem. Sola tua benevolentia, ſola miſeratio, & clementia me, & generavit quando non eram, & regeneravit quando perditus eram. *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo; quia fecit mihi magna, qui po-*

1. Agnitio indignitatis, & ingratitudinis erga Deũ, tot bona gratuitò conferentē.

Luc. 1. *Laus & gratiarũ actio.*

Pſal. 115. *tens eſt*! magna in donis naturæ, magna in donis gratiæ. Prov. 23. Et *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*? Quid? niſi quod apud Sapientem poſtulat: *præbe fili mi cor tuum mihi*. Et quid de corde? non ſubſtantiam, non animam, non vitam; ſed cogitationem ſolam, & affectum. Hæc à me poſtulas, quæ tamen ita tua ſunt; ut ſine te eſſe, aut conſervari nequeant: ita poſtulas, ut non tua eſſe bona velis, (qui nullius indiges in bonis tuis undequaque infinitis) ſed ſalutem, perfectionem, ac felicitatem meam.

3. Agnitio obligationis noſtræ erga Deum. O abyſſus miſerationis divinæ! ô inexhauſta munificentia! o pelagus bonitatis infinitum! Tibi univerſa in me debeo tam naturæ, quàm gratiæ bona. debeo vires & ſanitatem gloriæ tuæ: debeo ſenſus & potentias corporis omnes unius Dei creatoris ſervitio; debeo memoriam perpetuæ recordationi majeſtatis, potentiæ, ſapientiæ ac bonitatis tuæ; intellectum ita tibi totum, ut teipſum in ſe omnibuſque aliis rebus ſpectare, teneatur; voluntatem libertatemque, quam mihi tribuiſti, in obſequio & amore, ita tibi ſentio eſſe obligatam; ut præter te nihil ſequi poſſit ac deligere, quod propter te tuumque honorem non diligat. Heu me! cur illud unquam præſtare neglexi!

4. Dolor de gratitudine neglecta. Ipſa me ad hoc inſtruxit ratio, lex etiam divina charitatis obligavit: tot beneficiis, quot momentis vitæ ſingulis huc-uſque percepi, provocarunt. Et tamen quantilla eſt gratitudo, & cura mea, ut tantæ bonitati tuæ reſponderem! O ſi omnes creaturæ mecum ſeraphicis amoris, laudis ac

5. Oblatio ſui totius. gratitudinis affectibus te proſequi, venerari & adorare poſſent; ut hactenus neglectæ obligationi meæ utcunque ſatisfacerem! Ex hoc momento, ô Domine, quidquid in me à tua bonitate eſt, hoc totum tibi, in hoſtiam laudis & gratiarum actionis, dedico conſecroque: Omnes potentiæ, omnes ſenſus & membra *corporis, omnes animæ vires in me tuæ ſunt!* Benedictio & gratiarum actio, honor, virtus & gloria ſit tibi, ô Deus meus, in ſecula ſeculorum. Totum me, ô Domine, accipe in holocauſtum gratitudinis, & ſolum mihi tribue amorem tui, quo cor meum ſuccenſum tibi perpetuò ardeat. Præter hunc nihil amplius à te deſidero. Dicam millies in die. *Deus meus es tu, tibi honor & gloria.*

II. PUNCTUM.

EX contemplatione creaturarum, tranſcende ad contemplationem, admirationem, & amorem Dei creatoris tui. Qualem putas hanc eſſe naturam, quámque perfectam & abſolutam in ſua eſſentia, quæ tam nobile dat eſſe gemmis metalliſque? quæ plantis, inſita quadam virtute, vegetativam tribuit vitam, & per ſe facit adoleſcere, ac pulcherrimos flores fructuſque, ad delicias uſque humani generis, proferre? quæ tanta diverſitate excellentiaque producit animalia, vi non ſolùm vegetandi, ſed & ſentiendi prædita, noſtræque utilitati ac voluptati multis modis ſervientia. Quæ denique hominem tam formâ nobilem, excelſum ingenio, libertate ſingularem, rationali atque immortali donatum animo, ad ſui imaginem & ſimilitudinem, condidit? Hæc enim cum finita quædam bona ſint, qualem quantumque fontem illum bonorum infinitum, ex quo profluunt, exiſtere neceſſe eſt! Quid tibi videtur, ô homo, ſiquæ eſt pulchritudo in rebus creatis, quæ mentem tuam rapit, & occupat; ſiquæ bonitas, quam amas & amplecteris; ſiquæ potentia & dignitas, quam revereris: ſiquæ voluptas & deliciæ, quas cupidè ſectaris; nunquid in Deo, autore omnium creatarum rerum, hæc melius, certiuſque, quàm in rebus ab illo conditis conſectaberis, & amplecteris? particulas in his tantùm, & tanquam guttas quaſdam bonorum vides; illic immenſus tibi offertur oceanus. Hìc levibus momentis peritura bona ſpectas; illic nullis ſeculis interitura. Hìc an-

Ex creaturarum cognitione ad Deum longè his nobiliorem eſt aſcendendum.

1. Bona quæ in creaturis amas imperfecta, in Deo ſunt perfectionis infinita.

guſtis terminis circumſcripta, & finita bona quæris; illic nullo fine modoque terminata. In his ingens cura, nulla ſatietas; perpetuus labor, nulla quies; frequens dolor, ingens faſtidium; denique pœna & anguſtia animi adhærentis. In illis cura ſuavis, at plena ſatietas; labor brevis, at quies perpetua; dolor jucundus & nullum faſtidium; denique præmium & gaudium amantis animi ſempiternum. O vanitas amantium tam leve & breve bonum, quando immenſum æternumque proponitur! Planè *vani ſunt omnes homines, quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt. Quod ſiqui creaturarum ſunt ſpecie delectati, ſciant quantò his dominator eorum ſpecioſior eſt.* Quid obſecro amantem in creatura delectare poteſt, quod creator longè perfectius non offerat? quantum verò bonorum creator amantibus offert, quod nulla creaturarum poteſt exhibere! Meritò David nos exſtimulat: *guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*: quia nemo niſi expertus intelligit, quàm bonum, quámque jucundum ſit, amare Deum: niſi qui, guſtando ſuavitatem amoris, hanc ipſam experientiâ agnovit. Repentè deſipit, quidquid ante in creaturis oblectabat, poſtquam ſemel guſtavit anima, quàm ſuavis ſit Dominus. Si guſtet hujus mundi opulentiam & gloriam; ſubitò dicet: *non eſt ſicut Dominus Deus noſter*: verè *gloria & divitiæ in domo ejus!* Si experiatur hujus mundi oblectamenta & voluptates: mox dicturus eſt: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum, &* illi

2. Bona creata in multis fallunt, increata ſola ſatiant.

Sap. 13.

Pſal. 33.

3. Qui increata bona guſtat, huic creata deſipiunt.

Thom. de Kemp. l. 1. c. 1.

illi ſoli ſervire. Iſta eſt ſumma ſapientia, per contemptum mundi tendere ad cœleſtia. Deſipiat tibi omne bonum creatum, quando increatum amanti paratum eſt. Quidquid enim in creatura boni inveneris, non eſt ſicut bonum ſummum Deus tuus. *Relinquamus umbram, qui ſolem quærimus; deſeramus fumum, qui lucem ſequimur.* Qui enim Deo placere deſiderant, tanquam amatores veri, hos *oportet in omnibus Deum quærere, exuendo ſe, quantum fieri poteſt, amore omnium creaturarum; ut affectum univerſum in ipſorum creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, juxta ſanctiſſimam & divinam ejus voluntatem.* *4. Contemnenda terrena bona ſunt, Deum verè amanti.* Ambr. de fuga ſecul. c. 65. Ignat. 3. p. Conſt. c. 1. §. 12.

AFFECTUS. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & terra?* Verè, *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis!* in cujus conſpectu omnia mundi bona, & quidquid concupiſcere humanus animus in rebus creatis poteſt, nec gutta quidem ſunt cum oceano compoſita; cùm finiti ad infinitum nulla ſit comparatio. Quam igitur inſanus ſum, ſi in creatis bonis hæreo, quando bonum offertur increatum! ſi pulchritudine capior, quid illo pulchrius, qui eſt *ſpecioſus formâ præ filiis hominum?* ſi opulentiam æſtimo, quid illo ditius, *ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia?* ſi gloriâ delector, quin apud illum hanc quæro, cujus *ſuper omnem terram gloria* eſt? ſi virtutem & ſapientiam amo, *magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus.* Si bonum quodcunque diligo, (& quid aliud, præter bonum, amem?) *nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Quid bonum fluxum atque inſtabile quæro in terris, quando *omne datum optimum, & omne bonum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio?* A quo illud melius certiuſque obtenturus ſum, quàm à Deo parente meo heres filius: *nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Heu me miſerum,

Pſ. 112. Pſ. 144. *Admiratio divinæ magnitudinis & bonitatis, præ excellentia & bonitate rerum creatarum.* Pſal. 56. Pſal. 146. *2. Averſio à bonitate rerum fluxarum, ad conſtantem & inexhauſtam bonitatem Dei.* Deut. 32.

ſerum, cur ad alia unquam converſus ſum, quàm ad te Deum ſummum & unicum bonum meum? *Quid enim amo, cum te amo? non ſpeciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis iſtius amicum oculis, non dulces melodias ſuavium cantilenarum, non florum & unguentorum & aromatum ſuaveolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia amplexibus.* Non *hæc amo, cum amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum interioris hominis mei. Et quid eſt hoc? Interrogavi terram, & dixit: Non ſum: & quæcunque in eadem ſunt idem confeſſa ſunt. Sed exclamaverunt voce magna: ipſe fecit nos.* Tu igitur fons es bonorum omnium, o Deus meus, lux quæ cœlum terramque illuminat, vox quæ omnia creat & recreat, odor qui ſemper placet, cibus qui ſemper reficit, amplexus qui ſemper delectat. Oſtende mihi, ô Deus, hoc tantum bonum tuum, *neque avertas faciem tuam à me.* Ecce prodigum filium ad pedes tuos, ſuſcipe illum in amplexus patris, deduc in domum filiorum tuorum, redde annulum amoris perpetui, & ſtola juſtitiæ induc illum, fruatur menſa unigeniti filii tui, ô pater ſuaviſſime, dic & mihi, *filius meus es tu.* O ſponſe dulciſſime, *ſonet vox tua in auribus meis*; & dicamus invicem: *dilectus meus mihi, & ego illi, inter ubera*, in corde meo, *commorabitur*! Ita diu noctuque, ita omnibus ad te momentis reſpirem & aſpirem.

Aug. l. 10. Conf. c. 6.

3. Reditus & deprecatio Prodigi filii apud Deum Patrem.

III. PUNCTUM.

1. Deus ipſe per creaturas ſuas homini, ex amore inſervit, etiam dum affligit.

Conſidera quemadmodum Deus in creaturis omnia etiam offenſiva tui, propter te operetur; ut per illas tuæ ſaluti ſerviat. Quidquid enim ſunt, poſſunt, agunt, tam lædendo, quam fovendo hominem, id totum Deo moderante ſunt, & agunt; iſque, ceu bonus pater, qui *quos amat, caſtigat* etiam, ſingulari erga ſuos electos charitatis affectu, ad majus illorum bonum dirigit, ut plerumque magis affligendo proſit, quàm blandiendo, tanquam amara quadam

dam potione, quæ licet à Medico præparata deſipiat, valetudinem tamen curat. Nam inprimis conſtat, *quod in tempore tribulationis peccata dimittit, his qui invocant illum.* Quot mortalium in proſperitate Dei obliti, quia terrenis bonis affixi erant, his ſublatis, in adverſitate ad Deum ſuum reverſi ſunt! Expende, an non hoc ipſum in te aliquando expertus fueris. Quàm frigidæ, vel nullæ preces noſtræ ſunt in felicitate, & inter mundi gaudia! quam crebræ atque etiam ardentes in adverſitate! hic unum *Deo gratias*, mille aliis ferventius eſt, magiſque amore inflammatum penetrat. *Cum tribularer,* ait David, *ad Dominum clamavi, & exaudivit me.* Deinde quos Deus in omni ſecum æternitate maximè vult eſſe felices, hos maximè in hac vita affligit; quia, ex immutabili ejus decreto, *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, & quò quiſque majori hic in terris labore pro Dei gloria deſudaverit, quò ſuſtinuerit graviora, tantò referet ampliora in cœlo præmia. ut iccirco tales jam nunc in terris inter adverſa beatos Chriſtus pronuntiaverit. *Beati*, ait, *qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Jam quantillus hic labor & dolor noſter, quanta in cœlo gloria! Verè, *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Porrò, etiamſi hæc tanta deeſſent præmia; an non *magna eſt gloria ſequi Dominum*

Tob. 3.

Res adverſæ in multis proſunt homini.

Pſal. 119.

Act. 14.

Matt. 5.

Beatis Dei filiis immittuntur.

Rom. 8.

num, & Dominum talem tantumque, quem
Luc. 24. *oportuit pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* an non pudet te ſub ſpinoſo hoc capite membrum vivere delicatum? an neſcis, quòd niſi Chriſto conformeris, in alio habitu placere
Rom. 8. Deo non poſſis? *quos enim præſcivit, hos & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui.* An ignoras, quòd hoc unicum ſit ſignum dilectiſ-
Heb. 12. ſimorum filiorum Dei: *qui flagellat omnem filium, quem recipit?* omnem inquam, planè omnẽ: quia *nec propria* quidem *filio ſuo pepercit.* Ut proinde majus certiuſque amoris paterni, æternæque ad cœleſtem gloriam prædeſtinationis à Deo ſignum, quàm afflictionem, quâ *tanquam aurum in fornace electos ſuos Deus probat*, exſpectare non poſſis. Quare ſi in ceteris beneficiis Deo gratus eſſe teneris, hoc beneficium longè maximum & agnoſcere, & amplecti intimo gratitudinis amoriſque ſenſu teneberis, & ſive Deus per ſeipſum te affligat inopiâ, fame, bello, tentationibus, morbis; ſive per proximum in opibus, honore, vita: certò perſuadearis, hæc non minus à Deo tibi, quàm cetera hujus vitæ bona offerri. *Non enim eſt malum in*
Amos. 3. *civitate, quod non fecit Dominus.* Satiſne hactenus illa à te cogitata, & facta ſunt? Tantúmne à Deo beneficium, tanto bono tuo, tantóque divini amoris affectu oblatum, ut par erat, æſtimaſti, deprædicaſti, amplexus es? Euge, vel nunc agnoſce, & amplectere.

AFFECTUS ET COLLOQUIUM. Agnoſco & confiteor,
Rom. 8. ô benigniſſime proviſor Deus meus. quod *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum.* Tu enim tanquam peritiſſimus medicus noſti, quæ medicina conveniat ægritudi-

tudini meæ, qui *facis* ſæpe, *ut aperto vulnere virus peccati exeat, quod ſanâ cute intus occidebat* : & , *ut non ſolùm pœnis ſponte à nobis, piè vindicando peccata, ſuſceptis; ſed etiam* (*quod maximum amoris argumentum eſt*) *temporalibus flagellis inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud te Deum Patrem, per Ieſum Chriſtum, ſatisfacere valeamus.* Greg. l. 7. Mor. c. 7. Trid. ſeſ. 14. c. 9. & 13.

Quanta hæc tua miſeratio, in hac vita leniter plectere, ut graviſſimis in vita altera pœnis liberer! Jterum quanta bonitas tua, qui vis, ut *quod hic momentaneũ & leve eſt, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operetur in nobis!* O ſuave verbum, Deus meus, ad quod omnes meritò labores & dolores noſtri dulceſcant : *Ecce Salvator tuus venit; ecce merces ejus cum eo* ! Quam ſalutaris admonitio : *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum*! Quam æquum, ut ſuum audiat diſcipulus magiſtrum, ſervus Dominum ſequatur! *Non eſt*, inquis, *ſervus major Domino ſuo, ſi me perſecuti fuerint, & vos perſequentur.* Jta Domine, *ſequar te quocunque ieris*, per laborem & dolorem, per infamiam & bonam famam, & ſi volueris per crucem, ac mortem ipſam, *libenter gloriabor in infirmitatibus meis*, *ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Adverſa omnia ſive à te Deo meo; ſive à proximo, nec ſine te, inflicta, accipiam de manu tua velut paterni amoris certiſſima argumenta, (*quis enim filius quem non corripit Pater*?) & non tantùm non indignabor, ſed exoſculabor corripientem dexteram, quæ hic plectit, ut parcat, præmiet, amplectatur in æternum. O ſi illo affectu hæc ſigna dilectionis tuæ, tanquam ſingularia electorum filiorum tuorum in hac vita beneficia, amplecterer, quo illud electionis vas Paulus amplexus eſt, cui nihil gratius erat, quam cum Chriſto, & pro ejus nomine pati, ideoque lætus exclamat: *repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*! Jta reliqui Apoſtoli *ibant gaudentes, quòd digni habiti eſſent pro nomine Ieſu pati.* Jta omnes Sancti Dei homines, quibus dulce fuit, tollere ſuam cum Chriſto crucem, ut inter electos Dei numerari poſſent. Et ego quare etiamnum moror, tam in proſperis effuſus, in adverſis impatiens, uno ſæpe verbo offenſus, cui nec mors ipſa gravis eſſe deberet? Heu me miſerum, niſi ab hac hora tecum, ô Chriſte, crucem, injurias,

Reſignatio in adverſis. 2. Cor. 4. Iſ. 62. 11. Eccli. 18. 22. Ioan. 15. 2. Cor. 12. Heb. 12. 2. Cor. 7.

rias, tentationes, morbos, adverſa & dura omnia lætus ſive à Deo, ſive à proximo irrogata, tanquam amantis Dei beneficia, amplectar! Volo, volo, ô Deus meus, confirma hanc voluntatem meam.

DISTICHON MEMORIALE

Petrus amans paſcit: noſtrum Deus ambit amorem.
(2) Hunc bona quæque homines (3) & mala quæque docent.

MEDITATIO II. DIEI VIII.

De perfectiori Amore & Honore Dei ſuper omnia. reſpondens 4. puncto ejuſdem Contempl.

VERITAS. Quidquid homo poſſidet bonorum, ſive naturæ, ſive gratiæ, hoc pro arbitratu ſuo diſtribuenti Deo ita totum debetur, ut homo inde nequeat gloriari. (2) Nec alium in his conferendis Deus finem ſpectavit, præter ſe ſuamque gloriam. quò iccirco à nobis etiam referenda ſunt univerſa. (3) Cumque Deus ex gratuito, efficaci, ac perpetuo amore hæc nobis donarit, par erit ſimili nos, quantùm licet, amore reſpondere.

ORATIO PRÆPARATORIA ET PRÆLUDIA, *ut ſupra, formentur.*

I. PUNCTUM.

CONſidera, quod bona omnia, quæ tu, quæque alii homines poſſident, non humana

mana arte & ingenio, ſed cælitus à Deo per orbem diſpenſentur. Jnde alios in mundo divites & potentes, alios ſapientes, alios nobiles: alios etiam pauperes atque ignobiles eſſe videmus, quòd Deus, pro ſuo beneplacito, opes & inopiam, honores & ignominiam, ſanitatem & ægritudines, ſapientiam & ſtultitiam, aliaque id genus, ſolo peccato excepto, diſtribuat, adeoque hæc dona à Deo, non ſecus, quàm à ſole radii, à nube umbra, dependeant. Nam hæc univerſa illi tribuenda ſunt, qui attingit à fine uſque ad finem, & diſponit omnia ſuaviter. Et ſi quicquam in mundo eſſet, quod homo ſibi poſſet arrogare in bonis, fortaſſe liberæ voluntatis actus cenſeri deberet, quo ad virtutis exercitium uteretur; ſed niſi ad hunc Deus hominem gratiâ præveniente excitet, comitante etiã fulciat, ac ſubſequente in eodem conſervet, nullus omnino futurus eſt: ut taceam, elici illũ, niſi Deo cum eodem, phyſica etiam virtute, influente ac conſervante, non poſſe. Vnde apparet multis titulis hujuſmodi actum Dei potius, quàm hominis cenſendum eſſe: & nihil hominis planè proprium ſolumque eſſe; niſi abyſsũ nihili, unde illum Deus eduxit, & errorem peccati, qui in defectu turpiſſimo à lege rationis, & Dei conſiſtit. En mi homo, hoc tuum habes, cetera Deo debentur: *Non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Hoc diſcipulos ſuos Chriſtus poſt reſurrectionem voluiſſe docere viſus eſt, quando illos ad mare Tiberiadis piſcandi gratia digreſſos, tota nocte nihil capere

Deus providentiâ ſua omnia bona mundi liberè diſpenſat.

Nec actus quidem liberi virtutum in homine ſine concurſu, & multiplici dono Dei exercentur.

2. Cor. 3.

Ioan. 21.

Et Apoſtoli felicem piſ-

xationis ſucceſſum Deo præſenti tribuunt.

capere paſſus eſt, qui tamen, ut primùm manè ad monitum Salvatoris in dexteram navigii miſerunt rete, jam illud non valebant trahere præ piſcium multitudine, ut Joannes jccirco ad Petrum verſus, exclamaret: *Dominus eſt.* Quod in omnibus rectè factis nos agnoſcere neceſſe eſt: *niſi enim Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Nam à Domino omne bonum ac donum, tam naturæ, quàm gratiæ poſſidemus. quod in ſubſtantia totaque operatione ſua ab illo dependet. ut nihil prorſus in nobis ſit, quod à Deo ſeparari, nobiſque ſolis attribui poſſit, præter ſolum nihilum ac peccatum, ob quod jure omnibus aliis creaturis poſtponimur.

Pſal. 126.

Omnes planè bonum tam naturæ, quàm gratiæ Deo debemus.

1. Cor. 1. 30.

Fuga & averſio à vana gloriatione.

AFFECTUS. O quàm ſapienter nos Apoſtolus monuit: *Non glorietur omnis caro in conſpectu Dei. Ex ipſo enim ſumus in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio* (Hæc enim ſolis Chriſti meritis peccatores obtinemus) *ut qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ita eſt, ô mi Deus *qui exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Hoc Paulus de ſe judicat, tantus tui amator, vas electionis, charitate tua tanquam Seraphim, inflammatus: & ego de me, quid ſentiam? Si detraxero mihi quidquid tuum, & reddidero tibi, nihil eſt quod retineo meum, niſi errores & flagitia. Hoc ipſum, quod mihi largitus es, ſive in natura, ſive in gratia, quantillum eſt, ſi cum Angelis Sanctiſque tuis conferatur, qui tamen in conſpectu tuo oblevata facie, profunda demiſſione inclinati, Sanctus, Sanctus proclamant. Quid? quod Chriſtus ipſe Salvator, creaturarum, quà homo, perfectiſſimus, humanitatem ſuam paſſibilem intuitus: *Ego,* ait per prophetam, *Vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis,* ideóque *exinanivit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem crucis?* Et hic ubi Salvator ita humiliatur, vilis homo intumeſcat? *Qui enim habes, quod non accepiſti; ſi autem accepiſti? qui gloriar.*

Gal. 6.

Agnitio vilitatis noſtræ ex propriis defectibus, & exiguis in nobis donis, ſi cum aliis comparemur.

Pſal. 21.

1. Cor. 4.

gloriaris quaſi non acceperis? Et quantillum eſt, quod acceperis, ſi cum Chriſto te componas? Licet ſupremus eſſes in cælo Angelorum, aut in paradiſo hominum, quamdiu in via hac verſaris, non poteris deterrimo te latroni præferre: cùm poſſis Dei hoſtis, ille amicus cenſeri, ſolaque arrogantia, quâ te illi præfers, ſufficiat, ut præ illo præcipiteris, quòd Phariſæus publicano ſe præferens oſtendit. Et, an ignoras è cælo deturbatum Luciferum, è paradiſo Adamum; contráque ex crucis patibulo latronem ad paradiſum cæleſtem tranſiiſſe? Tantùm in pulcherrimis Dei creaturis ſuperbia; in viliſſimo homine demiſſio potuit. Et ego cuiquam me hominum anteferre præſumam: qui ſi corpus conſidero tot miſeriis ſubjectũ, multis creaturis irrationabilibus deterior ſum; ſi animam tot cupiditatibus & lapſibus obnoxiam, neſcio, an odio, an amore dignus ſim: ſi finem & infelicem tot mortalium exitum; eundem jam tum meis me peccatis intelligo promeritum, & ſolâ Dei miſericordiâ eſſe ſuperſtitem? Et cui obſecro me præferam, cum neminem ſciam, ita Dei donis abuſum fuiſſe: & ſi fuerit, deinceps melius non uſurum? Deinde, cùm quidquid in aliis obſervo, munus Dei ſit, quem in proximo ſemper æquum eſt revereri: quomodo eundem aſpernari poſſum? Et ſi vilis in oculis mundi ſit; an ignoro, quod cum *ſimplicibus ſermocinatio ejus*: Deus etiam *ſuperbis reſiſtat, humilibus autem det gratiam*? O mi Deus, aliud non peto, niſi ut humilis eſſe poſſim in oculis meis, exemplo & præcepto Salvatoris mei; & hæc ſolum mihi tribuere, quæ mea ſunt; quæ tua, offerre tibi, ac revereri in ceteris, tanquam fontem bonorum omnium. Ego vermis & non homo. tu Deus meus & omnia.

Nemini, nec viliſſimo quidem latroni, præferri poſſum; quòd is Dei amicus, ego hoſtis poſſim fieri.

Deinde ſcire non poſſum, an quiſquã Dei donis magis, quam ego, abuſus fuerit.

Iac. 4. 6.

Deſiderium humilitatis.

II. PUNCTUM.

CONſidera, quod quæcunque Deus hominibus largitus eſt, imò quæ condidit univerſa, alio fine non fecerit, niſi propter ſemetipſum & gloriam ſuam. *Vniverſa*, inquit Sapiens, *propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Quid excipiemus,

Vt Deus propter ſemetipſum omnia condidit, ita & à nobis ad illũ ſunt referenda.

Prov. 16.

ſi ipſi etiam damnati in inferno ad Dei gloriam aſſervantur; Et certè Deus nec potuit, nec debuit alio fine, ſive in nobis, ſive extra nos operari. Cum enim perfecta ſint Dei opera, adeóque finem optimum habeant: alium, quàm Deum, qui ſummum bonum eſt, ſpectare non poſſunt. Huc igitur perfectiſſimè operantem opus ſuum referre neceſſe eſt. Eſt verò Dei excellentia dignitaſque ſumma atq; immenſa, ut illi merito omnis gloria debeatur; quam ipſe quoque Deus divinâ æſtimatione ſuâ ei reddit infinitam. Vnde & illa, quæ extra ſe condit bona, ad illius honorem deſtinat, utque omnes creaturæ idem faciant, jure requirit. Quare & ipſe Chriſtus de ſe profitetur: *Ego autem non quæro gloriam meam; ſed honorifico patrem meum.* Et diſcipuli, poſtquam tantam cepiſſent piſcium multitudinem, ut educere vix poſſent, repentè hoc factum tribuerunt Deo, dixeruntque *Dominus eſt.* Nam, præter ſummam excellentiam, etiam dominium Dei abſolutum & ſupremum, quod in res omnes, à ſe in creatione, & conſervatione dependentes, obtinet, exigit, ut actiones noſtræ, tanquam fructus ſuo Domino debiti, offerantur. Accedit quòd nos, qui eramus, ut ſervi obligati Domino, ad præſtandum ſervitium in omnibus, per redemptionem Chriſti acceperimus *ſpiritum adoptionis filiorum Dei:* ideóque non jam in timore, tanquam mercenarii, ſed in amore potius Deo, tanquam filii parenti optimo, obſequium debeamus. Poſtremò cum ipſe Deus ex infinito in nos amore hæc bona conferat, noſque per hæc

1. Hoc debetur ſummæ ipſius excellentiæ.

Ioan. 8. 49.

2. Vt Dominus ſupremus noſter hoc exigit.

3. Vt redemptor.

4. Amore ſuo erga nos

hæc cum immenſo bono, quod ipſe eſt, conjungere ſtudeat, non tantùm æquum eſt, ut omni amore illi noſtras actiones deferamus; ſed nobis ipſis, animæ noſtræ, ſalutíque hoc ipſum debemus, hanc omnino deſerturi, ſi à Deo recedamus. *hoc meretur. Denique quia eſt ſummum bonum animæ noſtræ.*

AFFECTUS O quantùm bonum illis præparatum eſt, *quos elegit Deus ante mundi conſtitutionem, & prædeſtinavit in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ!* Quanta felicitas bene & ex amore Dei operantium, qui eundem operis ſui finem habent, quē Deus ipſe! quàm præclaræ actiones illæ, quæ ſapientiſſimæ conformantur directioni Dei, quæ ſupremæ placent bonitati! quàm deforme opus, quod ab hac rectitudine & bonitate deflectit! quam conſultè nos monuit Apoſtolus: *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ne quicquam in vita veſtra ſit, etiam ex actionibus indifferentibus, quod ab hoc fine diſcedat. Quam cordatè Sapiens: *vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum; quia Deo placent opera tua.* Sanè liquidum & ingens gaudium placere Deo. Et quod tanta ſolicitudine fecêre Apoſtoli, quod Sancti omnes, quod ipſe Chriſtus, quod denique ſupremus omnium rerum opifex Deus, cur facere pigeat, & non potius cum ſumma voluptate delectet? Quid cunctaris, ô homo, Dominus hoc requirit à ſervo, an non debes obſequium? Pater à filio poſtulat; an reverentia non tangeris? Summè amans à tua hoc anima exigit, tanquam ſponsâ; an non caperis amore? Tuómet hæc ipſa præcipiuntur commodo, (quod enim ex tuis actionibus Deo commodum?) an non traheris utilitate? Deus tuus eſt, qui præcipit; an autoritas non percellit, bonitas non impellit? Ille tuum verſatur ante animum, præſens adeſt, ſuadet, hortatur, incitat: vult te in quovis opere hac tua intentione ſummè felicem eſſe, æterno infinitóque hic in vita bono coniungi, ut æternum fruaris in cælis. Dum ſuam gloriam poſtulat, tuam quærit: feliciorem cùm ſe non poſſit facere; te fieri hac arte cupit. Hæc via eſt, quæ opera tua ſuper aurum argentúmque pretioſa efficit; quæ

Eph. 1. 4. *Aſpiratio ad Deum tanquam finem ultimum in omni opere ſpectandum.* 1. *Quia ipſe Deus hoc facit.* 1. Cor. 10. Ecclæ. 9. 2. *Quia jucundum eſt placere Deo.* 3. *Quia multis titulis obſequii & amoris debemus.* 4. *Quia noſtro bono hoc Deus exigit.*

ſupremæ majeſtatis favorem conciliat, quæ te ex abjecto homine in Dei filium Chriſtique coheredem transformat. Heu, quot mortales terrenorum Principum ac Regum gratiam multis obſequiis captant, & rarò integram ſtabilemque aſſequuntur: & tu illam negliges ſummi æternique Regis gratiam, quæ minori tibi labore certiore eventu defertur? Hanc ut aſſequereris, ipſe Deus homo factus eſt, vitamque ac ſanguinem pro tua ſalute profudit: infinitis penè amoris argumentis provocat, & tot incitat creaturis, quot ad uſum tuum præſens ipſe largitur. Et adhuc tam ingratus, ac ferreus eſſe poteris, qui adeò tu amantem non redames? Abſit, ô Deus, abſit impoſterum quicquam à me fiat, quod majori tuæ gloriæ à me non deſtinetur. Mille titulis tibi debita. hoc ſaltem unico reddam, ut tu in omnibus, ſuper omnia glorificeris Deus conditor, & redemptor meus. Accipe ex hoc momento omnia cogitata, deſideria, & actus meos, quæ ad majorem tui nominis honorem tibi do, dico, & obſecro, hoc in dies tibi millies repetere votum deſidero.

5. Quia amantem redamare tenemur.

Propoſitum firmum Dei gloriam ſpectandi.

III. PUNCTUM.

Deus homini donavit omnia.

Conſidera, quo modo Deus homini creaturas impendat, & omnia dona tam naturæ, quàm gratiæ largiatur: & reperies 1. gratuito prorſus amore hoc ipſum facere: neque enim hominis ad hoc præſtandum beneficiis provocatus eſt, aut ulla ſpe emolumenti juſtæque compenſationis induci potuit: *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Certè ſummo atque omni ex parte perfectiſſimo bono nihil poteſt in bonis deeſſe: quandoquidem extrinſeca etiam bona ab eodem, longè eminentius hæc in ſe complectendi, profluunt. Deus ſol eſt, qui ab extrinſeco igne magis non illuſtratur, idemque in ſua claritate eſt, ſive radios in terram effundat, ſive eclipſi præpeditus contineat,

1. Ex gratuito amore.

Rom. 11. 35.

ꝺeat. tota radiorum profuſio ad terram ſpectat illuſtrandam. 2. Deus efficaciſſimo ſua beneficia amore homini effert, ita ut amando donet, & donando amet. Tantò igitur hominem præ reliquis efficacius amavit, quantò eum nobiliorem, & ſibi magis ſimilem reddidit, omnibus, quæ extra hunc ſub cælo fecit, præpoſitum. Certè, *maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit ut per hæc efficeremur divinæ conſortes naturæ.* Quin eo uſque extulit, ut per Prophetam de nobis pronuntiet. *Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Et, *qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei. In hoc* autem maximè *apparuit charitas Dei in nobis, quia* Pater *filium ſuum miſit unigenitum, in hunc mundum, ut vivamus per eum.* 3. Perpetuo nos Deus amore dilexit, vi cujus in nos bona ſuo tempore contulit. *In charitate,* ait, *perpetua dilexi te.* Et, *in hoc charitas eſt, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos*: Et quidem, cùm adhuc inimici eſſemus, & peccatores. *Videte, qualem charitatem dedit nobis pater ut filii Dei nominemur, & ſimus.* Quantus Dei amor, quantam in nobis mutationem facit! Nec ſatis. *Nunc filii Dei ſumus, ſed nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam, cùm apparuerit, ſimiles erimus: quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* En amorem ab æterno in æternum extenſum.

2. Ex amore efficaci.

2. Petr. 1. 4.

Pſal. 81.

Zach. 2.

1. Ioan. 4. 9.

3. Ex amore perpetuo.

Ier. 3. 8.

1. Ioan. 4. 10.

1. Ioan. 3.

v. 2.

Quare viciſſim Deus exigit à nobis amorem, ſi non æquè perfectum, certè quantum licet ſimilem. Sic enim Joannes concludit. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos. Si quis autem dixerit, quoniam diligo Deum, & fra-*

Viciſſim igitur Deus pari amore eſt ab homine diligendus.

1. Ioan. 4. *trem ſuum oderit, mendax eſt. Et hoc mandatum habemus à Deo; ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum* Quodnam illud mandatum? Exponit hoc Chriſtus. *Diliges*, inquit *Dominum*
Matt. 22. *Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua ex omnibus viribus tuis*: Cor à mundo plenè ad me meamque voluntatem amplectendam convertes, anima cupiditates inordinatas mihi ſubmittet, mens intellectum in obſequium fidei & legis meæ, denique vires facultatum & ſenſuum tuorum ad me amandum
Matt. 5. impendes. Addit. *diliges proximum ſicut te ipſum.* quin etiam: *diliges inimicum tuum, & benefacies his, qui oderunt te. Qui* ſic *diligit, legem implevit.* Hæc porrò charitas perfecta erit, ſi 1. gratuita etiam fuerit, hoc eſt, non timore pœnæ, aut ſpe præmii Deo impenſa: nam *perfecta charitas foras mittit timorem.* Quare licet neque cælum, neque infernus eſſet, Deus tamen, quia ſummum bonum eſt, & gratuitò nos diligit, purè gratiſque propter ſe diligendus à nobis eſſet.
1. Ioan. 3. 18. v. 16. 2. Efficax noſter amor eſſe debet: ita, ut *non diligamus verbo, neque lingua* tantum; *ſed opere & veritate.* Si Chriſtus *animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*: quantò magis honorem, & opes! 3. Et perpetuus amor requiritur. ne ex illis ſimus, qui *in tempore tentationis recedunt*: ſed cum Paulo poſ-
Rom. 8. 35. ſimus dicere: *quis nos ſeparabit à charitate? certus ſum, quia neque mors, neque vita: neque creatura ulla nos poterit ſeparare.*

AFFECTUS. Digniſſimus es, ô Deus, & infinitũ bonum meum, cujus eminentia ſumma eſt, profunditas inexhau-

ſta, amplitudo immenſa, duratio æterna, digniſſimus inquam es, qui ex toto corde, anima, mente, viribus omnibus à me, atque univerſis creaturis tuis, perfectiſſimè agnoſcaris & ameris. Hoc eſt, ut non ſolum æſtimatione & amore noſtro præferaris creatis rebus univerſis, ita ut illas præ te deſpiciamus, & deſerere parati ſimus (quod omnibus ad ſalutem eſt neceſſarium) ſed etiam, ut quantâ poſſumus affectuum, & virium mentis corporiſque intentione, te tuúmque divinum beneplacitum amplectamur in omnibus, tam cogitatione, quam verbo, & opere. agnoſco, & coram oculis tuis, totâque cæleſti curiâ profiteor, atque ex intimo etiam animi ſenſu præſtare deſidero, verè, *magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis*! Verè, *non eſt ſanctus, ut eſt Dominus, & non eſt alius extra illum.* Tu ſolus ſanctus, ſolus Dominus, ſolus altiſſimus, & *non eſt bonus niſi ſolus Deus.* Et tamen tu tam excelſus Dominus ac *Deus meus, qui bonorum meorum non eges* charitate infinita, gratuita, & perpetua dilexiſti me: etiam priuſquam eſſem, & in utero formares me. Dilexiſti me cum perditus eſſem, cùm inimicus, cùm ſpernerem, & odiſſem Deum & amatorem meum. Dilexiſti me jam ſæpius receptum in gratiam; & tamen iterum iterumque offendentem, cùm alios ob peccata horrendo inferni barathro involveres, adhuc dilexiſti me, graviſsimaſque pro me pœnas flagellatus, vulneratus, crucifixus, ultimâque afflictus morte ſuſtinuiſti. Tanto ſuprema Dei majeſtas ac bonitas amore me viliſsimum & ingratiſsimum hominem complecteris, & ègo viciſsim amore tui totus non ardeam!

Agnitio obligationis noſtræ ad Deum purè amandum, ex corde toto.

Pſal. 114.

Dei amor inexplicabilis erga nos immerentes.

Deſiderium amandi viciſſim ſummè Deum.

O ſi omnium hominum corda, omniumque Angelorum affectus, quin etiam omnium poſſibilium creaturarum amandi vim poſſiderem; ut dignum aliquid, tibi Deo meo, tantôque amori tuò, viciſſim amando poſſem rependere! ſed quantillum hoc eſſet, quando nil niſi finitum amori reponerem infinito? ô ſapientia inſcrutabilis, quis te ut par eſt æſtimabit? ô majeſtas excellentiſſima, quis te ſat digno honore

venerabitur? ô bonitas immenſa, quis te ſatis unquam poterit amare? Gratulor tibi, ô Deus meus, quod talis tantúſque ſis, quem nec ego, nec ulla creaturarum ſatis æſtimare, venerari, amare queat. Gaudeo exultoque ex intimis animi mei ſenſibus de tanta immenſitate bonorum tuorum, & perinde illa tibi medullitus faveo, atque offero pleniſsimo amoris affectu universa, ac ſi mea eſſent, illaq; in te amantiſsimũ Deum, largiendo transfunderem. Doleo verò intimè, deteſtorq; atque execror, ſi quicquam in me fuerit, aut etiamnum ſit, quod tantæ diſpliceat majeſtati, & bonitati adverſetur. O quàm vellem illi deinceps placere in omnibus! Nihil peto, ô Domine, nullumque in terra cæloque meorum operum præmium aliud, niſi, ut ſicut tu me amaſti hactenus, donando gratis omnia, etiam vitam ac ſanguinem tuum, ita & ego amem te Deum meum, vitamque ac ſanguinem meum pro te impendam.

Gaudium de inæſtimabili dignitate & bonitate Dei.

Dolor de offenſa ex amore Dei.

O ſuaviſsime Jeſu, confirma hunc amorem meum, per divinam tuam gratiam, ut ab illo nunquam in vita ac morte deficiam. Jn hujus amoris ſignum offero modo, cum ſanctiſſimis meritis tuis, per manus tuas æterno Patri, omnes actiones & potentias meas in holocauſtum perpetuum, ad gloriam & honorem divini nominis tui, ut per ea benedicaris cum Deo patre, & Spiritu S. Quidquid porrò de me volueris, totus tuus ſum, totum me tibi reſigno. ſi velis me proſperis frui, ſis benedictus; ſi adverſis, ſis iterum benedictus. Satis mihi erit, in quavis etiam calamitate, tentatione, & contemptu, quod

Oblatio ſui plena, ad Dei gloriam.

quod tu cum patre & Spiritu S. ſis felix, ac glorioſus in ſecula. Hoc unicũ erit votum ac ſolatium meum, quot omnibus vitæ momentis quotieſcunque reſpiravero, toties repetitum ac dictum volo, ſis, ô Deus benedictus & ſuperexaltatus & glorioſus per infinita ſecula. Amen, Amen.

DISTICHON MEMORIALE

Cuncta Deus tribuit (2) cunctorum gloria ſoli eſt
Debita (3) Tu dextram Regis amantis ama.

MEDITATIO III. DIEI VIII.

De conformitate voluntatis humanæ cum divinâ, ex amore Dei, juxta inſtructionem Chriſti Petro datam.

VERITAS. Cum profeſſus Petrus eſſet, ſe Chriſtum amare, juſſit Chriſtus in hoc eſſe intentum, ut ſe ſequeretur. multis enim titulis, ad Dei voluntatem in omnibus ſequendam, homo obligatur. (2) Et neceſſitate certa ad hoc volens nolens tenetur; præterquam, quòd tam ſumma Dei excellẽtia, quàm noſtra utilitas hoc requirat. (3) ideoque non adverſa minus, quam proſpera, cum gratiarum actione, à Deo ſemper ſint acceptanda. Et per hoc ſumma hujus vitæ quies & felicitas obtinetur.

ORATIO PRÆPARATORIA ET PRÆLUDIA *juxta modum ſuprapoſitum.*

PUNCTUM I.

CHriſtus Petrum, jam ſuæ Eccleſiæ præpoſitum, ad majorem perfectionem compendiò inſtructurus, propriæ voluntati & inani ſolicitudini renuntiare jubet, & tantùm eſſe ſolicitum, ut ſe ſequatur. *Cum eſſes junior,* ait, *cingebas te, & ambulabas quo volebas, cùm autem ſenueris, alius te cinget & ducet, quo tu non vis.* Verùm *ſequere me*, quem noſti, pari in caſu, dixiſſe Patri: *Non mea voluntas fiat, ſed tua.* Cúmque Petrus intelligeret, hac admonitione Chriſti, ſe ad mortem cum Chriſto ſuſtinendam vocari: quærit ex Salvatore, ad Joannem verſus: *Hic autem quid?* reſpondit Chriſtus: *ſic eum volo manere, donec veniam: quid ad te. tu me ſequere.*

Joan. 21. Chriſtus Petrum inſtruit, ad ſui abnegationem, & ſequendam voluntatem Dei.

In hac brevi inſtructione tradidit ſummam Chriſtianæ perfectionis, quæ conſiſtit, in abnegatione voluntatis propriæ, & conformatione ejuſdem cum voluntate Dei, quâ nos aliosque juxta divinam providentiam, & beneplacitum ſuum moderatur. Et huic verè Dei amantem, qualem ſe Petrus profitebatur, acquieſcere neceſſe eſt. Quia variis ad hoc titulis obligatur.

Tenetur ſe homo conformare voluntati Dei. 1. Quia ille conditor, & Dominus eſt.

1. Quòd Deus, ut conditor, & conſervator univerſorum, quæ in mundo ſunt ac fiunt, abſoluto plenoque omnia dominio poſſideat, & hoc à ſe abdicare, atque ad alterius arbitrium integrè transferre nec poſſit, nec velit; cùm ab ipſo neceſſariò, tam in eſſentia ſua, quàm operatione, quævis creata dependeant: adeóque agere pati, mutari, aut conſiſtere non poſſint, niſi ad arbitrium ſupremi agentis. Quare ſiquis hominum aliud fieri velit, quàm quod vult Deus, in ordine eventúque rerum creatarum; perinde agit, ac ſi velit, ut Deus ex arbitratu & beneplacito noſtro potius, quàm ſuo, dependeat,

deat, hoc eſt, Deus non ſit. Quo quid poteſt magis ſtultum, arrogans, & perverſum cogitari? Quantò Job in ſumma rerum ſuarum perturbatione, & afflictione dixit rectius: *ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomine Domini benedictum!*

2. Sapientia Dei infinita, quæ in ſua diſpoſitione non fallitur, ſed *attingit à fine, uſque ad finem, fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Et hanc nos humano ingenio nunquam aſſequi, nedum corrigere poſſumus. Quis enim cauſam rationéſque ſcrutabitur, cur Deus ita Angelos hominesque labi permiſerit, quos omnes ad magnam gloriam ſuam conſervare poterat? cur tot millia hominum ſinat in ſua infidelitate perire? cur me, cur alios, ſi originem ſpectes nihilo meliores, ad lumen fidei vocárit? cur infernum tot ſuis creaturis impleat, æternum Deo ſuo maledicturis, cum poſſent in gloria benedicere? An non cogimur cum Paulo exclamare. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Ad tam ingentia cum obſtupeſcas; & tamen certus ſis, quod Deus infinitè juſtus & miſericors, nulli poſſit facere injuriam, nedum velit; neceſſarium eſt, ut ſubmittas intellectum judiciumque tuum Deo. Quòd ſi in tantis rebus cogaris facere, cur non in minimis, & quotidianis caſibus occurrentibus, Deo te longè ſapientiori dirigendum plenè committas?

Sap. 8.

2. *Quia ipſa ſapientia infinita, ideoque inſcrutabili nobis omnia diſponit.*

Rom. 11.

3. Pro-

3. Quia providet nobis benevolè in omnibus. 3. Providentia & benevolentia Dei circa quemlibet noſtrum hoc requirit; ut cum *ipſi cura ſit de nobis, omnem ſolicitudinem in ipſum*
1. Pet. 5. *projicientes*, plenè nos Deo committamus. Nam
Luc. 12. ſi *nec paſſer quidem in oblivione eſt coram Deo*; quomodo hominis ad ſui ſimilitudinem conditi, & cui cetera ſubjecit univerſa, oblivіſci poterit? *Dixit Sion, dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei*: ſed Deus reſpondet:
Iſ. 49. 14. *Nunquid oblivіſci poteſt mulier infantem ſuum, ut miſereatur filii uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit; ego tamen non oblivіſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Expende hic, qualem tui curam Deus hactenus geſſerit, & quomodo etiam mala omnia in bonum tuum verterit, & quæ gravia & triſtia ſuſtinuiſti, nunc tibi in gaudium & jucunditatem verſa ſint, aut certè olim vertentur; teque divinæ providentiæ lubentiſſimo animo regendum trade.

4. Quia rectiſſima ejus voluntas eſt. 4. Voluntas Dei ſanctiſſima rectiſſimáque, quâ omnia referri dixerit ad perfectiſſimum finem, qui eſt ſummum bonum, ab homine poſſidendum; ſi tamen ſe homo, tam æquæ voluntati & ordinationi conformarit, ab illo fine non recedendo. Quod faciet, ſi hanc ipſius voluntatem in præceptis conſiliiſque Dei, atque in omnibus, quæ à Deo in vita & morte acci-
Eccli 11. 14. dunt, amet & amplectatur. *Nam bona, & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Quàm æquum igitur; ut ſive nos debiles, ſive fortes, ſive honoratos, ſive deſpectos, ſive viventes, ſive mortuos Deus velit (qui omnino vult, quod optimum eſt) cupidiſſimè amplectamur!

AFFECT.

AFFECTUS. O quis ego ſum, qui reſpondeam Deo meo! *nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit; quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem ſigulus luti, ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Ita, ô Domine Deus meus. Gaudeo, quia Dominus univerſorum tu es, & nemo poteſt reſiſtere voluntati tuæ. æquiſſimum planè eſt, ut creaturæ omnes, tam in eſſe ſuo, quàm operari prorſus tuæ ſint, tibique ſerviant; quia totum à te poſſident. Hoc cœlum ac ſidera, hoc elementa, hoc plantæ omnes, hoc omne animal ſenſile perfectiſſimè ad nutum tuum præſtat in omnibus; & homo rationalis ad tui imaginem conditus non faciat? Jam, cùm infinita ſapientia tua ſit, quâ diſponis ac moderaris prudentiſſimè univerſa; quomodo huic ego cōtradicere potero? Nunquid extremæ perverſitatis & amentiæ homo ſit, qui auſit dicere, melius hæc intelligo, ſapientiuſque quàm tu, ô Deus, ordinare poſſum. juxta meam potius, quàm tuam diſpoſitionem hæc & iſta fiant? Et tamen hoc ipſo opere videor dicere, ſi, in minima etiam re, non acquieſcam divinæ ordinationi tuæ? Procul igitur, procul à me tanta væcordia. Diſpone tu, ô æterna Sapientia, juxta divinum beneplacitum tuum, de me atque univerſis creaturis tuis. omnes ſenſus ac judicium meum tibi illiſque omnibus ſubmitto, quos tui loco mihi in terris præfeciſti. Novi, ô Domine, & cum ſumma animi gratitudine recolo amantiſſimam providentiam tuam, quâ me hactenus, non ſecus ac mater filium ſuaviſſimè ad hunc diem uſque aluiſti ac deduxiſti, omnia etiam mala, quæ vel perpetravi, vel ſuſtinui, admirabili diſpoſitione in meum bonum convertendo. Unum tantùm intimè doleo, quod majori gratitudine & promptitudine obſequendi tibi tuiſque non reſponderim; cùm tamen agnoſcam divinam voluntatem tuam eſſe regulam omnis boni, & perfectionis, omnis gaudii & quietis. O Domine, *doce me facere voluntatem tuam*; & ita meam dirige, ut præter tuam nihil velit, aut poſſit. ut ſive in vita, ſive in morte tuus maneam, nunc & in æternum. In omni impoſterum actione mea, dictum ex animo volo, *fiat voluntas tua.*

Rom. 9. 20.

Plena ſubjectio & voluntatis noſtræ arbitrio Dei.

Cui parent creata cetera.

Cui contradicere ſtultum, quia nemo intelligentior.

Cui debemus omne bonum hactenus acceptum.

Dolor de neglecta reſignatione, & Propoſitum deſequenda.

II. PUNCT.

II. PUNCTUM.

Iob. 9.

1. Neceſſitas reſignationis ingens, cùm divinæ voluntati nemo poſſit reſiſtere.

EX parte hominis perpende 1. Neceſſitatem ſummam divinæ voluntati ſe conformandi. Nam *ſi voluerit contendere cum Deo, non poterit ei reſpondere unum pro mille. Sapiens eſt corde, & fortis robore: quis reſtitit ei, & pacem habuit?* Nemo planè. Stoliditas magna eſt mortalium ordinationi Dei non acquieſcere. Cum enim hæc ſuſpendi, everti, mutaríve humano ingenio nequeat, quorſum obluctamur? Intuere præterita, atque illa quæ aliter, quàm optabas volebaſque evenerunt; quid tibi profuit divinæ voluntati non repentè accedere, eamque probare & revereri? An non malis, quæ ſuſtinebas, aliud adjeciſti longè gravius malum impatientiæ? ut taceam jugum Domini, quod leve eſſe poterat, hoc pacto à te aggravatum, animíque quietem & pacem fuiſſe perturbatam. Jam ad futura ſi te convertas, illa præſertim quæ ex libera Dei aut hominum voluntate dependent: quid eorum eſt, quod in poteſtate habeas, aut tua poſſis providentia gubernare; cum nec præſentia quidem ſecurâ diſpoſitione modereris? Sola, ô homo, Dei providentia eſt, quæ in ſua diſpoſitione non fallitur; quam cùm evertere ſit impoſſibile, non acceptare, erit inſanum.

2. Summa excellentia eſt, quia magis intimè Deo jungi nemo poteſt, quàm

2. Dignitatem atque excellentiam hujus reſignationis conſidera. Homo enim, cum in ceteris obſequiis, & oblationibus Deo præſtitis, vel opes ſuas, vel honores, vel voluptates, quibus frui poſſit, offerat; ut in eleemoſynis, jejuniis, votis: hic nobiliſſimam ſui partem, libertatem

tatem ac voluntatem ſuam, penitus Deo reſignat, nihil aliud volens nolénſque, niſi quod divinæ placuerit voluntati. Hoc ſolum æſtimans amplectenſque tanquam optimum, quod Deo viſum eſt; imò vivens quodammodo regenſque ſeipſum, illâ, quâ Deus vivit, regitque ſe, & omnia, voluntate. Quæ eſt ſumma cum Deo conjunctio, adeóque & perfectio. *Qui enim adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* & *vita ipſius abſcondita eſt, cum Chriſto, in Deo.* Quo quid poteſt eſſe excellentius, & gratius Deo? Ab hac reſignatione Davidem extollit Deus. *Inveni*, ait, *David filium Jeſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*

qui eadem cum ipſo utitur voluntate.

1. Cor. 6. 17. Gal. 2. 20.

Act. 13. 22.

3. Utilitatem hujus conformitatis expende. nam omnem penè hujus & alterius vitæ felicitatem hæc ſola facilè impetrat; cum omnes fructus divini ſpiritus, cui conjungitur, participet. *Fructus autem ſpiritus ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Ex conjunctione enim hac voluntatum charitas mirificè inflammatur, gaudium & pax imperturbata naſcitur; quando omnia, etiam adverſa, quæ eveniunt, ex ſapientiſſima diſpoſitione Dei, hæc ad ſalutem noſtram ordinantis, & voluntate ſanctiſſima provenire certum eſt. ut medicis potionibus, licet amaris, gaudemus, ob ſperatam ex iis ſalutem. Jam quis iraſcatur, aut impatientiâ efferatur, ſi æquiſſimam Dei voluntatem reſpiciat? Cui continentia virtuteſque ceteræ difficiles ſint, cùm ad beneplacitum ſanctamque Dei legem attenderit?

3. Ad omnem profectum in virtute utiliſſima eſt.

Gal. 5. 22.

derit? Deum amanti, ejuſque voluntatem amplectenti nihil difficile eſt, ſed in omnibus caſibus meminit, quòd ſibi non minus, quàm Petro dictum ſit: *ſic volo. quid ad te? tu me ſequere.* Qui *non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.*

Æſtimatio felicitatis Deo plenè obſequentiū.

AFFECTUS. O ter quaterque felices, qui, deſertâ voluntate propriâ, quæ ad omne nos malum præcipites rapit, ducem certiſſimum fidiſſimumque ſequuntur voluntatem divinam! Miſerum me, & in multis offendentem quoties ab hac via deflexi! inſanum me, quando adverſus illam, quæ incorruptæ bonitatis eſt, meâ pugnavi malitiâ! Quàm ſapienter ab Apoſtolo monemur: *ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt, in omni bonitate, & juſtitia, & veritate: probantes quid ſit beneplacitum Deo*: cui nihil placere poteſt, niſi quod æquiſſimum ſanctiſſimumque eſt, & cum noſtra ſalute, gloriâque ipſius maximè conjunctum: cui quidquid diſplicet, hoc tam iniquum ex ſe, quam mihi noxium eſt. Verè *magna eſt gloria ſequi Dominum*, magna ignominia ab illo deflectere! Apage turpis cupiditas, quæcunque me à Deo meo divellis, & divinæ voluntati præponis humanam. Quantum, heu dedecus, hominem tam modica rerum cognitione præditum, ut nec muſcæ quidem unius naturam penetret, eique conſervandæ, ut par eſt conſulere poſſit, eò tamen temeritatis aſſurgere, ut conſilium judiciumque ſuum, divinæ providentiæ opponat, voluntatemque propriam, toties offendentem, præferat legi voluntatique increatæ! An non hoc eſt ſedem Deo eripere debitam, ſeque cum Lucifero in illa, tanquam judicem & legiſlatorem ſapientiorem æquiorémque, collocare? O perverſitas, quæ omne poſt ſe vitium trahit, omnem exſcindit virtutem, omnem Deo honorem, homini fructum, conſcientiæ pacem tranquillitatémque auffert! Quàm jucundum eſt, cum Chriſto poſſe dicere: *cibus meus eſt, ut faciam voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt.* O mi Domine, fac ut hoc tecum cibo delecter, ac deſipiat mihi quidquid ab illo diverſum eſt. Fac, quantum poſſibile eſt, ut totus hoc mecum mundus amplectatur, & reſpuat. Tuam voluntatem in omnibus

Eph. 5. 9.

Deteſtatio cupiditatis omnis, à divina voluntate nos abducentis.

Ioan. 4.

Deſiderium tranquillitatis, quæ eſt omnium

venero

veneror & admitto: meam juratâ tibi fide impoſterum prorſus ſubjicio. Accipe tu meam: concede mihi tuam. Hâc ſolâ vivere ac mori deſidero. Nec ego ſolum, ſed & omnes quos meæ curæ commiſiſti. Hos juxta mecum incitabo & inflammabo ad ſerviendum tibi. *Deo acquieſcentium.*

III. PUNCTUM.

COnſidera, quanti referat, non ſola agnitione hujus veritatis acquieſcere; ſed exercitationem ipſam, atque opera noſtra ex illa dirigere, omniáque ad ſanctiſſimam illius voluntatem explendam referre: non ſolum cùm ex voto noſtro cuncta fluunt (nam tum voluntate propria ſatis inclinamur) ſed tùm maximê, cùm adverſa, & contraria noſtræ cupiditati nobis inferuntur. In proſperis ſemper periculum ſubeſt, ne cùm Dei voluntatem nos amplecti profitemur, cupiditatum noſtrarum ſenſu abducamur. Et hæc cauſa eſt, cur ſanctis Dei gratius fuerit adverſis, quàm proſperis circumfluere, quòd in illis acceptandis nihil propriæ voluntatis irreperet, vitiumque puræ reſignationi inferret.

1. Non ſolo affectu, ſed re ipſa voluntas Dei amplectenda. Quod in adverſis maximè neceſſarium eſt.

Cavendum verò, ne etiam in rebus adverſis nos Deo conformando, id fiat, cum exceptione hujus, aut illius rei, aut circumſtantiæ, vel perſonæ. ut quidam ajunt; ferrem æquo animo, niſi honorem meum læderet, niſi ſæpius offendiſſet, niſi perditus iſte nequam prorſus immerenti, ex odio atque invidia, vim injuriamque intuliſſet. Nam hæc univerſa, quid ad te? An quicquam eorum eſt, quod ex Dei voluntate tibi irrogari non exiſtimas? Nemo capillum de capite tuo, ſine Dei nutu ac diſpoſitione auferre poteſt; & tu ambigis, an Deus hæc

2. Sine omni exceptione, etiam peccati alterius, quod noſtræ poteſtatis non eſt impedire, admittendum eſt, quidquid Deus, per quoſcumque homines, immiſerit.

tibi immittat? Jobum improbi raptores boni omnibus exuunt, dæmon graviſſimè perſequitur, amici corripiunt, uxor calumniatur: & tamen hæc ipſe univerſa, tanquam à Deo immiſſ excipit: *Dominus* inquit, *dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum.* Nihil hi Diabolo, nihil hoſtibus, nihil amicis, nihil odio aut invidiæ imputat. Deum ſolum, ſin quo nihil horum fieri noverat, intuetur. Ne juſtam excuſationem habes, quòd peccata aliorum deteſteris. Nam horum judicium penes ſolum Deum eſt. Et ſi ipſe permittat, atqu etiam bonum, vel tuum, vel aliorum ex his eliciat; quid eſt, cur tu obluctaris? Intuere Chriſtum, qui & Deus, & homo erat; & tamen volens lubénſque tantùm opprobriorum pœnarúmque ſuſtinuit, quas innumeris peccatis flagitiíſque aliorum ſibi videbat, ex invidia malitiâque, infligi, non ab hoſtibus ſolùm, verùm & amicis, quos tot ante beneficiis ornaverat Si nulla ipſe exceptione utitur; ſed univerſ mala, tam varia, tamque acerba, quibus fama honor, vita, Deus ipſe lædebatur, ex ſola tamen Patris manu ſuſcipit: quid eſt, quod te reluctantem, niſi propria cupiditas efficit, quâ t nondum potes Deo plenè ſubmittere, & dicere cum Chriſto: *non mea, ſed tua voluntas fiat*

3. Adverſa cum omni gratiarum actione, non minus, quã proſpera acceptanda.

Denique obſervandum altéque animo infigendum eſt, quod quæ nobis à quacunque creatura per Deum infliguntur, hæc inter prim Dei beneficia ſint. Nam *caſtigat omnem filium quem recipit.* Dum igitur hìc caſtigat in m peccata, ne plectat in vita altera; dum affectu inordi-

inordinatos ſupprimit, dum inſtruit affligendo ad omnem virtutem; par eſt, ut beneficium amplectar, & cum Chriſto, pro ſuis etiam perſecutoribus orante, gratias potius, quàm indignationem homini injuriam inferenti rependam. Hoc denique verè eſt, Chriſtum ſequi. *Væ illi, qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ!* Iſ. 45. 9.

AFFECTUS ET COLLOQUIUM. Adoro, & revereor, ſumme Deus, & Pater amantiſſime, ſapientiſſimam æquiſſimámque divinæ tuæ voluntatis diſpoſitionem in iis, quæ mihi aliiſque eveniunt, univerſis: *fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.* Utinam hæc in terris ita agnoſcerem, ſicut beati, qui in cœlis ſunt! Quam lætor, illos reperiri in creaturis tuis, qui ſanctiſſimam tuam voluntatem perfectè implent, & dum ex illa magis, quàm propria voluntate reguntur, ac vivunt, felicitate & pace gaudióque ſummo perfruuntur! O quàm feliciter illis ceſſit, quod exiguo hic tempore tuæ acquieverint voluntati, & abnegaverint ſuam! neque enim alia ad cœlum via eſt: niſi nos fallunt verba tua: *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animã ſuam propter me, inveniet eam* Abneganda, & quaſi perdenda anima & voluntas noſtra in terris eſt, ut eam inveniamus in cœlis. Nam illic beati ita vivent ex voluntate Dei, ut ſimul propriam impleant, quæ in nullo diſſentire poterit ab illa, quæ eadem eſt, cum ſummo bono. O ſi & mihi hic in terris liceret *deponere veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, & induere novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate*, nihil agendo, niſi quod juſtiſſimæ tuæ convenit voluntati: ne aliquando eandem cum Solymæis exprobrationem audire cogar, *quoties volui te congregare, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* O magna perverſitas, nolle hominem, quod vult Deus: aut velle, cum is nolit!

Plena reſignatio in omnem Dei voluntatem.

Congratulatio, quòd ſancti per hanc felices ſint.

Matt. 16. 24

Eph. 4. 22.

Votum Sanctos imitandi, & deſerendi voluntatem propriam, exemplo Chriſti.

Matt. 23. 37.

August. in Med. *Aufer à me Domine, omne nolle, quod vis: & omne velle, quod non vis.* Non poſtulo, ut imposterum mihi tribuas, quidquid ego voluero; ſed ut velle me facias, quidquid tu volueris. Compelle me intrare ad ſanctiſſimum beneplacitum voluntatis tuæ; qui corpore, animâ, omnibúſque potentiis tuus ſum: qui naturam tibi debeo, ut conditori; vitam ut conſervatori; Pſ. 122. gratiam ut redemptori. *Ecce ſicut oculi ſervorum, in manibus Dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad te Deus noſter.* Et quomodo tibi poſſum contradicere, quando non ſolum creata univerſa (præter ſolum perverſum hominem) ſed & Chriſtum redemptorem, video tibi ſubjectum, & obſequentem voluntati tuæ uſque ad mortem crucis? An forſan ſequi pudet pigetque, quo unigenitus filius tuus ex hoc mundo 1. Ioan. 2. 17. ad cœlum antecesſit? An ignoro, quia, *mundus tranſit, & concupiſcentia ejus, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum?* O mi Deus, ne in æternum à te divellar, fac me tecum hic nunquam diſſentire in tempore! idque potisſimum, in tentationis & adverſitatum tempore, ut tunc ex animo dicam, *fiat voluntas tua*, imò læter atque exultem, quod tua potius impleatur voluntas, quam mea, *Fiat, fiat.*

DISTICHON MEMORIALE

Petrum, teque, ſequi vult Chriſtus. (2) mille teneris
Nominibus. (3) ſors hic qualibet apta tibi eſt.

MEDIT. IV.

MEDITATIO IV. DIEI VIII.

De aſcenſione Chriſti ad cœleſtem gloriam.

VERITAS. Chriſtus aſcenſurus ad cœlos, diſcipulis ſuis, jam à ſe ad virtutem inſtructis, prædicationem Evangelii, & ſalutem proximorum committit. (2) Se tamen cum ipſis ſemper manſurum, ex ſingulari perſeverantis amoris affectu declarat. (3) Ad Patrem verò, cœleſtemque gloriam ſe abire; ut illis aliquando ſubſecuturis locum præparet.

ORATIO PRÆPARATORIA ET PRÆLUDIA *more conſueto.*

I. PUNCTUM.

POſtquam Chriſtus per quadraginta dies ſuis apparuiſſet diſcipulis, loquens de regno Dei, evocatis denique in monte Galilææ adfuit, & ſic eis locutus eſt. *Data eſt mihi omnis poteſtas, in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce, ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.*

Act. 1. Matt. 28.

Chriſtus diſcipulos ſuos, jam ad perfectionem à ſe inſtructos, proximorũ ſaluti jubet incumbere.

Vides, quemadmodum Chriſtus, poſtquam ſuos inſtruxiſſet in fide, & mandatis, futuróq; Dei regno diſcipulos, ad proximum quoque pari diſciplinâ inſtruendum, atque ad idem regnum adducendum ableget. Nimirum charitas Dei ac proximi conjuncta ſunt, & qui Deum

vere amat, ejuſque regnum ac gloriam amplificari cupit, gentes univerſas ad Deum agnoſcendum glorificandúmque adduci deſiderat. Jgnis hic amoris, ubi ſemel cor occupavit, foras ſeſe effundit, & propinqua quæque inflammat. Et certè nullum opus Deo gratius excellentiúſque in quo propiùs Deum imitemur, qui propter hominum ſalutem homo factus eſt. *Nihil enim ita gratum* eſt Deo, & ita curæ, ut animarum ſalus. ſicut clamat Apoſtolus, dicens: *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.* Et iterum Deus ipſe ait: *Nolo mortem peccatoris. ſed ut convertatur & vivat.* Talem igitur habentes Dominum, tam miſericordem, tam benignum, tam manſuetum; cùm noſtræ, tum fratrum noſtrorum ſalutis curã geramus. Etenim Deo teſte, *qui educit pretioſum à vili, quaſi os meum erit*: qui proximum ab errore ad veritatem, à peccato ad virtutem traduxerit, Chriſto ſimillimus cariſſimuſque futurus eſt. Quia, cum ipſe Deus eſſet, propter hoc carnem induit, & crucis tormenta ſuſtinuit, ut nos peccato obnoxios à *maledicto liberaret.* Huc Chriſti tota vita, actio, doctrina, mors & reſurrectio ſpectavit: ut taceam, quod Angeli de cælo *in miniſterium miſſi ſint, propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis.* ideóque tam Angelorum, quam Chriſti ſocius adjutóque fiat, quiſquis ad aliorum ſalutem, pro viribus, & ſtatus ſui conditione, incumbit. Et quamvis hæc ſingulariter ad Apoſtolos, eorumque in Eccleſia ſucceſſores ſpectent: tamen & cuivis alteri Chriſtiano commendata ſunt. *Vnicuique enim*

Nam verus Dei amor ſimul ad proximum ſe extendit.

Chryſoſt. hom. in Gen. 3

1. Tim. 2.

Ezech. 18.

Chriſtus ipſe proximorũ ſaluti ſe impendit.

Heb. 1.

Eccli 17. 12.

enim mandavit Deus de proximo ſuo. Cum audi-is inquit Auguſtinus, *Dominum dicentem: ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit: nolite tantummodo bonos Epiſcopos & Clericos cogitare; etiam vos pro modulo veſtro, miniſtrate Chriſto bene vivendo, eleemoſynas faciendo, nomen doctrinamque ejus, quibus poteritis prædicando. ut unuſquiſque, etiam paterfamilias, hoc nomine agnoſcat, paternum affectum ſuæ familiæ ſe debere pro Chriſto, & pro vita æterna ſuos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat diſciplinam. Ita in domo ſua Eccleſiaſticum, & quodammodo Epiſcopale implebit officium.* A quo procul abſunt, qui exemplo pravæ vitæ morumque, aut, quod multò eſt gravius, verbis laſcivis, exhortatione improbâ proximum à ſalute ad peccatum & interitum deducunt, Apoſtoli, non Chriſti, ſed Diaboli: procul etiam abſunt, qui alienæ fortunæ invident, famæ detrahunt, & quâcunque demum injuriâ proximum lædunt. lex vetus, & ipſa natura dictat: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri feceris*, quam lege conformi firmavit Chriſtus: *quodcunque vultis, ut vobis faciant homines, & vos facite illis*. Quare, ut quiſque omne malum averſatur, & omne bonum deſiderat, ac tantò quodvis magis, quantò eſt gravius; ita proximo idem malum nolle, ac bonum velle tenebitur: præcipuè is, qui à Deo ad ſalutem proximorum curandam vocatus eſt. Cùm verò manifeſtum ſit, nulli mortalium gravius à nobis malum inferri poſſe, quàm ſi per nos à ſalutis via abducatur: ſic nec poterit bonum conferri

Tract. 56. in Ioan.

Quilibet tenetur, cum poteſt, ſubvenire periclitanti proximo.

Proximo faciendum, quod tibi velles fieri.

Tob. 4.

Luc. 6.

majus, quàm ſi ab errore & ſcelere ad veritatem ac ſalutem traducatur. unde uti hanc nobis omni ſtudio cupimus ac procuramus; ità par erit omnem proximo curam ſtudiumque impendere. Quod niſi fecerimus, præceptum Dei violabimus: monente Chriſto: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*: qui animam meam pro vobis, cum inimici eſſetis, poſui. felicitatem meam poſthabui veſtræ: filius hominis factus ſum, ut eſſetis filii Dei: ſervus omnium, ut eſſetis Domini univerſorum: ſtudium & doctrinam meam, veſtræ impendi ſaluti: pœnam veſtris peccatis debitam ſubii, ut eſſetis liberi: mortem in cruce duriſſimam ſuſtinui, ut vitam in cælo beatiſſimam viveretis. Si me viciſſim amatis, *diligite invicem, ſicut dilexi vos. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?*

Ioan. 15. 17. *Proximus cum proprio etiam incommodo, exemplo Chriſti eſt diligendus.* *1. Ioan. 4.*

Affectus. O Domine, quàm cuperem illo amore ſuccendi, & flagrare zelo, quo Apoſtoli ſuccenſi fuère, quando illis jam diſceſſurus expoſuiſti ſcripturas, & tuo inflammatos ſpiritu, in mundum deſtinaſti univerſum, ut homines ab errore ad veritatem, agnitionemque & amorem Dei ſui converterent! O præclarum opus, ſive ad tuam, ô Deus, gloriam toto orbe, tam in tempore, quàm æternitate promovendam; ſive ad ſalutem generis humani ex meritis paſſionis ac reſurrectionis dilecti filii tui, procurandam; ſive ad amorem tuum non in nobis ſolum, verùm & proximis inflammandum ſpectet! *Dilatavit infernus os ſuum abſque termino*, & hoſtis ille infernalis cælo deturbatus, atque ad ſempiternos damnatus ignes, *circuit tanquam leo, quærens quem devoret*, ſecumque ad eadem devolvat ſupplicia: & nos ſegniores ſimus ad ſervandos, quàm ille ad perdendos homines? Eheu cæcitatem & torporem humani generis in mille periculis interitus

Deſiderium zeli animarum. *Iſa. 5.* *Diabolus magis ad perdendos homines vigilat laboratque.*

ritus

ritus verſantis! *Lata eſt via, quæ ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam.* ducit huc caro blanditiis, honor ſplendore, opes cupiditate, Dæmon conſiliis. & plerique ſequuntur atque obſequuntur; cur non ſuccurrimus, diſſvademus, abſtrahimus? Ipſe de cælo accurrit unigenitus Patris & *cum in forma Dei eſſet, exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus*; ut erudiret vita ſua homines, perditoſque morte ſua liberaret, reſurrectione excitaret ad ſalutem, aſcenſione viam ad cælum panderet Quid eſt, cur ipſius veſtigia non ſequamur, & eâ, quâ præceſſit vitæ diſciplinâ, nos alioſque ad glorioſam mortem cælumque deducamus? Qui enim nos redemit à morte æterna ſine nobis, non deducet ad æternam vitam ſine nobis. *Dei enim miniſtri ſumus,* quàm nobile officium! *Dei adjutores,* quanta gloria! O me miſerum, ſi quos ego ad ſalutem juvare tenebar, hos conſilio, aut exemplo perdidi! Me infelicem, qui tot occaſiones proximum ad bene agendum excitandi neglexi, & tam caro emptam pretio ſalutem non æſtimavi! Vtinam ex hoc ſaltem momento, ut par eſt æſtimem, eamque in me ac proximo verbis exemplíſque vitæ ad Dei gloriam promovendam inſtitutis, urgeam! Da, ô bone Jeſu, qui morte tuá mundum redemiſti, ne in me, & tot etiamnum in ſalutis diſcrimine viventium animabus, pretium ſanguinis tui ſit irritum Tu qui potuiſti redimere, potes & confugientes ad te ſalvare.

quàm nos ad ſervandos.

Chriſtus neglectâ cœleſti gloriâ, quâ frui citius poterat, per multa adverſa proximi ſalutem quærit.

Glorioſum eſt Chriſti, hoc in opere adjutorem eſſe.

II. PUNCTUM.

CONſidera, quemadmodum Chriſtus, *cum dilexiſſet ſuos; uſque in finem dilexit eos.* Nam diſceſſurus ex hoc mundo, oſtendit ſe diſcedere, quidem viſibili ſpecie, ut majus ſit fidei noſtræ meritum, creſcatque rurſum in gloria videndi deſiderium: manſurum tamen ſe etiam inviſibili modo nobiſcum promiſit: *Ecce* ait, *ego vobiſcũ ſum uſque ad conſummationem ſeculi*: Quia *qui manet in charitate in me manet, & ego in illa.* Quin etiam, *ubi duo vel tres in nomine*

Chriſti aſcendentis amor erga nos perſeverans. Ioan. 13.

Matt. 28.

1. Ioan. 4.

Matt. 18. *meo congregati ſunt, in medio illorum ero.* poſtremò, *qui manducat meam carnem, & bibit meum* Ioan. 6. *ſanguinem in me manet, & ego in eo* En quomodo Chriſtus, quámque efficaci amore, quo avelli à nobis nequit, nos uſque in finem diligit. Quàm æquum igitur eſt, ut talem tantúmque Dominum, tam conſtanti benevolentia, &amore nos proſequentem, viciſſim in finem uſque diligamus? Quis ille, ut nos amet, poſtulétque à nobis amari? qui nos, ut digni ſimus, ad tantæ majeſtatis bonitatiſque amorem provocari? quantum dedecus, ſi, vel recuſemus invitati; vel jam amati amanteſque deficiamus! non ille leviculos & inconſtantes amicos requirit, aut æſtimat, qui in ſecunda rerum fortuna affluant, & in tempore tentationis recedant; ſed tales, qui cum illo, *per patientiam currant, ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ, atque in dextera ſedis Dei ſedet.* Vera virtus inter adverſa non deficit. Charitas patiens eſt, omnia perfert, & omnia ſuſtinet. Vnde & Paulus ſuos Hebræos admonet: *In diſciplina perſeverate. Tanquam filiis ſeſe offert Deus. quis enim filius, quem non corripit Pater? Quodſi extra diſciplinam eſtis, jam adulteri eſtis, & non filii.* Vana omnis pietas, religio, virtus, ac ſanctitas in hoc mundo noſtra eſt, niſi acceſſerit perſeverantia, & dilectio uſque ad finem, quæ ſola coronat. *Qui perſeveraverit uſque ad finem hic ſalvus erit. Qui* verò *mittit manum ad aratrum, & reſpicit retrò, non eſt aptus regno Dei.* Periculoſa,

Et amor noſter erga Chriſtum, in quovis caſu perſeverare debet.

Heb. 12.

Perſeverantia amoris ſola coronat.

Matt. 10.

Luc. 9. 62.

loſa, uti in febribus, ſic & in peccatis recidiva eſt: tantò difficilius navis in portum ducitur, quantò in ſcopulos allidit frequentius. Qui ſæpius proditionis compertus eſt, aut rebellionem in rep. moliri; tandem nullam, licet filius, à Rege gratiam impetrat: *Si refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini & Salvatoris Ieſu Chriſti, his rurſum implicati ſuperantur; facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus, &c. contigit enim illis illud proverbii. Canis reverſus ad vomitum & ſus lota in volutabro luti.* Gravis Dei comminatio eſt: *Cum averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, in injuſtitia, quam operatus eſt, morietur.* Hoc igitur poſt omnem conatum noſtrum agendum eſt, ut bene jam cœptis, & ſanctis per has pias exercitationes conceptis propoſitis, conſtanter inſiſtamus: &, nec minora quidem bona contemptim deſeramus: aut delicta leviora admittamus. Nam *qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Unde *qui ſtat, videat ne cadat*: nam facilius eſt cavere ſcopulos, quàm navim redintegrare: conſervare ab igne domum, quàm ex cineribus reſuſcitare. Saul ac Salomon cum ruere cœperunt, quò non abierunt præcipites? quantilla levitas uxorem Lothi, jam Sodomæ flammis ſubductam, in ſtatuam ſalis transformavit? Perſeverandum in bene cœptis, aut pereundum eſt. Quis enim novit, an non ſibi hæc defectio & lapſus futurus ſit ultimus? Et licet non fuerit; caro tamen & virtus tua facta imbecillior, cupiditas & Dæmon fortior, gratia & Deus alienior. Rarus eſt, qui iterum non cadat, ſi frequenter ceciderit.

Recidiva periculoſa eſt.

2. Pet. 2. 20.

Ezech. 18.

Eccli. 19.

1. Cor. 10.

Minima minimè negligenda, ut perſeveres, & coroneris.

Et quid omnia in cœlo terrâq; ad ſalutem tuam præparata tibi profutura ſunt, niſi denique in bono perſeveranter ſteteris? *Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sic currite, ut comprehendatis.* Soli, qui metam victor attigit, bravium datur.

Bern. ad Ianu. Ep. 10.

AFFECTUS. *Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam, & dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas!* O anima mea, *vilis facta eſt nimis iterans vias tuas!* Quàm triſte factum eſt, quod Apoſtolus intimis amicis Dei malitioſè prolapſis denuntiat. *impoſſibile*, ait, *eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus S. guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigientes ſibimetipſis filium Dei.* Pondera, quæ accepiſti beneficia, lumen, dona cæleſtia, Spiritus S. gratiam, virtuteſque operantis in te Dei: & quanto hæc in te ſenſeris majora, tantò amplius cave ne ingratus contēnas, & in priſtina delicta, ex hoc ſtatu tuo devolvaris. læſus ſæpius Dei amor fit furor. Et quomodo ſperabis, ut tibi impoſterum parcat, qui proximis ſibi *Angelis peccantibus non pepercit; ſed rudentibus inferni detractos in tartarum dedit cruciandos!* Recepta in Dei gratiam es: *vade, & noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Vides ante oculos, tam præſentia diſcrimina, tot caſus aliorum pereuntium, tot labores & dolores generosè perſiſtentium, ut anguſtam hanc viam portamque ad vitam ſubeant, tantam ex omni ætate ſexuque martyrum fortitudinem, tantam virginum in cilicio ac cinere continentiam, tantam Confeſſorum fidem, Apoſtolorum zelum, conſtantiam omnium. Quod iſti & illæ potuerunt, tu non poteris? Nunquid idem tibi exemplar Salvatoris propoſitum eſt, eadem te Dei promiſſio invitat, eadem Dei amantis charitas provocat, idem in cælo præmium exſpectat? Ubi talis ardor tuus, qualis Ignatii Martyris clamantis, *Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantum-*

Eccli. 2. Ier. 2. Hebr. 6. *Timor recidivæ à vero Dei amore.* 2. Pet. 2. Ioan. 5. *Exemplo Sanctorum in arduis quibuſque fortiter ſtandum.* Hier. l. 1. de ſcript. Eccl.

tantummodo ut Chriſto fruar? ubi conſtantia Pauli glorantis: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos ſeparare à Charitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro?* O Domine Deus virtutum, *confirma hoc, quod operatus es in nobis.* Da, ut ſi non aſſequar heroes iſtos, ſaltem *deſtinatum perſequar, ad bravium ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto Ieſu.* largire, obſecro, ne in æternum tuá gratiá, & meo hoc propoſito, deſiderióque te amandi deſtituar. Rom. 8. Pſal. 67. Phil. 3.

III. PUNCTUM.

DOminus Jeſus eductis foras in Bethaniam diſcipulis, benedicens *ferebatur in cœlum, ubi à dexteris Dei ſedet.* Et *ecce, duo viri adſtiterunt juxta illos, in veſtibus albis: qui dixerunt: Hic Jeſus qui aſſumptus eſt in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Luc. 24. Act. 1.

Chriſtus aſcendit nobis locum præparaturus; ut eandem poſſideamus gloriam.

Expende hìc glorioſum finem certantis in terra Chriſti & nunc in cœlo triumphantis. Aſcendit ille ſuper nubes *ſicut aquila, provocans ad volandum pullos ſuos.* Egreſſus *tanquam ſponſus de thalamo*, ad ſublimem gloriæ ſuæ thronum, invitans poſt ſe amantem ſponſam, ut innixa ſuper dilectum, illis deliciis affluat, & voluptatibus, quibus *inebriabuntur ab ubertate domus Dei.* Patrem deinde his verbis eſt affatus: *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus, & te clarificavi ſuper terram, opus conſumavi, quod dediſti mihi, ut facerem. Et nunc clarifica me, Pater apud temetipſum, claritate quam habui, priuſquam mundus fieret, &c. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi.* Quantæ fiduciæ, & quanti amoris plena ora- Ioan. 17. 4. v. 24.

tio,

nio, quâ & partam ſuo ſibi labore gloriam vendicat, & communicat nobiſcum! *Habemus Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jeſum filium Dei. teneamus ſpei noſtræ* (qua ad eandem gloriam deſtinamur) *confeſſionem.* Contemnamus mundum hunc, ejuſque vanitatem, qui cœlo nati ſumus. Paulus nos exſtimulat. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Ambulemus in terris corpore, ſed ibi noſtra ſint corda, ubi vera ſunt gaudia. Opes te delectant? perge ad civitatem, cujus plateæ aurum mundum, & cujus ſtructura ex omni lapide pretioſo. caperis voluptate? ibi Deus *torrente voluptatis potabit* omnes. Gloriam & imperia ſectaris? Chriſtus illic promittit: *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi, cum Patre meo, in throno ejus.* Quæris afflictus conſolationem? *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor.* Quidquid mali averſaris hinc aberit: quidquid boni deſiderabis, ſupra votum poſſidebis. Nam cum *videbimus eum ſicuti eſt*, qui eſt omne bonum, & ipſe in nobis, & nos in illo poſſidebimus omne bonum. Quocirca *aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Jeſum*, qui à dextris Dei ſedet, noſque ad eandem invitat gloriam, curramus indefeſsè ad propoſitum nobis bravium, donec ipſe occurrat dicatque: *venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

[Margin notes: Hebr. 4. 14. — *De hac gloria ſæpe cogitandum.* — Coloſ. 3. — Apoc. 21. — Pſal. 35. — Apoc. 3. 21. — c. 21. — *Ibi erit omne bonum, aberit omne malum.* — Matt. 25.]

AFFECTUS

AFFECTUS ET COLLOQUIUM. O exoptata, jucunda, divina vox: *venite, poſſidete, regnum Dei!* quando ſonabis in auribus meis, quando tantum bonum poſſidebo! *quam dilecta tabernacula tua, Domine Deus virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini! Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te!* Quando veniam & apparebo ante faciem tuam? *quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.* Fac me ſicut unum de mercenariis in regno tuo; quia, *elegi abjectus eſſe in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Totus mundus in maligno poſitus eſt, & replet amaritudine animam meam, nec ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu, tantum *ſatiabor cum apparuerit gloria tua.* Tunc *ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. Et ſuper excelſa deducet me victor in pſalmis canentem.* Ibi omnes Sancti tui, *memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt & exultabunt in juſtitia tua. O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Nimis honorificati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum!* Benedictus Deus, *qui de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat!* Benedictus, qui nos elegit, à conſtitutione mundi, in partem ſortis ſanctorum, ut eſſemus conformes imagini filii, hic in vita, & illic cum Chriſto in gloria. Etenim *Salvatorem expectamus Dominum N. I. C. qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Deſiderium patriæ cœleſtis.
Pſal. 83. 2. 3. 5. 11.
Pſ. 16. 15.
Abac. 3. 18.
Pſ. 144. 7.
Pſ. 30. 20.
Pſ. 138. 17.
1. Reg. 2. 8.
Phil. 3.

Veni, ô Salvator, veni ſpes animæ meæ, veni ô dilecte mi, *ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus. O, quando veniam, & apparebo ante faciem tuam?* quando tibi dicam: *inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam?*

Pſal. 41.
Cant. 3. 4.

CHRISTUS. *Eſtote parati, quia, qua hora non* Luc.

putatis,

Apoc. 21. *putatis, filius hominis veniet.* Ecce apertum tibi,
3. per meum aſcenſum, eſt *tabernaculum Dei cum*
7. *hominibus, & habitabit cum eis. Qui vicerit poſſi-*
debit hæc; & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.
Apoc. 22 *Tempus prope eſt: qui juſtus eſt juſtificetur ad-*
11. *huc, & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Ecce*
venio citò & merces mea mecum eſt, reddere uni-
cuique ſecundum opera ſua.
20. ℟. *Amen, veni Domine Jeſu*, ut amem, te ſi-
ne remiſsione, gaudeam tecum ſine fine.

DISTICHON MEMORIALE

Diſcipulos toto orbe jubet reſonare (2) futurus
E cœlis præſens (3) quos modò ductor adit.

MEDITATIO

MEDITATIO POENITENTIS

De Filio Prodigo à Patre recepto, ante Confeſſionem inſtituenda.

VERITAS. Prodigus hereditariâ portione, quam à Patre acceperat, luxurioſè conſumptâ, ſatiari porcorum ſiliquis fruſtra deſiderat. (2) Unde ad patriam aſpirans domum; cùm, deprecatus obnixè ſcelera, admiſſus eſſet; (3) priori reſtitutus apud Patrem gratiæ eſt, magno utriuſque gaudio.

PRÆLUDIA *ex hiſtoriæ propoſitione, cum petitione gratiæ, formentur.*

I. PUNCTUM.

CONSIDERA, quemadmodum Prodigus adoleſcens, hereditatis ſuæ portione acceptâ, à patria domo in longinquam regionem receſſerit, ibidem vivendo luxurioſè diſſipaverit ſubſtantiam, ac deinde in ſervitutem immiti hero mancipatus, & porcorum cuſtodiæ adhibitus, præ immani fame, nec porcorum quidem ſiliquis ad ſatietatem paſtus ſit.

Luc. 15. *Prodigus à Patre digreſſus, liberâ diſſolutâque vitâ, ad extremam calamitatem redigitur.*

EXPENDE, quàm amara hæc ſors, quantáque adoleſcentis hujus calamitas fuerit, & quo modo ad hanc ſenſim prolapſus ſit. 1. Adoleſcentior id fecit ætas, quæ patris & fidelis moni-

toris oculum, ac diſciplinam vitabat, 2. opes ab indulgente patre conceſſæ, 3. peregrina natio, ac diſſoluta ſocietas, 4. occaſio luxurioſe vivendi juvenem præcipitarunt, & ætatis tempus, opes à Deo conceſſas, integritatem vitæ conſcientiam, famam & felicitatem omnem peſſunderunt.

Expende vitæ tuæ hactenus tranſactæ rationes.

Hæc ſtulta & perverſa Prodigi illius vita fuit. At quænam antehac tua? Túne hanc ætatem quæ humanæ vitæ flos eſt, utique Deo autori ſuo inprimis debita, rectè impendiſti, neque eorum qui te obſervarent oculos, qui corrigerent diſciplinam ſubterfugiſti? Jlle à terreno patre deflexit, magno ſuo diſcrimine, & pernicie graviſſimâ. Et tu forſan periculo non minore animæ à Patre cœleſti peccando deflexiſti? ille abſentis fallere parentis oculos poterat; tu quocunque peſſum abires, nunquam te ſubduxiſti ab illo, cujus *oculi in omni loco contemplantur bonos & malos* (*Prov. 15.*): ille per opes ſibi indulgenter conceſſas, malè periit: tu verò an non iiſdem ad ſcelera abuſus es, quæ ad corporis animæque bonum à Deo tibi erant conceſſæ? ille optimum ætatis ſuæ tempus, ad vitæ morúmque depravationem convertit; & tu an non idem parum utiliter ne dicam malitioſè, prodegiſti? Jam quæ inde congeries malorum, & in Prodigum, & in teipſum redundarit, facilè vides. Ad extremam ſi non corporis, certè animæ tuæ divinæque gratiæ & virtutum omnium indigentiam redactus, porcis, hoc eſt impuris tuis cupiditatibus, ſervire cogeris, vix ſervorum Dei numero, nedum filiorum & heredum

cœleſtis

cœleſtis patriæ accenſendus. ubi jam ætas tempuſque, præ tot mortalibus in ſuo ſcelere pereuntibus tibi ad ſalutem conceſſum? An non cogitas adfuturum (& fortè brevi) patremfamilias, qui dicat: *redde rationem villicationis tuæ* ubi tempus? ubi opes? ubi ætas? ubi talenta tibi credita? rectène, an perperam impenſa? Quid adhæc reſpondes; niſi illud Jobi, & tu multò, quam ille, juſtius? *dies mei velociores fuerunt curſore; fugerunt & non viderunt bonum.* Hoc ſi ille de ſua ætate queratur, quàm tamen ita exegit, ut ſeverus ſui ſuarumque actionum cenſor; ſubjiciat: *verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti*: tu quid coram eodem Judice, in cujus oculis ætatem exegiſti, qui ſcrutatur renes & corda, dicturus es? qui potius cum Prodigo & illis apud Sapientem impiis vixiſti, & dixiſti, *Venite fruamur bonis quæ ſunt, nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra, ubique relinquamus ſigna lætitiæ.* Quanto verior eorundem, licet ſera nimium oratio: *Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam.*

Memineris has Deo aliquando exactè reddendas.

Iob 9. 25.

v. 28.

Sap. 2.

c. 5.

Affectus. *Verè, Domine Deus, & ſupreme Judex meus, tanquam umbra, quæ ſine luce eſt, quæ horrore plena, quæ facilè evaneſcit, præteriit vita mea; nihil in illa lucis: tenebrarum & horroris ac ſcelere plena ſunt omnia. Ah ætas malè perdita, quæ* tanquam navis *in fluctuante mundi aqua, variis jactata cupiditatem fluctibus, nullo vitæ præteritæ fructu; magna Dei offenſione, pertranſiit!*

Dolor pœnitentis de vita præterita.

Sap. 5.

O infelix anima, & melius nunquam condita: quæ ſecuta indomitas affectiones corporis tui Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblita es Domini creatoris tui! Vidit Dominus & ad iracundiam concitatus eſt: *& quid reſpondebis illi, de illo ſalutis tibi conceſſo tempore, non ſolùm malè tranſacto, verùm ad perniciem animæ tuæ, ac opprobrium conditoris & redemptoris tui, ſceleratè converſo? Præteriit illud damno irreparabili, æternùm non rediturum. Illis corporis animæque facultatibus, quas Deo autori datorique tenebaris impendere, ad illius contemptum & ignominiam abuſus es. iſto gratiæ divinæ, & vocationis tuæ ad Chriſtianam fidem talento, quo theſaurum tibi in cœlo ſempiternum atque inæſtimabilem comparare poteras,* theſauraſti tibi iram in die judicii, *cuſtodes Angelos, cœleſtes beatorum animas, ipſum Deum à te avertiſti; & quos amicos ac muneratores habere poteras, hoſtes ac vindices in te concitaſti. O te ſalutis ſuæ & æternæ felicitatis ſtultiſſimè prodigum! O malè à cœleſti patre divulſum, & ad tantam calamitatis abyſſum miſerè præcipitem! Iſtisne hærebis in ſordibus, & cum Prodigo ad cupiditatum tuarum, velut porcorum, ſiliquas nunquam tamen ſatiandus, te abjicies? nondum tantæ te pudet vecordiæ, tantæ tædet calamitatis?* Surge qui dormis, & exurge à mortuis & illuminabit te Chriſtus. *Deteſtare ſcelera tua, & pravam cupiditatem; deſere occaſionem, & perverſam ſocietatem. Denique* pro anima tua non confundaris dicere verùm. Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiã. Non confundaris confiteri peccata tua. *Nã,* qui

Deut. 32.

Propoſitum emendationis & Confeſſionis.

Eph. 5.

Eccl. 4.

qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit,& reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. *O Domine, Da ut ſequar tam ſalutare conſilium tuum, & ne cum Prodigo* tradas beſtiis animas confitentes tibi. *Malo nunc coram uno erubeſcere homine, quàm olim in judicio coram mundo univerſo: nunc cum ſcelerum veniâ, quàm olim cum pœna. Recipe me prodigum, ô Pater optime, in ulnas divinæ miſericordiæ tuæ.* Prov. 28. Pſal. 73.

II. PUNCTUM.

Prodigus dolens ſupplexque ad Patrem reverſus, benignè excipitur.

EXpende, quomodo Prodigus, cùm nec ſiliquis quidem porcorum ſatiari poſſet, memor, quòd mercenarii etiam in domo Patris abundarent panibus, ſurgens ad Patrem iverit. qui cùm à longè venientem conſpexiſſet, miſericordiâ motus, accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eum eſt, dicente Prodigo: *Pater peccavi in cœlum & coram te, & jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* Ubi multa ponderatione digna ſunt. 1. quod ſiliquis porcorum ſatiari non potuerit. Non enim hujus mundi bonis, ſive in quæſita voluptate, ſive in honore,& opibus, ſatiari hominis animus unquam poterit, nec ſecurè acquieſcere: cujus, ut experientiam quotidianam, etiam in Principibus & Regibus hujus mundi, taceam; illuſtre exemplum eſt Salomon, qui poſtquam afflueret univerſis, ſuo etiam genio indulſit omnia, ipſo confitente: *Dixi in corde meo, vadã & affluam deliciis, & fruar bonis. Et omnia, quæ deſideraverant oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Sed quis finis? Siliquas por-

Vanitas mundi ejuſque bonorũ expendenda. Eccle. 2. v. 10.

corum ſectatus eſt, & impleri non potuit. Vnde mox ſubjicit: *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.* Meritò igitur ab his ad Patrem cœleſtem, cum Prodigo, convertimur: ubi etiam mercenarii, & ultimi Dei ſervi abundant panibus conſolationis, & ſatietatem quietémque reperiunt.

Miſeratio Dei oblata, periculosè negligitur.

2. Bene expendenda eſt profuſa miſeratio Patris erga Prodigum, qui cum adhuc longè abeſſet, miſericordia motus, accurrit, amplexus, exoſculatus eum eſt. Vnde ſumma Dei erga peccatores elucet benignitas, qui priuſquam rogetur, etiam invitat & miſeratione preces noſtras prævenit: monente Chriſto: *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus cœleſtis traxerit eum*: & Paulo: *non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*, unde diligenter peccatori cavendum eſt, ne Dei miſeratione ad pœnitentiam invitatus, venire recuſet, tantamque ejus benignitatem ingratus aſpernetur, ne audire cum impiis Dei contemptoribus cogatur: *quia vocavi & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſanabo*; ſed potius illa benedictione Deum audientium fruatur: *qui autem audierit me, abque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato*; quia amplexu amantiſſimi ſimul & potentiſſimi Patris excipietur.

Joan. 6.

Prov. 1. 24.

v. 33.

Humilitas & dolor Prodigi, propter offenſum Pa-

3. Profunda humilitas, & ſerius dolor Prodigi pœnitentis obſervandus & imitandus peccatori eſt. agnoſcit peccati ſui coram Patre admiſſi gravitatem, quo cœlum Deuſque offenſus,

fenſus, & quo ipſe filii nomine indignus factus ſit. ubi cum Patris bonitate ac dignitate ſuam confert malitiam & indignitatem, factúmque ſuum deteſtatus, miſerationem implorat, & tanquam ultimus ſervorum ad domum Patris cupit recipi, quo affectu promptum deinde ſerviendi deſiderium exponit, verèque pœnitentis imaginem exprimit, cujus eſt, *& perpetrata mala plangere, & plangenda nolle perpetrare*, deteſtari præterita, & cavere peccata futura; monente Deo; *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Et quid dubitas? juravit hanc tibi Deus veritatem. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur à via ſua, & vivat. Impietas impii, non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* An moraberis, & tam amanter revocantem Dominum contemnes?

trem, imitandus.

S. Gregor. hom. 34.

Iſ. 55.

Ita dolentem Deus recipit.

Ezech. 33.

Affectus. Quàm magna miſericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad ſe! *Sed tu, ô Domine, miſerator & miſericors, reſpice ſuper hanc infirmam creaturam tuam, quæ ſine te nihil poteſt facere*; converte me, & convertar; quia Dominus Deus meus es tu, *qui* das velle & perficere. *O Ieſu Salvator optime, per te habeamus acceſſum ad Patrem*, qui es via, veritas, & vita: quia nemo venit ad patrem, *te fatente*, niſi per te. *Tuum hoc promiſſum eſt*: eum qui venit ad me, non ejiciam foras. *Ecce ego infelix peccator venio ad te, & ſuplex tuis advolvor genibus, perque illum, quem pro me fudiſti ſanguinem,*

Eccli 17.

Ier. 31.

Miſericordiæ divinæ imploratio.

Ioan. 14.

c. 6.

rogo & obſecro, miſerere, jam non filii, ſed ultimi ſervi tui. Qui licet indigniſſimus tuâ ſit gratiâ
Matt. 15. *& miſeratione; tamen* etiam catelli edunt de micis, quæ cadunt ex menſa Dominorum ſuorum. *Noli intueri graviſſimam indignitatem meam; ſed infinitam tuam bonitatem & miſericordiam, quæ tantò illuſtrior futura eſt, quantò*
Dolor & deteſtatio peccati ex amore Dei. *ego Prodigus & ingratus filius ſum abjectior. O Paſtor optime,* erravi ſicut ovis, quæ periit, quære ſervum tuum. *Deteſtor non tantùm abominanda ſcelera mea, quia ſummè diſplicent divinæ majeſtati tuæ; ſed & execrabilem cupiditatem, per quam præcipitatus ſum, & infidas mundi hujus illecebras, per quas ſeductus ſum, & receſſi à Deo ſummo & unico bono meo. O quàm hæ breves & lubricæ deliciæ! O peccandi inſana voluptas, quàm citò evaneſcis! quàm longam poſt te relinquis amaritudinem! O vanitatum vanitas, quàm multos decipis & affligis! toto animo & corde averſor & execror, quidquid eſt fallacis boni & gaudii.*
Iob. 20. *Verè enim* laus impiorum brevis & gaudium hypocritæ inſtar puncti.

Surgam *igitur* & ibo ad Patrem meum, *& à mundo, à carne, à vitiis & concupiſcentiis meis ad te Deum meum, qui es ſummum & incommutabile bonum; qui ſuprema es veritas, & fallere*
Iſ. 44. *non potes cum dicis:* revertere ad me, & ego exaudivi te. *Qui ſuprema bonitas es, &* non vis
Fiducia pœnitentis in bonitate Dei. mortem peccatoris, ſed magis, ut convertatur & vivat, *qui* cor contritum & humiliatum non deſpicies. *Quia proprium eſt tibi, miſereri ſemper & parcere. Tu Dominus omnium,* in cujus manu ſunt omnes fines terræ, *qui jam olim*

promi-

promiſiſti ſi reverſus fueris ad omnipotentem: tunc ſuper omnipotentem deliciis afflues, & elevabis ad Deum faciem tuam, rogabis eum, & exaudiet te. *Revertor ergo ad te, ex toto corde meo, ô Deus, ſpes mea, ac tota fiducia & ſalus mea, qui vis, & potes cum Prodigo me in ulnas divinæ miſerationis tuæ recipere: peccavi in cœlum, & coram te: nec ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis*, quia ſervus tuus ſum ego. *Ah! quod te Patrem optimum unquam offenderim, qui hactenus me à toties promeritis inferni pœnis, tot aliis pereuntibus (& pereuntibus æternùm) præſervaſti! O me ingratum ſi tanti beneficii memoriam unquam deponam, tantam bonitatem totis viribus animæ meæ non amplectar, laudem, glorificem in ſecula!* Benedictus es Dominus in firmamento cœli, & laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſecula. *Vtinam ex hoc momento, tantâ charitate & miſeratione amplectentem me Patrem, Angelorum & Sanctorum omnium deſiderio, amore, laude, gratiarum actione illoque inprimis quo Beatiſſima Virgo Maria, & ſanctiſſima Christi humanitas, amoris affectu, Deum ſummum bonum meum amplecti poſſem! Quod cum nequeam, horum omnium laudibus, obſequiis, & charitati, frigidum hunc affectum meum conjunctum offero, meque, in holocauſtum perpetuum divini amoris, æterno Patri, Filio, & Spiritui S. conſecro; ut mori prius malim, quàm ab illo rurſum deficere. O mi Deus, noli me ex brachiis paternæ tuæ charitatis unquam dimittere! Tibi ſoli vivam ac moriar, Deus meus & omnia.*

Iob. 22.

Gratiarum actio, & deſiderium propoſitumque perfectè ſerviendi.

III. PUNCTUM.

Patris erga prodigum revertentem amor incredibilis.

ATtende, quâ promptitudine, quo deſiderio, & amoris affectu, & quâ denique benevolentia ac liberalitate redeuntem ad ſe Prodigum Pater exceperit. Occurrit, à longè venienti, in amplexus paternos explicatis brachiis, amantiſsimè colligit, ſtringit, admotiſque oſculis deſuaviatur, ſalutat, ut deſideratiſſimum filium, omnibus humanitatis officiis ornat. Famulóſque ad ſervitium non ſolum evocat, verùm & properare jubet; ut ſqualorem omnem tollant, & tanquam filium heredemque prioribus ornamentis induant: *citò*, ait, *proferte Stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus. Adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur; quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat & inventus eſt.* Quâ tantâ charitate ſe uſque adeò in filium revertentem effudit; ut alter filius, qui à Patre nunquam diſceſſerat, invidiâ non parvâ laborare, & queri cœperit, ob ſimilem, amoris affectum, & parem liberalitatem ſibi nunquam præſtitam. En imaginem divinæ charitatis, & profuſæ munificentiæ, quâ demiſsè & ſeriò redeuntem ad ſe peccatorem amplectitur. Fingine amor poterit, qui hunc Dei erga homines pœnitentes amorem ſuperare queat? Et tamen vicit Deus hoc etiam charitatis erga prodigum exemplum, quando propter redimendos peccatores, illoſque in gratiam recipiendos, non tantùm vitulum mactavit ſaginatum, ſed proprium atque unigenitum filium ſuum, per acerbiſsimam mortem,

Dei erga peccatorem pœnitentem amor longè major.

mortem, in ligno crucis obtulit; ut nos ab æterna redemptos morte ſecum in æterna gloria in cœlis collocaret; & hic, in terris, nobis præpararet eſcam, in qua eſſet omne delectamentum ſuavitatis, gratia ac vita ſempiterna. *Commendat* enim, Paulo teſte, *charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* En filii vitam, pro nobis adhucdum inimicis, oblatam: *multò igitur magis, nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus: multò magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius.* Hanc Dei erga peccatores charitatem, quæ mens ſatis concipere, aut quæ vox poterit explicare? immenſa, incomprehenſibilis, divina eſt. Jam credimus tibi, ô bone Jeſu dicenti: *non veni vocare juſtos; ſed peccatores.* Indigni verò erimus omnibus miſerationibus tuis: niſi ita nos amantem Dominum, non tantùm ad profuſionem bonorum, ſed ſanguinis quoque, viciſsim amemus & honoremus.

Rom. 5. v. 8.

v. 9.

Luc. 5.

Affectus et Colloquium.

Benedictus ſit pater æternus, Deus ac conditor noſter, per Dominum N. J. C. per quem habemus acceſſum, per fidem, in gratiam iſtam, in qua ſtamus & gloriamur, in ſpe gloriæ filiorum Dei. *Quam immenſa eſt charitas tua erga peccatorem, ô Deus meus! æterna eſt, cum dicas*: in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans. *Profuſiſſima eſt: quia cum univerſis donis vitam etiam propriam Chriſtus pro nobis offerens*, attritus eſt propter ſcelera noſtra: dilexit

Rom. 5.

Gratiarum actio pro immenſa Dei charitate.

Ier. 31.

Apoc. 1.

lexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. *Latiſſima eſt: quia* omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & dedit ſemetipſum redemptionẽ pro omnibus. *O Domine ſi pro tam incredibili amore tuo, quo mihi non ſolum creaturas tuas, verùm & teipſum totũ impendiſti, univerſos ego homines ad te redamandum mecum poſſem adducere, an non jure optimo, in compenſationem qualemcunque tantæ charitatis, ad hoc tenerer? nunc, cum in mea poteſtate omnes non ſint, meipſum tibi negare non potero, nec recuſare quod a me viciſſim petis, ut* diligam Dominum Deum meum, ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex tota mente mea: & proximum propter Deum. Qui *enim* non diligit manet in morte: *à vita animæ, à ſalute, à ſummo & infinito bono, hoc eſt, Deo creatore & redemptore ſuo ſeparatus. Nam in dilectione ſola vera ſalus ac vita eſt. Quia* Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *O felix vinculum, & unio, quæ intimè conjungit Deum homini, & hominem Deo!*

1. Tim. 2.
Deſiderium perfectè Deum amandi.
Matt. 22.
1. Ioan. 3.
Ib. c. 4.

O Pater ſuaviſſime, liquefiat ferreum cor meum igne divini amoris tui, quo me quondam amplexus es, cum in filium reciperes, transfige, dulciſſime Jeſu, medullas animæ meæ ſaluberrimo dilectionis tuæ vulnere, quo in cruce confixus, animam ac vitam tuam pro me æterno Patri obtuliſti. O ſanctiſſime Spiritus, illo tuæ charitatis affectu quo animam meam quondam, ut ſponſam tibi dilectam, amantiſſimè ſtrinxiſti, ardentiſſimam tui charitatem mihi inſpira; ut te viciſſim, cum Deo Patre & Filio, arctiſſimo & perpetuo amoris nexu complectar.

Imploratio opis divinæ ad perfectè amandum.

plectar. O diviniſſima Trinitas, unus Deus, colliqueſcat anima mea ſolo deſiderio & amore tui, Te ubique cogitem, te memorem, te in omni actione ſpectem, te ſequar, te amplectar, te glorificem, in hac vita ſine faſtidio, in vita altera cum gaudio, per æterna ſecula, Amen.

Distichon Memoriale

Prodigus in luxu dum res conſumpſit, egenus
(2) ſuſpirat patriam, (3) ſuſcipiturque, domum.

APPENDIX
De remediis peccatorum.

APoſtoli monitum eſt, *qui ſtat, videat ne cadat.* At ſtare nemo diu conſtantérque poterit: niſi de remediis peccatorum ſolicitus, omnem labendi occaſionem, in via hujus vitæ lubrica, devitaverit. Quocirca paucis, velut in parva tabella, generalia quædam peccati remedia exhibebo. Ad particularia deindè facilius ipſa nos ratio inſtruet. 1. Cor. 10.

Remedia adverſus peccatum generalia.

Quanquam omnes, quotquot his S. Exercitiis utentur, conſultiſſimè facturi ſint, ſi eas, quibus ſe potiſſimum ſenſerint incitari ad peccatum fugiendum, virtutémque ac Deum amandum, rationes breviter in libello quodam manuario ſignaverint, ut eas, in præcipuis labendi occaſionibus, aut dum otium ſuppetit; recolant; quòd alii aliis motivis impelli ſoleant: tamen hîc obiter quædam uſitatiora ſignabo.

1. David fatetur: *Annos æternos in mente habui, & memor fui Dei mei.* fac ſimiliter, & perbrevem vitam tuam cum immenſa, ſemperque & in omne ævum duratura, quam forte brevi inchoabis, æternitate compone, ac dic: *momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.* O immenſa æternitatis ſpatia! ô finis ſine fine! O infelices qui æternùm miſeri ſunt! felices qui æternùm beati! Pſal. 76.

2. Eccle-

2. Eccleſiaſtici monitum eſt. *Memorare noviſſima tu* Eccl. 7. *& in æternum non peccabis.* Age igitur, memorare, recol illud Evangelicum: forte *hodie repetent animam tuam te, & quæ paraſti cujus erunt?* Brevi audies: *redde rati nem villicationis tuæ.* Sciſcitare ex temetipſo: *poteriſ habitare cum ardoribus ſempiternis?* Iſ. 33.

3. Expende dictum Chriſti: *lata eſt via, quæ ducit ad perd tionẽ, & multi ſunt, qui intrant per eam.* Diligenter igitu cavendum, ne ſis in multis. Nam quorum vitam ſequeris eorum exitum aſſequeris. Vt eſt vita finis ita.

4. Si quæ tentatio, aut injuria te premat, ſuſtine; & 2. Cor. 4. dic tibi *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupr modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur i nobis.*

5. Crede tibi à Paulo dictum. Heb. 12. *Recogitate eum, qui talen ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem, & non fatigemin animis veſtris deficientes: nondum enim uſque ad ſangui nem reſtitiſtis.* Si enim propter peccata tua *in viridi ligno* ipſo Servatore Chriſto, *hæc faciunt, in arido quid fiet?* S Deus ipſe propter ſcelera tua ſic attritus eſt, tu nihil ſuſti nebis? Deinde Cave, ne iteres, quod ſic expiatur atque inter illos ſis, qui peccatis ſuis *rurſum crucifigentes filium Dei*, tot infligunt lethalia vulnera quot admittunt pec cata.

6. Propone tibi tot Sanctorum Sanctarúmque exempla qui brevi hic tempore legitimè certarunt, nunc coronantur & præſentis ac futuræ vitæ gloria nunquam finienda perfruuntur. Cogita, quot teneræ virgines juveneſque, ne Deum offenderent, extrema & horrenda prorſus ſupplicia ſuſtinuerint; & dic tibi cum Auguſtino: *quod illæ & iſti potuerunt, tu non poteris?*

7. Orationis ardentis & frequentis exercitia, robur animæ ſpirituale eſſe ſolent. Hæc igitur nunquam erunt negligenda. *Non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis; ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Qui nobis dixit: *Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum plenum ſit.*

8. Crebra proderit ſacramentorum, præſertim pœnitentiæ atque Euchariſtiæ, uſurpatio. Hæc enim ſunt medicamenta nobis ad ſalutem animæ, tanto pretio ſanguinis

nis Chriſti comparata; ut ſi illa negligamus, meritò, tanquam contemptores Dei ac ſalutis, ſuccumbere videamur.


9. Lectio ſpiritualium librorum, & ſacrarum concionum frequentatio, cum deſiderio proficiendi in virtute, juvabit. Cui enim ſpiritualia non ſapiunt, adhuc carnalis homo eſt. Vbi verò caro ita pugnat adverſus ſpiritum, ut hic ſuccumbat, quæ poteſt eſſe victoriæ & ſalutis conſtans ſpes?

10. Principiis obſta, & cum primum tentatio aut adverſitas incumbit; præſenti animo occurre. *Reſiſtite* Iac. 4. *Diabolo*, ait Iacobus *& fugiet à vobis* Turpis cogitatio, negligatur ſtatim. Iram primum ſurgentem, tanquam ſcintillam in ſtramine, opprime. Rem alienam nec in minimis quidem uſurpa. Neminem quantumvis vilem aſpernare, aut tibi poſthabe: neſcis enim quantus quiſque apud Deum ſit. Gulæ etiam quandoque licita ſubtrahe. Porrò ubi jam pravæ conſuetudines invaluerint, ut in morbis ſolet gravioribus, medicina etiam violentior erit adhibenda, & caro, quam deliciis nutriiſti, cilicio aſpero domanda: ut tuus ipſe vindex ſis, dicaſque: *quantum in deliciis fuit, tantum date ei tormentum*: ne à Deo ſeveriore Judice hoc audire cogaris: Avarus & iniquus *peccata ſua eleemoſynis redimat*. Guloſus abſtinentiâ luxum vindicet: Iratus atque invidus, diſcat etiam inimicis ignoſcere ac bene precari. Et ſic de cæteris. Nam contraria contrariis optimè curantur. Et ſi nos ipſos judicaverimus, à Domino non judicabimur.

AD LECTOREM.

SEquuntur nunc illæ, quæ de ſtatu Eccleſiaſtic & Sacerdotali (quanquam & Religioſo in ple riſque ſerviant) ſuſceptæ ſunt commentationes Quas iccirco in S. literis, Patribus, & Concilii bene fundandas eſſe cenſui, ut intelligerent omnes ſe non unius hominis, ſed Dei atque Eccleſiæ totiu leges voluntatemque in his expoſitam accipere Affectus brevitatis cauſa, & quod doctis tantum ſcriberem, exiſtimavi prætereundos. Digitum plerumque intendi, non expoſui. Divinus hac in re ſpiritus Dux & magiſter optimus. Quanquam & ex ſuperiorum Meditationum affectibus oleum ſopitæ queat flammæ ſubminiſtrari. Octo ſunt, ut pro ſingulis diebus ſingulæ, ex Directoris, vel etiam Meditantis arbitrio, in locum tertiæ aut etiam alterius ſurrogentur, vel ſaltē pro lectione ſerviant, per aliarum Meditationum propoſita inculcandâ. Quod ſi quis pro Religioſo homine peculiarem conſiderationem deſideret eam reperiet Tractatu ultimo cap. 5. §. 4. in principio de illius ſtatus perfectione, & in medio de illius commodis, ſic conjugi ſerviet §. 1. cœlibi §. 2. Eccleſiaſtico §. 3. Inquieto in ſuo ſtatu §. 5.

PRO-


Benedicite Sacerdotes Dñi Domino. Benedicite Serui Dñi Domino.
Iuuenes
et Virgines
Reges terræ laudent
et Principes nomẽ Dñi
S. Barbara
S. Lucia
Carolus M.
S. Gaſpar Rex
Dolenter et Amanter
Sincere et Conſtanter
IHS
Probet autem ſeipſum homo.

PRO CLERICIS

Meditationum auctarium.

EMinentiſſimus Archiepiſcopus atque Elector Prin-ceps noſter CAROLUS CASPARUS à Petra hoc anno ſalutis noſtræ M. DC. LXVI. Monumentum ſe-pulchrale erexit, in choro S. Nicolai Metropolitanæ ædi in quò geminatâ facie, hinc ex marmore *Sacerdotalis ar.* illo quo cernis ſtructuræ decore, & columnarum ſtatu-rúmque aſſurgit ordine: inde *mortualis tomba* ſaxea ef-figies, pari operis artificio ac ſpecie, extollitur: tam, u pietatis religioníſque in vita ſeſe eſſe memorem, quàm mortis aliquando venturæ recordationem animo volvere teſtaretur, atque in hoc velut muto ſchemate ſpectatori-bus diceret: *piè vivendum, ut piè moriaris.*

Appoſitè ad rem noſtram, ideóque & huic loco ſche-ma primum *Sacerdotalis ara* opportunum eſſe cenſui. Cur ob hoc præcipuè myſterium miniſteriúmque divini huju ſacrificii Clerus Sacerdotéſque in Eccleſia inſtituti ſint, u puris hoc manibus ac moribus inculpatis tractent, aræ de ſerviant, cantum precéſque, ad illius excellentiam piè ve-nerandam, celebrent. Nihil enim, neque glorioſius, ne-que pretioſius Chriſtiana in terris Eccleſia poſſidet, quàm divinum hunc theſaurum, in ara olim crucis cruento ſa-crificio pro noſtra ſalute Deo patri oblatum; nunc in-cruenta in ſacris altaribus oblatione præſentem. *In Chri-*
Col. 2. *ſto* enim *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſcondi-ti*, & *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Fruſtra igitur ſectamur in rivulis, quod in hoc uno om-nium gratiarum fonte poſſidemus. Proinde expendat Ec-cleſiaſticus, quanti theſauri, quantorúmque bonorum cu-ſtos ſit conſtitutus, *probetque ſeipſum*, ut dignus tanto mu-nere reperiatur. Quod omnino futurum puto, ſi piè at-tentéque ſecuturis conſiderationibus ad vitam rectè inſti-tuendam, & legendo & meditando utatur.

PRO

Pro Eccleſiaſticis ac Sacerdotibus

MEDITATIONES VIII.

Ex S. literis, SS. Patribus, & Conciliis deſumptæ, octiduanæ recollectionis gratiâ.

MEDITATIO I. FUNDAMENTALIS

De fine & vocatione Eccleſiaſticorum.

VEritas. Eccleſiaſticus à mundo ad Eccleſiam, à qua ſic dictus eſt, ſive ad domum Dei traducitur, ut tam ſuæ quàm aliorum ſalutis gratia, Deo fideliter ſerviat. (2) Sacerdotum verò ut ſingularis eſt dignitas, ita & munus Sacramenta Dei piè adminiſtrandi. (3) ac propterea ſupra vulgus ſanctitate morum debent excellere, & tam à ſe, quam aliis debitè ad hanc vocationem probari. Ideo

Concilium Coloniense I. ſic ſtatuit part. 1. cap. 19. & præſcribit Epiſcopis:

Accuratè inveſtigandum eſt, quo affectu ac propoſito ordinandi accedant. Num videlicet Dei cauſa tantùm; an potius ſuæ commoditatis gratia ad Ordines capeſſendos aſpirent, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti.

ORATIO PRÆPARATORIA ex more.

PRÆLUDIUM I. *Statuat ſe in conſpectu Dei* 2. *Petat gratiam agnoſcendi vocationem ſuam.*

I. PUNCTUM.

Finis ſtatus Eccleſiaſtici. CONſidera, quo fine à Deo ſtatus Eccleſia ſticus inſtitutus ſit. Chriſtus te docebit: *e legi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructũ afferatis, & fructus veſter maneat.* Et *jam non dicam vos ſer vos; quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunqu audivi à patre meo nota feci vobis.* Docebit Pe trus: *vos autem genus electum, regale ſacerdotiun gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes eju annuntietis, qui vos de tenebris vocavit in admira bile lumen ſuum.* Monebit Paulus, quid pr tantæ dignitatis officio, quod amicis Dei & ge neri electo regalíque ac genti ſanctæ conveniat ſit præſtandum. *Cum*, ait, *has promiſſiones ha beamus, dilecti, repurgemus nos ipſos ab omni in quinamento carnis ac ſpiritus, perficientes ſanctiſi cationem in timore Dei: nec ullam aliqua in r dantes offenſionem, ut non vituperetur miniſteriun noſtrũ, ſed in omnibus commendemus nos ipſos tan quam Dei miniſtros.* Ut igitur paucis dicam. E ligitur vir Eccleſiaſticus à Deo, tanquam ſin gularis amicus, & traducitur à mundo ad Eccle ſiam, ut in illa Deo miniſtrando fructum faciat tam ſeipſum perficiendo in timore & amor Dei, quàm proximum; ut ita ſalutem conſe quatur æternam.

Ioan. 15.

1. Pet. 2.

2. Cor. 7.

Excelſus planè finis, & omnino idem, quen Chriſtus habuit Salvator noſter, qui ſuis in quit diſcipulis, ad hoc munus electis: *ſicut mi ſi*

Ioan. 20.

ſit me pater, & ego mitto vos. Ad glorioſum ve- *Chriſto ſimiles eſſe tenentur.*
rò hunc finem conſequendum, tales ſibi vult
eſſe in vita ſimiles, ut ſint in honore pares: *qui*
mihi ait miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum,
illic & miniſter meus erit. Quare *elegi vos de mun-* Ioan. 17.
do, ut de mundo non ſint, ſicut & ego non ſum de
hoc mundo. A mundi igitur negotiis tales ab-
ſtractos eſſe vult, qui in domo Dei ſerviant:
Nemo enim *militans Deo implicat ſe negotiis ſe-* 2. Tim. 2.
cularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit. Et ſi ho-
mo ſecularis, *non poteſt duobus Dominis ſervire,*
Deo & Mammonæ: quantò magis Eccleſiaſti-
cus, quem vel ipſum nomen indicat eſſe de Dei
Eccleſia? Addo & nomen clerici, *ſi enim* κλῆ- Hier. ad
ρος græcè, ſors latinè appellatur, propterea vocan- Nep. Ep. 2.
tur clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia
ipſe Dominus ſors, id eſt, pars clericorum eſt. Qui
autem vel ipſe pars Domini, vel Dominum par-
tem habet, talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſſi-
deat Dominum, & poſſideatur à Domino. Et ſanè
nemo Regum hujus ſeculi alia ſibi lege accerſit
aulicos, quàm quòd ſibi, non exteris, ſervire
velit. Unde & illi Eccleſiaſtici præſules, qui
ſimul dominium ſeculare poſſident, præci-
puam tenentur curam impendere Eccleſiæ;
quòd dominium illud, non niſi ad hujus defen-
ſionem conceſſum ſit.

Quantæ verò dignitatis ſit illius eſſe mini- *Summæ dignitatis ſtatus eſt.*
ſtrum, qui eſt Rex Regum & Dominus domi-
nantium, quis ſatis explicabit? Regina Saba at-
tonita Majeſtate & ſapientia Salomonis excla-
mat: *Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant* 3. Reg. 10.
coram te, & audiunt ſapientiam! Sed *beati* po-

tius, *qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Hoc ſcilicet Eccleſiaſticorum hic in terris officium eſt, ſicut beatorum eſt in cœlis. Ita olim Levitæ Clericorum hujus temporis figurâ ſervierunt Deo.

1. Par. 15. *Constituit* enim David *coram arca Domini de Levitis, qui miniſtrarent & recordarentur operum ejus, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Iſraël.* Si hæc in umbra legis veteris: quid in luce legis novæ exſpectes?

Qui in hoc ſtatu degeneres.

Cave igitur alio fine ad hunc ſtatum accedas. Nam *qui intrat aliunde, quàm per hoc oſtium in ovile, hic fur eſt & latro.* Fur, quia Eccleſiæ bona rapit, illi ut par eſt, non ſerviens: latro, quia & ſuam, & aliorũ plurium occidit animã. Tales ſunt, qui nõ accenſi zelo honoris Dei, ſed amore divitiarum, honoris, aut commodæ vitæ; vel impulſu amicorum potius, quàm ſalutis ſuæ, ad hunc ſtatum advolant, & quandóque beneficia, ſine evidenti neceſſitate, cumulant, Eccleſiam aliis miniſtris idoneis fraudant, & aut ventri ſerviunt, aut amicos ditant. Quanta perverſitas eſt, in præcipuo Chriſtianæ vitæ munere, tantam corruptionem inveniri, unde ingentia in univerſam Eccleſiam ſcandala & damna promanant! Expende obſecro, ſiquam animæ ſalutíſque tuæ curam hábeas, quorum numero tu ſis, aut deinde eſſe cogites.

AFFECTUS. *Fuga cupiditatis.* Phil. 2. 21. 2. Tim. 6. *Amor juſtitiæ.*

Deteſtare illorum vitam, de quibus Paulus: *omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti.* Quia *radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem ô homo Dei*

ha

æc fuge: ſectare verò juſtitiam, pietatem, fidem, haritatem, patientiam, manſuetudinem: certa onum certamen fidei, apprehende vitam æternam, ı qua vocatus es. En vocationem & munus uum. Væ, ſi defeceris! Melius tibi eſſet ſi naus, & vocatus ad hæc non fuiſſes. Si aberraſti, edem revoca: *Miniſterium tuum imple.*

II. PUNCTUM.

Conſidera, quis finis, & quanta ſit dignitas in Eccleſia Sacerdotalis officii, ut ſive huc ſpires, ſive illud jam obeas, ſive etiam Sacerlotibus tantùm miniſtres, ejus æquam ratioıem habeas. Hi enim ſunt, qui cum Paulo jue gloriantur: *Poſuit in nobis verbum reconciiationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanuam Deo exhortante per nos. Sic* igitur *nos exiimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores nyſteriorum Dei.* Quænam hæc reconciliatio, uæ diſpenſatio myſteriorum? Eximia ſanè, ıullíque, poſt hominem, niſi ſoli Deo propria. De ſe profitetur Deus: *Ego ſum, ego ipſe ſum, ui deleo iniquitates tuas, propter me.* Quæ adeò oteſtas Dei ſolius eſſe in veteri lege exiſtimaa eſt, ut cum in domo Simonis Phariſæi ChriſtusMagdalenæ pœnitenti diceret: *remittuntur ibi peccata tua; cœperint, qui ſimul accumbebant, icere intra ſe: quis eſt hic, qui etiam peccata diıittit?* Et tamen Chriſtus hanc cum Apoſtos eorumque ſucceſſoribus poteſtatem comnunicat: *Quorum* inquit, *remiſeritis peccata, emittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta unt.* Quam admiranda poteſtas! nullum crinen, nulla perſona, non cauſa, non tempus,

Sacerdotii eminentia.

2. Cor. 5. 19.

1. Cor. 4.

Iſa. 43. 25.

Luc. 7. 49.

Ioan. 20.

Poteſtas ſumma, in

Sacramento Pœnitentiæ & Euchariſtia. non locus excipitur. Remittendi poteſtas datur ſacerdotibus, qui ſoli, ut olim de lepra, ita nunc de peccatis ferunt judicium; ut ipſi ſeſe Principes ac Reges teneantur his ſubmittere. Jam quid, aut quomodo dicam, de ſublimi diſpenſatione illius Sacramenti, quod in ara Dei conficitur, & ſacrificatur, in quo Salvator noſter, ad vocem hominis de cœlo ſeſe demittit, ejuſque deſiderio ac voluntati obſequitur. ubi homo Chriſti ipſius perſonam in terris ſuſtinet, hoſtiámque Deo Patri offert, in totius humani generis reconciliationem, eandemque, quam ille in cruce cruentam, hic incruentam immolat. Ad hoc tam nobile, tam excellum, & nec angelicis quidem ſpiritibus conceſſum officium, non minus infimus in Eccleſia ſacerdos, quam ſupremus Pontifex deſtinatur. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro*

Heb. 5. *hominibus conſtituitur, in his quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* En finem, ad quē ſupremus hic Sacerdotum inter Eccleſiaſticos ordo eſt inſtitutus. ut videlicet illius perſonam gerat, munus uſurpet, illum manibus tractet, ejus carnem ſanguinémque ore excipiat, Deo in reconciliationem offerat, aliíſque diſpertiatur, *in cujus nomine, omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*; coram quo cœlites ipſi procidunt in facies ſuas, & venerabundi exclamant, pro tanti beneficii magnitudine & gratia;

Apoc. 5. *redemiſti nos Deus in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes,* Igitur *ſedenti in throno, & Agno benedictio,*

*tio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſecu-
orum.*

Utinam & nos illo, quo par eſt, affectu hæc beneficia æſtimemus, ac gratias referamus. Quid enim admirabilius, quàm quòd, *qui in terra verſantur, his commiſſum eſt, ut ea quæ in cœlis ſunt diſpenſent: iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus optimus, neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Habent quidem & terreſtres principes vinculi poteſtatem; verùm corporum ſolùm; id autem, quod dico, Sacerdotum vinculum ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos uſque pervadit.* Ozias Rex, cùm, regiâ poteſtate non contentus, ſacerdotii quoque dignitatem uſurpare vellet, more quorundam veteris legis Principum, à Deo ad hoc munus electorum, juſtâ Numinis vindicatione leprâ percuſſus eſt, quòd non vocatus ſacra tractaret. Et ſanè, *Sacerdotium eſt ipſo etiam regno venerabilius & majus. Medius ſtat ſacerdos inter Deum & naturam humanam: illinc venientia beneficia ad nos deferens, noſtras petitiones illuc perferens, & Dominum iratum reconcilians.* Reges corporibus noſtris moderantur, animis Sacerdotes: unde, *quantò corpore anima præſtantior eſt, tantò eſt Sacerdotium regno excellentius.* Quod eſt *omnium bonorum quæ in hominibus ſunt, apex*: cum Sacerdotes *primam & nobiliſſimam membrorum Chriſti Domini partem* conſtituant. Ad tantam dignitatem poteſtatémque vocantur, quotquot ad Sacerdotium in Eccleſia electi ſunt. Attende igitur, quid petas, quiſquis huc aſpiras; quid tractes, quiſquis hoc

Chryſoſt. l. 3. de Sacerd. c. 5.

Sacerdos Regibus & Angelis major.

2. Par. 26. 18.

Chryſ. hom. 5. in Iſa. de Ozia.

S. Clementis Conſt. Apoſt. l. 2 c. 34.

S. Ignat. Ep. ad Smyr.

Greg. l. 14. Mor. c. 16.

AFFECTUS *Timoris.* munus ſuſcepiſti. Cave indignus hoc Sacerdotium quæras, aut uſurpes, quo ſanctiſſimi etiam viri Antonius & Franciſcus Aſſiſias ſe indignos judicarunt, ne cum Ozia aut gravius etiam, cum Core, Dathan, & Abiron, Sacerdotium legale affectantibus, puniaris. Si experiaris te ſingulari pietatis affectu ad hoc officium à Deo vocari: aut jam admiſſum eſſe, age gratias pro admirabili hoc beneficio, teque digna vitæ ſanctitate ad hoc ritè adminiſtrandum compara, ut *miniſterium hoc* cum aliis uſurpes *in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei.* Arduum munus eſt, ſed & honoratum. Cave terrenis te affectibus inquines, qui ad cœleſte hoc officium acceſſiſti.

Num. 16.

Gratiarum actionis.

Eph 4.

III. PUNCTUM.

Vocatio ad hunc ſtatum examinanda.

CONſideret quiſque diligenter: an ad tale tantúmque munus, quantum eſt miniſtrum Dei in Eccleſia ipſius eſſe, aut Sacerdotem, vel Prælatum, ſatis ipſe præparatus accedat. *Habet quippe ſpiritualis prælatio, exteriorem gloriam dignitatis: habet & interioris magnitudinem oneris: nam & Rector honoratur à ſubditis, & portat eos à quibus honoratur.* Præclarè de Sacerdotibus Ambroſius: *Nihil in hoc ſeculo,* ait, *excellentius Sacerdotibus, ſi quod ſumus profeſſione, actione potius, quàm nomine demonſtremus; ut nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini: ne ſit nomen inane, & culmen immane; ne ſit honor ſublimis, & vita deformis; ne ſit Deifica profeſſio, & illicita actio; ne ſit religioſus amictus, & irreligioſus provectus; ne ſit gradus excelſus, & deformis*

Greg. l. 4. Expoſ. in c. 9. l. 1. Reg.

Lib de Dign. ſacerd. c. 3.

formis exceſſus; ne habeatur in Eccleſia cathedra ſublimior, & conſcientia Sacerdotis reperiatur humilior; ne locutionem ſimulemus columbinam, & mentem habeamus caninam; ne profeſſionem monſtremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam, &c. Quantùm præ ceteris gradus eſt altior, tantò, ſi per negligentiam delabatur, ruina eſt gravior. Magna ſublimitas, magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet ſolicitudine circumvallari. cui plus creditur, ab eo plus exigetur. Et idem ſic alibi diſſerit. *In Exodo Moyſis divino præceptum eſt oraculo: ſolve calceamentum pedum tuorum: id etiam præceptum Joſue; detrita & popularis via pulverem deponerent, qui viam Domini ambulare deſiderarent. Dederat præceptum eidem Moyſi, ut montem cum Sacerdotibus aſcenderet, populus autem deorſum ſtaret. Separavit igitur Sacerdotes à populo, & poſt ea præcepit Moyſi, ut nubem intraret. Vides in Sacerdote nihil plebejum requiri, nihil populare, nihil commune, cum ſtudio atque uſu & moribus multitudinis? Sobriam à turbis gravitatem, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim poteſt obſervari à populo, qui nihil habet ſeparatum à populo, diſpar à multitudine. Quid enim in te miretur, ſi tua in ſe recognoſcat; ſi nihil in te aſpiciat, quod ultra in ſe non inveniat: ſi, quæ in ſe erubeſcit, in te quem reverendum arbitratur, offendat?*

Vita reſpondeat dignitati.

Epiſt. l. 1. Ep. 6. Ad Iren.

Plebejam vitam ſuperet.

Expende igitur, num talis eſſe poſſis, quiſquis Clericus aut Sacerdos es, vel certè eſſe deſideras. *Nihil eſt quidem in hac vita, & maximè hoc tempore facilius & lætius, & hominibus acceptabilius*

Væ non vocatis.

Aug. ad Valer. Epiſt. 143.

ceptabilius Epiſcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio ſi perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur; ſed nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius. Væ illis, qui in hæc officia ſe ingerent non vocati, aut certè vocati, dignis ſeſe moribus divino huic miniſterio non aptaverint, audituri denique: *amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores,* qui in luce meæ Eccleſiæ indignè verſatus eſt. Quod Paulus ad Euchariſticam menſam acceſſuris dicit: *probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè judicium ſibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini:* Hoc Clericis maximè & Sacerdotibus, dictum, qui ad hujus Sacramenti non perceptionem ſolùm, ſed & diſpenſationem admittuntur. *Noluit Deus ſanctum ſuum projici canibus.* Quocirca Tridentinum Concilium jure ſtatuit: *Nullum ordinari debere, qui Epiſcopi ſui judicio non ſit utilis, aut neceſſarius Eccleſiæ.* Ne aliis in ſcandalum, ſibi in damnationem admittatur. Suſpice itaque, ac venerare hanc Dei diſpoſitionem, & gratias Deo refer, quod tantâ voluerit diligentiâ, ſaluti multorum, ſuæque Eccleſiæ, per vocationem & juſtificationem illorum, qui dignè huic ſervirent, aut præeſſent, conſulere. Pete gratiam; ut ſi te vocarit, donis ſuis ornare, & tanto idoneum miniſterio efficere dignetur: ne tibi aliiſque in lapidem offenſionis ponaris; ſed *dignè ambules vocatione, quâ vocatus es,* & aliquando audire poſſis: *Euge ſerve bone & fidelis,*

Matt. 22.

1. Cor. 11.

Seſſ 23. c. 16. de Refor.

AFFECTUS *Venerationis & Gratitudinis.*

COLLOQUIUM *& petitio gratiæ.*

fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.

DISTICHON MEMORIALE.

Clerice quære Deum, ſacriſque intende Sacerdos,
(2) Eminet iſte ſtatus. (3) Moribus adde decus.

MEDITATIO II.

De peccatis Eccleſiaſticorum ſollicitè vitandis.

VERITAS. Eccleſiaſticus graviſſimè obligatur omne peccatum devitare, ob ſanctum munus, quod in Eccleſia erga Deum ſuſtinet; (2) Tum verò etiam ratione proximi, cujus ſalutis promovendæ curam onuſque ſuſcepit. (3) Poſtremò quia à ſeculo digreſſus, ab Eccleſia ſuſceptus eſt, ejuſque impenſis alitur, ut Deo ſerviat.

ORATIO PRÆPARATORIA conſueta.

PRÆLUDIUM I. *Coram Chriſto Eccleſiæ capite ſe ſiſtat.* 2. *Gratiam petat agnoſcendi obligationem ſuam & delicta.*

I. PUNCTUM.

COnſidera, quanta obligatio Eccleſiaſticis incumbat ratione ſuſcepti muneris erga Deum peccata omnia cavendi, ut ſancta ſanctè *Sacerdos ſit ſine macula.*

tracten-

tractentur. Quod Deus olim in figura expoſuit: *Homo, ait, de ſemine Aaron, qui habuerit maculam, non offeret hoſtias Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus.* Quo decreto *inſtruit nos, tantò ſceleſtiorem & impium magis eſſe eum, qui cùm impurus ſit, corpus Domini adminiſtrare audet, quantò corpus unigeniti filii Dei excellentius eſt arietibus & tauris. Eſt autem hæc excellentia incomparabilis. Neceſſarium itaque ſemper eſt, maximè verò tanti ac talis myſterii celebrandi tempore, ſervare præceptum Apoſtolicum dicentis: cum has itaque promiſſiones habeamus, dilecti, repurgemus nos ipſos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Olim Deus per Jeremiam de miniſtris ſuæ domus queritur: *Quid eſt, quod dilectus meus, in domo mea, fecit ſcelera multa?* ſummopere admiratus illam ſuorum domeſticorum infidelitatem, quos ipſe præ tot aliis delegerat, dilexerátque. *Caſtificabatur olim populus, per biduum, aut per triduum, ut ad ſacrificium purus accederet, & lavabat veſtimenta ſua. Si in figura tanta obſervantia, quanta in veritate? Diſce Sacerdos, quid ſit lavare veſtimenta tua, ut mundum corpus celebrandis exhibeas Sacramentis. Si populus ſine ablutione veſtimentorum prohibebatur accedere ad hoſtiam ſuam: tu illotus mente pariter & corpore audes pro aliis ſupplicare, audes pro aliis miniſtrare?*

Lev. 21. S. Baſil. de Bapt. c. 2.

Obligatur ad hoc Deo.

2. Cor. 7.

Ier. 11.

Exod. 19. S. Ambroſ. l. 1. offic. c. 50.

AFFECTUS *Dolor peccati.*

Expende igitur, quæ tractanda myſteria ſuſcipias, & num, quibuſdam maculis contractis, his indignum te facias? Dole de admiſſis hactenus, atque in futurum cave: ne miniſterio, quod

quod in remedium peccatorum à Deo inſtitutum eſt, tu ad peccandum abutaris, ipſamque medicinam perverſitate ſumma convertas in venenum.

II. PUNCTUM.

COnſidera, quanta eiſdem incumbat obligatio ratione muneris ſui, quo proximum, à peccatis avocare, & ad bonum, tam verbo, quàm exemplo inſtruere tenentur. Sacerdoti dictum eſt: *clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Id verò quemadmodum dignè facturus eſt, & cum fructu, qui ſceleribus & peccatis obnoxius, dum reprehendit aliorum facta, facit ipſe reprehendenda? an non jure dicetur illi: *Medice cura teipſum.* Tu *qui vides feſtucam in oculo aliorum, an trabem quæ in tuo oculo eſt, non vides?* Hi videlicet ſibi & Eccleſiæ probro ſunt, & proximo offenſioni: plus deſtruunt pravis moribus, quàm verbis ædificant. quos jure Paulus hortatur. *ut nemini dent offenſionem, ne vituperetur miniſterium.* Quis nobis tales rurſum ſacerdotes tribuat, qualem Deus levi commendat? *lex veritatis in ore ejus, & iniquitas non eſt inventa in labiis ejus, in pace & æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum eſt.* Nimirum *doctrina populorum, quæ in Sacerdote eſt, nullo debet mendacio deturpari; ſed tota de veritatis fonte procedere: & iniquitas non eſt inventa in labiis ejus: ut imitetur Dominum, de quo dicitur,* *qui*

Obligatur proximo.

Iſa. 58.

Ne det Scandalum.

1. Cor. 7.

Malach. 2.

Hier. in cap. 2. Mal.

qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt i ore ejus. Expendat igitur diligenter, cujus per ſonam ſuſtineat, quantum in ſe munus, procu randæ apud proximum ſalutis, ſuſceperit: ſiv cùm preces in Eccleſia pro populo fundend ſunt; ſive cùm proximus exemplo vitæ & ver bo etiam à vitiis eſt abſtrahendus: ne non tan tum Deo ingratus, ſed & mundo fiat contemp tibilis. Non irritæ ſunt Dei minæ. *O Sacerdote quia receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos i lege, & irritum feciſtis pactum Levi, propter ho ego dedi vos contemptibiles, & humiles in omnib populis.* Nulla re magis tota religio chriſtian quàm diſſolutâ Eccleſiaſticorum vitâ vileſci *Siquid enim in Sacerdote, vel Clerico juſtè repr henditur, ejus vitio ipſa religionis noſtra æſtimat gravatur.* Jam quanta hinc dimanent ad proxi mum damna, quis ſatis explicabit? *Nullun certè*, ait Gregorius, *majus præjudicium tolera Deus, quàm cum eos, quos ad aliorum correctio nem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit quando ipſi peccamus, qui aliorum compeſcer peccata debuimus, quando pereunti populo morti autores ſumus, cui ad vitam duces eſſe debuimus*

Ne contemnatur Eccleſia.

Malach. 2.

Greg. in Paſt. p. 3. c. 5.

AFFECTUS *Fuga peccati.*

Perhorreſce ad tantum facinus, quiſquis e in hac vita, tanquam Pharo lucida, conſtitu tus, & hoc age, ut ſis maneaſque integer vitæ ſceleriſque purus: Ne aliis Eccleſiaſticis no minus, quàm tibi dedecori ſis, tibique non mi nus, quam proximo ruinæ: ut poſſis cum Pau lo dicere: *Nequis nos vituperet in hac plenitudi ne, quæ miniſtratur à nobis, providemus bona no ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibu*

2. Cor. 8.

It

ita ſanè neceſſe eſt. Hoc fine & à Deo ad Eccleſiam vocatus, & à populo admiſſus Sacramento datæ fidei obligaris, ſi defeceris, quantum ſcandalum! At *væ illi per quem Scandalum venit*, maximè ſacerdoti!

III. PUNCTUM.

Conſidera, quod Eccleſiaſticus non aliud palam coram Deo, Angelis, & hominibus profiteatur, quàm abire ſe à mundo, ut ejus deſideria & cupiditates relinquat; ad Eccleſiam verò tranſire, ut Deo illic, pro ſua & aliorum ſalute deſerviat. Et quod Eccleſia viciſſim non alia illum lege ſuſcipiat, atque ad vitam honeſtam neceſſaria præſtet. Quare ſi deinde aliud gerit, contra Homines, Angelos, Deum, propriámque conſcientiam turpiſſima defectione delinquet. Cur enim à mundo abiit, ſi illius rurſum affectibus voluit implicari, qui libertate retentâ, multa licitè atque impunè ſectari poterat, quæ modò illi nefas eſt attrectare? *Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti; his rurſum implicati ſuperantur, facta ſunt illis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim illis erat non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Infelices hi planè Judæ ſunt, qui Chriſtum ſecuti adhuc mundo & pecuniis corradendis, aut cuicúnque demum cupiditati implendæ deſerviunt, ac denique eo delabuntur, ut cum illo Chriſtum, ſuamque ſalutem prodant. O quanto his melius eſſet, ſi ad hanc nunquam vitæ conditionem adjeciſſent ani-

Obligatur vi profeſſionis ſuæ, quâ renuntians ſeculo, ſe addixit Eccleſiæ.

2. Pet. 2. 20.

mum, imò ſi nunquam fuiſſent nati homine
iſti, per quos Eccleſia idoneis fraudatur min
ſtris, deſtituitur amicis, proſtituitur hoſtibu
à gratia & Deo deſeritur, à ſceleratis intra ip
viſcera conſumitur. Et tamen quot mortaliu
hoc animo, & his moribus in Eccleſiam no
tam immittuntur, quàm irrumpunt! *Quis enin* (cum Bernardo loquor) *jam eâ intentione gra dus Eccleſiaſticos, & miniſteria ſanctuarii quæri ut ſine curis ſæculi, in ſanctimonia cordis & corpo ris, illuminandus accedat ad Dominum, & ſua pariter ac proximorum ſalutem operetur, oration ſtudio deditus, & verbo prædicationis? Nam ſi eo eo quærit & intendit animo eoque intuitu, ut huj vita habeat neceſſaria; evangelizet, ut manduce perverſo nimis ordine cœleſtibus terrena mercatu Quàm certè dignius ampliuſque conſentaneu rationi, ut pro carnali victu, carnalia magis ope ra exerceret, nec fieret inverſor rerum, aut min ſterium ſpirituale inhonoraret.* Dei promiſſu eſt *quærite primùm regnum Dei, & cetera adj cientur vobis.* Perverſum eſt, primùm cete quærere; cùm per hoc & regnum Dei neglig tur, & cetera. Nam ſic Chriſtus non obligatu promiſſo ſuo ad præſtandum cetera. Inſanu ac præpoſterum eſt, velle mundum in Eccleſ ſectari. *Quæ enim conventio Chriſti ad Belia aut ſocietas luci cum tenebris?* Non poſſunt ta diverſa ſociari. Ergo qui alterum amplectitu ut alterum deſerat, neceſſe eſt. Qui à mund venit ad Eccleſiam, non debet adducere, ſed d ſerere mundum. Perverſitas ſumma eſt, ſtiper dia Chriſti percipere & Diabolo qui eſt Prin ceps hujus mundi, mereri.

Declam. in verba. Ecce nos reliq.

Dei ſervus non quærit, ſed invenit neceſſaria.

2. Cor. 6.

Quo

Quocirca Apoſtolus jure nullum vult ad Eccleſiam Dei admitti ab Epiſcopo Timotheo, niſi ante in ſeculo bonis moribus probatum. *Oportet*, ait, *illum teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat & laqueum Diaboli. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Hi autem probentur primùm, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.* Si hæc à Diaconis Sacerdotum miniſtris tam rigidè poſtulantur, quid ab ipſis Deus requiret Sacerdotibus? quàm procul ab ejuſmodi criminibus abeſſe debent?

Non niſi probati ab Epiſcopis admittendi.

1. Tim. 3.

Et, ut intelligas quantum à mundi conſuetudine abeſſe ſuos velit Eccleſia, omnem etiam Eccleſiaſticis profanum habitum prohibet. *Etſi*, ait Tridentina Synodus, *habitus non facit Monachum; oportet tamen Clericos, proprio congruentes ordini, ſemper veſtes ferre; ut per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant, &c. quem ſi, juxta Epiſcopi ordinationem & mandatum, non detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio & fructibus, reditibus & proventibus ipſorum beneficiorum; nec non, ſi ſemel correcti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujuſmodi coërceri poſſint ac debeant. juxta Conſtitutionem Clementis V. in Concil. Vienneñſi editam.* Cauſam hujus decreti addit Concilium; quòd ejuſmodi homines, pedes in diverſis ponentes, alterum in divinis, alterum in carnalibus collocent. Tanta ſolicitudine cavendum

Cõcil. Trid. c. 6.

Nec in habitu quidem aliquid ſeculare ferendum.

vendum Clerico Eccleſia cenſet, quidquid ve
ſuſpicionem levitatis & criminis oſtendit.

AFFECTUS. *Fuga ſeculi & cura divina gratia.* Attende igitur diligenter, quid profiteatu vir Eccleſiaſticus, unde abeat, ne *mittens ma num ad aratrum, & reſpiciens retro, non ſit apti regno Dei*, & ad quem ſtatum, quot privilegiis & beneficiis à vulgo exemptus, tranſeat: *ne han in vacuum gratiam recipiat*, ſed dignum ſe fru ctum adferat. Heb. 6. *Terra* enim *ſupervenientem bi bens imbrem, proferens autem ſpinas & tribulos reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſum matio in combuſtionem.*

Convertat ſe ad Deum potius, & ex tot corde dicat: O Domine, *doce me facere volun tatem tuam, quia ſervus tuus ego ſum.* Expen dat quot peccatis, in Deum, proximum & ſe ipſum obnoxium ſe reddat, quiſquis hic defi cit, & quam raro ac difficulter tales à Deo a pœnitentiam conſtantem ſeriamque recipian tur. Quanto quiſque ex altiori ruit, tanto dif ficilius rurſum ſurgit atque enititur.

DISTICHON MEMORIALE

Sit procul omne ſcelus tam ſancto à munere (2) cura

Teque tuumque gregem (3) lex ea ſcripta ti bi eſt.

(†)

MEDIT. III

MEDITATIO III.

De gravi judicio Dei Eccleſiaſticis improbis imminente.

VERITAS. Grave viris Eccleſiaſticis judicium à Deo imminet; tum quòd lapſus eorum propter ſcandalum graviſſimi ferè ſint; tum quòd multa ab iis ad opus ſanctè præſtandum exigantur. (2) Quare & ſanctiſſimi viri, cum timore Dei, & integritate vitæ in hoc ſtatu trepidarunt, (3) duplicique inprimis virtute, continentia, & ſedulitate muneris, periculum damnationis evitarunt.

ORATIO PRÆPARATORIA communis.

PRÆLUD. 1. *Conſtitue te ante Chriſtum Judicem.* 2. *Gratiam agnoſcendi illius judicia, pete.*

I. PUNCTUM.

COnſidera, quàm grave judicium, & damnatio viris Eccleſiaſticis immineat, niſi commiſſum ſibi in Eccleſia à Deo munus, ut par eſt, exequantur. Veniet enim tempus quando tibi dicetur: *redde rationem villicationis tuæ.* Quando Eccleſiaſticus, non pro ſe tantùm; ſed Eccleſiæ etiam adminiſtratione cogetur reſpondere. Et quàm hæc difficilis futura eſt, ſi delictis ſuis integræ communitati ſcandalo, *Eccleſiaſticorum lapſus gravis propter ſcandalum.*

& ſeductioni pluribus fuerit, non tanquam paſtor, ſed ut lupus inter oves graſſatus. *Grandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina eorum ſi peccent. Lætemur ad aſcenſum, ſi timeamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudii excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de ſublimibus corruiſſe. Neque enim ſolum pro noſtris delictis reddemus rationem; ſed pro omnium, quorum abutimur donis, & nequaquam ſumus de ſalute eorum ſolliciti.* Fieri poteſt, ut Sacerdos uno peccato turpitudinis plus peccet in Eccleſia, quàm ſi illud centies admiſiſſet in ſeculo, propter offenſionem aliis datam & multorum ſcandalum. *Sicut enim quantoſcunque aliquis exemplo vitæ ſuæ ædificaverit, cum tantis mercedem retributionis beatæ vitæ accipiet; ita quantiſcunque exemplum malæ converſationis, etiamſi eum illi non ſequantur, præbuerit, pro tantis ſe malis rationem noverit redditurum.* Gravis Chriſti comminatio eſt: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit: expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris.* Horrenda res, & viris Eccleſiaſticis inprimis formidanda. *Quod ſi enim ei, qui unam ſcandalizat animam expedit demergi in profundum maris; qui innumeras animas ſcandalizat, & urbes integras, & plebem, viros, mulieres, pueros, quid pati merebitur?* O quantum horroris divinus ille Apoſtolus à ſcandalo conceperat, qui auditus eſt dicere: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum!* Quod ſi à licitis metu ſcandali adeò deterritus eſt, quantum ab illicitis nos abeſſe ejuſdem formidine oportebit?

Hier. l 13. in c 43. Ezech.

Auguſt ſer. 163. de Temp.

Matt. 18.

Chryſoſt. hom. in Ep. ad Tit.

1. Cor. 8.

Jam quam gravis Eccleſiaſticis imminet ratio, etiam ex uno opere illis commiſſo; quando & recta illius intentio, & perfecta executio ab his jure requiritur, qui *legatione pro Deo funguntur*, atque icciro ipſius Dei opera exequi cenſentur, ſicut legatus quiſpiam Regis ſui. Hinc tam gravis apud Jeremiam Dei comminatio: *maledictus*, ait, *omnis, qui facit opus Dei negligenter* Quiſquis intelligere deſiderat, quam grave adverſus Eccleſiaſticos Deus examen judiciumque exerceat, legat quæ de illis, qui Eccleſiis Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Sardis, Laodiciæ, aliiſque præerant, in Apocalypſi Chriſtus Joanni mandavit. Epheſino Præpoſito denuntiat: *habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti.* Pergamæo inquit: *habeo adverſus te pauca; quia habes illic tenentes doctrinam Balaam.* Thyatiræ Angelo nuntiat: *habeo adverſus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ ſe dicit Propheten, docere.* Sardicenſi vult ſcribi. *Non invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente igitur habe, qualiter acceperis, & audieris, & ſerva.* Laodiciæ Epiſcopo ſignificat: *Scio opera tua, quia neq; frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus eſſes, aut calidus! ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* En Chriſti de primævi fervoris in Aſia Epiſcopis judicium. Duo tantùm ex ſeptem integræ fidei reperti ſunt, ceteri de malefactis jubentur agere pœnitentiam, aut de anathemate ſibi imminente admonentur. Ergóne fieri potuit, ut quos ipſi Apoſtoli inſtituerant, & velut ſidera iſtius delegerant Eccleſiæ, in qui-

Quodvis opus eorum rigidè à Deo diſcutitur.

Jer. 48.

Apoc. 2. v. 5.

v. 14

v. 20.

c. 3. v. 3.

v. 15.

bus primus Chriſtianorum ardor, quando omnium credentium erat cor unum, & anima una, quique judicati ſunt inter ſuos pietate excellere, hi tam ſeverum Chriſti ſentirent judicium, ut ex ſeptenis quinque, miſſo de cœlo nuntio neglecti officii tam ſeverè arguerentur? Verè, quo quiſque major in Eccleſia Dei eſt, tantò rigidiorem Judicem Deum ſuſtinebit: *durisſimum enim judicium his qui præſunt, fiet.* Et *ſcienti legem, & non facienti peccatum eſt grande. Aliud eſt, quod ab Epiſcopo requirit Deus, & aliud quod à Presbytero, & aliud quod à Diacono, & aliud a Clerico, & aliud quod à Laico, vel à ſingulis quibuſque hominibus. Et licet omnium hominum opera Deus in ſuo examinet judicio, plus tamen ab eo exigitur, cui plus committitur.* Sacerdotibus inprimis quibus Dominici corporis diſpenſatio credita eſt, & gregis illius cura, grave judicium imminet, niſi excuſſo omni tepore, caſtè ferventérque hoc officium adminiſtrent. Horreo dicere, quod meditatè admodum vir ſanctus Chryſoſtomus de his pronuntiat. *Non temere*, inquit, *loquor; ſed ut affectus ſum, & ſentio. Non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe, qui ſalvi fiant; ſed multò plures qui pereant. In cauſa eſt, quoniam res excelſum requirit animum. Multas enim cauſas habet, quæ illum depellant de ſuis moribus, &c. Si vel unus diſcedat non initiatus* (baptiſmo) *nonne totam ipſius ſubvertit ſalutem? unius enim animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio poſſit æſtimare. Etenim ſi unius animæ ſalus tanti eſt, ut ob hanc filius Dei fieret homo, tantaque pateretur;*

Sap. 6. Luc. 12. Ambr. de Dig. ſacerd. c. 3.

Chryſoſt. hom. 3. in c. 1. Act. Ap.

Difficulter ſalvantur.

teretur; perditio, cogita, quantam conciliabit pœnam? Quod ſi quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus eſt, quantò magis ille? &c. Reputa, quàm multa ſuſtinuerit, in quàm multis ſapientiæ amatorem præſtiterit Moyſes, quàm multa executus ſit bona; ſed quoniam unum peccavit peccatum, acerbè punitus eſt. idque meritò; quippe, cùm aliorum jactura id factum ſit. Hæc ſancti ſapientíſque viri cenſura, quem non terreat? Et ſi in dilectum hæc Deus amicum, quid in ſui contemptores non ſtatuet?

Quiſquis igitur hunc ſtatum aggreditur, videat quo aſpiret, quam perſonam ſuſcipiat, qui non hominum ſolum, ſed & angelorum oculis expoſitus, de omnibus rigidam aliquando rationem ſit daturus. Siquis vero jam in illo verſatur, cum David ſuppliciter Deum oret: *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum S. tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Hoc fac, & in Dei judicio glorificaberis. AFFECTUS. *Humilis deprecatio.* Pſal. 50.

II. PUNCTUM.

CONſidera, quemadmodum in hoc ſtatu ſanctiſſimi etiam viri, ut cum Paulo Chryſoſtomus, formidarint. Ita hic loquitur. *Chriſtum* nemo eſt, qui Paulo vehementius dilexerit, nemo qui apud Deum gratioſior, quàm Paulus fuerit: tamen poſt tot privilegia à Deo accepta, veretur adhuc ac tremit principatum, iſtius ſubditorumque gratiâ. *Metuo* enim, inquit, *ne quà fiat, ut quemadmodum* *Sanctiſſimi etiam viri in hoc ſtatu trepidarunt.* Lib. 1. de Sacerd. 2. Cor. 11.

„ ſerpens Evam decepit verſutiâ ſuâ, ita corrum-
„ pantur ſenſus veſtri à ſimplicitate, quæ erat in
2. Cor. 2. „ vobis erga Chriſtum. Ac rurſum; in timore ac
„ tremore multo vobiſcum verſatus ſum. Atque
„ id quidem dicit homo is, cui à Deo datum
„ eſt, ut in tertium uſque cœlum raperetur, ac
„ divinorum arcanorum particeps fieret: qui
„ idem totidem, ut ſic dicam, mortes pertulit,
„ quot ipſe dies, poſt fidem Chriſto datam,
„ vixit: qui idem, ne conceſſa quidem à Deo
„ poteſtate utendum ſibi ubique judicavit, ut
„ ne quis eorum qui fidem ſuam Chriſto ob-
„ ſtrinxiſſent, offenderetur. Si igitur Paulus,
„ Dei mandata ſic obſervans, ut majora etiam,
„ quàm ipſi à Deo injuncta fuiſſent, præſtaret,
„ nunquam ſuo ipſius, ſed ſubditorum tantum
„ commodo ſtudens, ſic ubique formidavit,
„ magiſtratus ſui molem expendens; quid fa-
„ ciemus ipſi, qui multi ubique ſumus in quæ-
„ rendis quæ noſtra ſunt; qui Chriſti manda-
„ ta, Pauli exemplo, non ſolum non ſupera-
„ mus; ſed ea majori quidem ex parte tranſ-
„ gredimur? *Quis infirmatur*, inquit ille, *& ego*
„ *non infirmor? quis offenditur, & ego non uror?*
Rara gratia Dei, & integritate vitæ opus eſt. „ Ejuſcemodi ſanè convenit ſacerdotem eſſe.
„ *Et infra.* Si rara prudentia, rara à Deo gratia,
„ præterea ſi morum integritate, ſi vitæ purita-
„ te, denique ſi majori, quàm pro humano cap-
„ tu, virtute præditum eſſe eum oportet, qui
„ adminiſtrationis iſtius curam in ſe ſuſcipit:
„ ne me veniâ indignum putes, ſi fruſtra ac te-
„ mere vitæ mihi meæ exitium accerſere no-
„ luerim. Etenim ſi navim quis agens ampliſſi-
„ mam,

„ mam, & quæ decem millia pondo ferat, quæ-
„ que eadem remigibus ſuis ſit inſtructa ac
„ ſumptuoſarum mercium pondere onerata,
„ me ipſius gubernaculo præfectum juberet
„ Ægeum Tyrrhenumque mare trajicere. Ni-
„ mirum fieret, ut ad primam ſtatim auditio-
„ nem mandatum id detrectarem. Ac me, ſi
„ quis interroget; quid ita? Ne navim ſubmer-
„ gam, utique reſponderem. Itáne igitur, ubi
„ pecuniæ tantùm jactura ſubeſt, nec niſi cor-
„ poris interitus periclitatur, nemo eſt, qui in-
„ cuſet reprehendatq;, ſi quis magna cautione
„ providentiâque hic utatur: ubi autem navim
„ frangentibus, non in hoc aut illud pelagus,
„ ſed in ignis æterni abyſſum corruendum eſt:
„ ubi item eoſdem naufragos interitus manet,
„ non qui corpus ab anima dirimit; ſed qui ani-
„ mam ipſam unà cum corpore in ſempiternum
„ ejicit ſupplicium, hinc mihi vos *ſuccenſebitis?*
En quemadmodum vir ſanctus regendæ Eccle-
ſiæ onus oblatum defugerit, metu ſupremi ju-
dicii, ad quod alii ultro ſeſe ingerunt, nulla re-
tardati formidine futurorum. Verùm ut pleri-
que ſine hac formidine cæci ruunt ad interi-
tum; ita qui, *cum timore ac tremore*, *ſuam* & a-
liorum *ſalutem operantur*, ut Paulus & Chryſo-
ſtomus, facilè evadunt. Metuant igitur illi in-
primis, qui ſine ullo metu ad venerandum Sa-
cerdotii Paſtoríſque in Eccleſia munus ſe pro-
perare ſentiunt, quod Sancti Patres angelicis
etiam humeris formidandum eſſe clamant. Qui
verò ſalutari hoc timore cum Paulo & Chry-
ſoſtomo percuſſi, ſine ignorantiæ & criminum
con-

Qui minus timent facilius pereunt, & contra.

AFFECTUS. *Timor cum fiducia in Deum.*

conſcientia, ad hoc munus poſtulantur, Chriſti magis gratiâ, quàm ſuâ virtute fiſi, cum iiſdem onus delatum accipiant: & ſibi quod Timo-
2. Tim. 4. theo dictum putent. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple ſobrius eſto, &c. In reliquo repoſita eſt tibi corona juſtitiæ, quàm reddet Dominus, in illa die juſtus judex omnibus, qui diligunt adventum ejus.* Hoc niſi ex animo cogitent, ac ſedulò deinde præſtent; procul ſint, neque unquam hoc munus aggrediantur, de quo tam rigidam ſupremus Judex rationem eſt exacturus. Væ illi, cui ſponſam ſuam Deus confidit Eccleſiam, quique illam, vel ſuâ etiam negligentiâ permiſit violari. Cui *multum datum eſt, multum ab eo requiretur.*

III. PUNCTUM.

Clericorum ſtatum duo reddunt difficilem.

CONſidera, duo potiſſimum eſſe, quæ hunc ſtatum difficilem reddant, & in ſupremo judicio metuendum. Primum eſt luxuria, alterum eſt negligentia muneris commiſſi. Hæc ſcylla & charybdis eſt, intra quam Eccleſiaſtici navigant. & quanquam alia non deſint vada aut ſcopuli, tamen in iis præcipuè naufragantes offendunt ac pereunt. Continentia enim Eccleſiaſtico, quantùm ad ſuam perſonam neceſſaria eſt: muneris adminiſtratio etiam quantùm ad Eccleſiam. in utroque hoc officio vult Deus honorari. Immundos olim Deus magno rigore à ſacris voluit arceri, & non niſi mundatos ritè Sacerdotes accedere. *Sacerdotes*, ait, *qui accedunt ad Dominum ſanctificentur, ne percutiat eos.* Et Chriſtus in lege nova, non Epiſ-

a Continentia ab omni impuritate.

Exod. 19.

copos

copos ſolùm, verùm & Diaconos voluit *continentes*, & *pudicos* eſſe. Nec immeritò. nam, *qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt Domini & quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi.* At Chriſtus *elegit ſuos de mundo*, ut ſibi illos arctè conjungeret. *Neſcitis*, ait, Paulus, *quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membrum Chriſti faciam membrum meretricis?* Et à Chriſti imitatoribus requirit: *fornicatio & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis.* Audite judicium in prævaricatores hujus legis conſtitutum. *Irritam quis faciens legem Moyſi, abſque ulla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur, quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit?* Quantò enim his gravius judicium imminet, quàm illis, quibus Deus olim vindictam interminatus eſt. *O Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis: in quo deſpeximus nomen tuum? Offertis ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo deſpeximus te?* Lamentatur de hac multorum irreverentia D. Bernardus: *Curritur*, in-
„ quit, paſſim ad ſacros ordines, & reverenda
„ ipſis quoque ſpiritibus Angelicis miniſteria
„ homines apprehendunt ſine reverentia, ſine
„ conſideratione. Neque enim cæleſtis timent
„ imperii geſtare coronam, in quibus iniquitas
„ & luxuria principatur: in quibus & peſſima
„ fortè appareat intra parietes abominatio, ſi,
„ juxta Ezechiëlis prophetiam, parietem fodia-
„ mus, ut in domo Dei videamus horrendũ, &c.

„ Ini-

1. Tim. 3. | 1. Cor. 7. | 1. Cor. 6. | Eph. 5. | Hebr. 10. | Malach. 1. | *De converſione ad Cler. c. 29.*

„Inimicus nempe hominum ſulphurei illius „incendii reliquias infelices circumquaque „diſperſit: execrabili illo cinere Eccleſiæ cor„pus aſperſit, & ipſorum quoque Miniſtro„rum ejus nonnullos ſanie fœdiſſimâ ſpurciſſi„mâque reſperſit. Et tamen ingrediuntur cum „hac macula tabernaculum Dei viventis, in„habitant cum hac macula templum Domini „polluentes, judicium multiplex *accepturi.*

Sine prævia exploratione continentia ad ordines non veniendum.

Quocirca priuſquam ad hos accedas ordines, ponderandæ in te vires ad continentiam omnem ſunt, hoc eſt, longiori continentiæ uſu tam privatim domi, quàm inter medios etiam fœminarum choros ſervato, explorandum tibi eſt, poſsíſne impollutè vivere? Jn qua re, ſi te lubricum inconſtantemque reperias, noli ad tuam damnationem hoc in te onus, cui ferendo te imparem experiris, ſuſcipere. Ad præſens exitium tranſeunt, quicunque ante ordines ſacros indulgent ſuæ liberè cupiditati, cum abſtinendi propoſito, dum fuerint conſecrati. quaſi verò ad S. ordines eâdem cupiditate non eſſent perventuri. Rurſum jam in ipſis ordini-

Ordinatis quotidie advigilandum.
D. Hier. Ep. 22.

bus conſtitutis omni cuſtodiâ hic theſaurus muniendus eſt. *Magnis in hac vita inimicorum circumdamur agminibus, hoſtium plena ſunt omnia; caro fragilis, & cinis futura poſt modicum, pugnat cum pluribus. Non quærit Diabolus homines infideles, & eos qui foris ſunt, & quorum carnes Rex Aſſyrius in olla ſuccendit, de Eccleſia Chriſti rapere feſtinat, eſca ejus, ſecundum Abacuc electa ſunt: Job ſubvertere cupit, & devorato Juda, ad cribrandos Apoſtolos expetit poteſta-*

poteſtatem. Ergo: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.*

Jam quod ad alterum deſidiæ, & neglecti officii Eccleſiaſtici ſcopulum attinet, ad quem plures quoque colliduntur, ſummopere providendum eſt, ut quiſque, & quæ ſui ſunt muneris, intelligat, & pro viribus exequatur. Novimus enim quâ mente hæc beneficia à Majoribus noſtris inſtituta & locupletata ſint, quidque illorum Manes, quid Eccleſia mater ab eis requirat; ut ſi vel precibus canonicis, vel miniſterio defuerint, plures corã ſupremo Judice accuſatores ſint habituri. Ad hanc Domini vineam nõ vocamur, ut otioſi ſimus, nec vitis in illa plantatur, niſi ut fructum adferat. Et *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Ego, *poſui vos*, ait ad Apoſtolos Chriſtus, *ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Dominus ille vineæ, ficulneæ non ferenti fructum excidium interminatur: *ſuccide*, inquit cultori, *illam*; ut *quid etiam terram occupat?* Potuit hoc loco plantari alia, quæ *daret fructum in tempore opportuno.* Quantum beneficiorum & favoris Dominus Eccleſiaſticis præ reliquis confert mortalibus! Eximit illos à jugo curarum laborumque ſecularium, in ſuam immunitatem transfert à judicio & poteſtate mundana liberatos, & ſub miti ſuæ Eccleſiæ regimine collocat; tot gratias ſpirituales offert, ſolique animæ ſuæ aliorumque ſaluti deditos cæleſtibus tantùm bonis, lucriſque in omnem æternitatem cupit eſſe intentos: ut jure his dicat: *quid ultra debui facere vineæ meæ, &*

2. Officii præſtandi cura.

Otium perdit.

Mat. 7.

Luc. 13.

Iſa. 5.

non

non feci? an quod exſpectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruſcas? excidatur & ignem mittatur. Abſit, ô Domine, hæc à nobis maledictio: *Introibimus in tabernaculum tuum: adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes tui. Sacerdotes tui induantur juſtitiam, & ſancti tui exultent.*

Oblatio ſui. Pſal. 131.

DISTICHON MEMORIALE

Judiciũ ne ſperne Dei, fuge ſcandala. (2) Magni
Hìc trepidant: (3) caſta ſedulitate cavent.

MEDITATIO IV.

De ſanctimonia Miniſtrorum Eccleſiæ, vi rituum ordinationis, requiſita.

VERITAS. Juxta ritus, cujuſque gradus ordinis Eccleſiaſtici, magna vitæ innocentia & ſanctitas requiritur. ut tam in collatione ordinum quatuor minorum, (ut vocant) quàm (2) Subdiaconi & Diaconi ordinandi cæremoniis, (3) atque inprimis Sacerdotum conſecratione manifeſtum eſt.

ORATIO PRÆPARATORIA conſueta.

PRÆLUDIUM I. *Propone tibi Chriſtum in cæna ultima ſuos diſcipulos ſacerdotio inaugurantem.* 2. *Pete gratiam illius ſtatus perfectionem agnoſcendi.*

I. PUNCTUM.

Ad Chriſti exemplum vita Clerici formãda eſt.

CONſidera, quod Chriſtus, qui eſt *Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*, in exemplum vitæ Clericalis omnibus propo-

propoſitus ſit, qui ſeſe in ſacrificio tam incruento cœnæ ultimæ, quàm cruento in monte Calvariæ æterno Patri hoſtiam, pro Peccatis totius mundi, obtulit. Omnibus igitur Eccleſiaſticis dictum inprimis eſt: *inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*, illic diſce humilitatem, obedientiam, paupertatem, patientiam, devotionem, ceteraſq; virtutes te tuoque ſtatu dignas. Hic verò perfectionis ſtatus, cum ſublimis omnino ſit, neque ad eum tam facilè exerceri, educique repentè Sacerdos queat, ſed probatione uſuque longo opus ſit: non voluit ſuos Eccleſia, niſi ſenſim, ac per gradus, jam ante in muneribus inferioribus exercitatos, ad Sacerdotii dignitatem pervenire. Unde & Tridentina Synodus ſtatuit: *ut Sanctorum illorum ordinum, à Diaconatu ad Oſtiariatum, functiones, ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ, & in pluribus locis aliquando intermiſſæ, in uſum juxta ſacros canones revocarentur.* Exod. 25. Seſſ. 23. c. 17. de Refor.

Jam ſingulos expende ordines, tam minores quatuor, ut Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, & Acolythi, quam majores duos, Subdiaconi & Diaconi, atque ipſam etiam Tonſuram primam ad hos præviam; & intelliges per hos, velut perfectionis gradus, ad Sacerdotii dignitatem Clericos præparari.

Perfectio in ordinibus minoribus req. ſita.

Et in prima quidem tonſura more Nazaræorum, qui in die conſecrationis radebantur, caput tonderi, & vulgo exemptos, Chriſto ſpinis coronato inaugurari conſideres; quando ordinandus prolatis verbis profitetur: *Dominus pars* Pſal. 15.

 here-

hereditatis meæ, & calicis mei, tu reſtitues hereditatem meam mihi. Epiſcopus etiam ſuperpelliceo impoſito dicit: *Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Eph. 4. 24.

In oſtiarii munere deferendo Epiſcopus, exhibitis clavibus Eccleſiæ, inquit: ſic *agite, quaſi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* In lectoratu demandando ait, porrecto codice ſcripturæ S. *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores; habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene adminiſtrarunt ab initio.* Exorciſtis creandis dicit: oblato exorciſmorum, aut Miſſali libro: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive catechumenos.* Mox deinde Acolythi, ſeu Ceroferarii fiunt, exhibente Epiſcopo primùm candelabro, cum candela, ſine lumine, his verbis: *Accipite ceroferarium cum cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, in nomine Domini, Amen.* Sub hæc urceolum vacuum tangendum præbet, dicens: *Accipite urceolum, ad ſuggerendum vinum & aquam, in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini, Amen.* Quæ univerſa ſacris myſteriis verbiſque clericos ad perfectionem inſtruunt; ut in candida veſte puritatis, in accenſa luce, quam omnes dexterâ manu præferunt, illius memoriam ingerant, qui de ſe profitetur, *ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*: quique nos admonet: *ſini lucer-*

Vitæ puritas & bonum exemplum.

Ioan. 8.

lucerna in manibus veſtris, & vos ſimiles homini- Luc. 12. 35.
bus exſpectantibus Dominum ſuum. Denique per inferiora ad hæc miniſteria, piè diligentérque obita, Deus vult præparari miniſtros ſuos ad graviora. Super parva vult ante fideles eſſe, quàm ſuper magna conſtituat. Hic expende quantâ ſollicitudine mater Eccleſia, pro idoneis miniſtris, ſenſim educandis, probandíſque per diverſa exercitia, laboret; &, quemadmodum par ſit, hanc illius curam revereri, & cum magna ſubmiſſione & ſtudio reſpondendi illius ſanctæ ordinationi, accedere. 2. Vide, quo id pacto executus ſis, atque illius exſpectationi reſponderis, ad majores tete ordines, recto pióque minorum uſu, præparando. Nam, ut pueri, qui in primis Grammaticæ rudimentis ſine cura & profectu verſantur, ad ſcholas altiores inhabiles indigniquè accedunt: ita etiam, qui in primis hiſce Eccleſiæ ordinibus, ſine pietate & cura Deo placendi verſantur, majoribus erunt indigni probroque magis Eccleſiæ, quàm emolumento futuri ſunt. Quare ſi adhuc fas ſit referre pedem, tutius erit retrocedere; quàm inenodabili ſeſe vinculo majorum ordinum adſtringere. Gratias age, ſiquid abs te rectè factum, Deo propitiante, intelligas: ſi minus, à ſerio dolore emendationem auſpicare.

Probandi ante ordines Majores.

Gratiarum actio, aut Dolor.

II. PUNCTUM.

CONſidera, quàm ſancto ritu, quantâque ad vitam Deo ſacram, caſtámque, & Eccleſiæ miniſteriis devotam extimulatione majores ordines conferantur. Subdiaconus renuntian-

Ad majores ordines major perfectio neceſſaria.

nuntiandus procedit in albâ veſte cingulo juxta lumbos adſtrictâ, manipulo & tunicellâ ex ſiniſtro brachio pendente, accenſam in dextra ceram præferens. Quem deinde Epiſcopus obligationis perpetuæ Deo Eccleſiæque caſtè ſerviendi gravi exhortatione admonet, jubétque ſecularibus deſideriis æternùm renuntiare; ac ſubinde, poſt litanias decantatas, trinâ benedictione impertit. Porrò ſub ſacrificio tangendum manu dextrâ vacuum calicem cum patena exhibet, his verbis: *Videte cujus myſterium vobis traditur. Ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis.* tum fusâ oratione benedictionem à Deo poſtulat, ſimulque pro vigilantia, fidelitate, obedientia & donis S. Spiritus à Deo obtinendis, orat. Poſtea imponit amictum capiti, dicens: *Accipe amictum, per quem deſignatur caſtigatio vocis. In nomine Patris, &c.* Et immittens manipulum in brachium ſiniſtrum, inquit. *Accipe manipulum per quem deſignatur fructus bonorum operum. In nomine Patris, &c.* Dehinc quemlibet tunicâ veſtit, addens: *Tunica jucunditatis & indumento ſalutis induat te Dominus. In nomine Patris, &c.* Poſtremò tradit Epiſtolarum librum manu dextrâ tangendum, dicens: *Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis, In nomine Patris, &c.*

Subdiaconi obligatio, & munus.

Diaconatus officium, quod, præter antedicta, Evangelii legendi, prædicandi, ac baptizandi poteſtatem includit, ſimili penè ritu confertur; cum præſentatione tamen Archidiaconi, (quæ

Diaconi munus ritibus ſacris expreſſum.

(quæ in Sacerdotis quoque, & Epiſcopi ordinatione adhibetur) quod olim populus & clerus ad hanc electionem concurrerit. Unde & populus nunc ab Epiſcopo monetur, ut ſiquid adverſus creandos Diaconos habeat, fidenter exponat. Comparent verò albâ & manipulo veſtiti, manúque ſiniſtrâ ſtolam, & brachio Dalmaticam veſtem ſuſtinent, ac dextrâ candelam præferunt. Quos Archidiaconus nomine Eccleſiæ offert, ſciſcitante Epiſcopo: *ſcisne illos dignos eſſe?* cumque reſpondit: *quantum humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcio, & teſtificor illos dignos eſſe ad hujus onus officii*: admiſſos Epiſcopus ſeria exhortatione, ad puritatem corporis animique ac mundi contemptum, tum officii ſui, hoc eſt, miniſterii ad aram, prædicationem Evangelii, & baptiſmi adminiſtratione m, excitat, diſpenſatores myſteriorum Dei, hereditatem & tribum amabilem Domini, comminiſtros & cooperatores corporis & ſanguinis Domini appellans: ac deinde cantatis litaniis pro illis Deum obteſtans, manum ſuper demiſsè in terram inclinatos extendit, & ordinando dicit: *Accipe Spiritum S. ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus, in nomine Domini*: utque Deus modeſtiam puritatémque ad ædificationem plebis, bonæ quoque teſtimonium conſcientiæ, & perſeverantiam largiatur, orat. Mox ſtolam ſiniſtro imponens humero, inquit: *Accipe ſtolam candidam de manu Dei; adimple miniſterium tuum. Potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam ſuam, qui vivit, &c.* Tum induens Dalmaticam ſubjicit:

Induat te Dominus indumento ſalutis, & veſti mento lætitiæ, & dalmatica juſtitiæ circumdet t ſemper. In nomine Domini: Et offerens librum Evangeliorum, manu dextrâ tangendum, h verbis concludit: *Accipite poteſtatem legend Evangelium in Eccleſia Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.*

Stephanus & Laurentius Diaconi illuſtres.

En ſacros ritus, quibus & miniſteria Eccleſiæ, & virtutes miniſtrorum requiſitæ, ſat diſer tè exprimuntur. Utinam tales hoc tempor invenirentur qualis Diaconus Stephanus, & Laurentius, præclara olim Eccleſiæ lumina & Martyres, Chriſti fuêre! Hi vera ac viva tali erant vitæ exemplaria, qualis præſcribitur. Quam præclari in Eccleſia exempli ſunt il Subdiaconi, qui, ut ordinatio ex Paulo requi rit, per omnia ſtudent placere Deo, graves i moribus, verbis caſtigati, ore ſobrii, operibu bonorum fecundi: in converſatione jucund ſine offenſione; ſalutis ſuæ proximique ſtudio ſi, ſine dolo; in Eccleſiæ officiis ſeduli, ſine fa ſtidio. Quantum orthodoxam religionem de corant Diaconi, qui ſpiritu Dei cum Stephan pleni, miniſterium ſuum piè conſtanterque o beunt, juſtitiæ divinæ pietatiſque cultores i ſeſe, propagatores in proximo: in quibus & modeſtia gravis, & ſpiritualis diſciplinæ obſer vantia, & caſtitatis exemplum, & bonæ ſit con verſationis teſtimonium. *Decet enim actuum operumque noſtrorum teſtem eſſe publicam exiſti mationem, & atteſtationem, ne derogetur muner ut qui videt miniſtrum altaris congruis ornatum virtutibus, autorem prædicet & Dominum, qu tales ſervulos habeat.*

1. Tim. 3.

Ambr. l. 1. offic. c. 50.

Exper

Expende, quemadmodum hæc in te, vel expreſſeris exempla virtutum hactenus, vel deinde expreſſurus ſis: ac cogita, ſi terrenus Princeps cultos ac benè moratos ſervos deſideret, ceteroquin aulâ gratiâque ſuâ deturbandos; quantò æquius ſtrictiuſque hoc ille Dominus Dominantium exacturus ſit, quem nullum crimen latet, nullum non decet in miniſtris virtutum decus: cui ipſi de cœlo Angeli ſerviunt, ipſi cœlites in gloria exaltati coronas ſuas ſubmittunt. Reverere talem tantúmque Dominum, & quâ potes morum innocentiâ, quâ vales miniſterii tui ſedulitate ac devotione famulare,& pro terrena poſſeſſione, à quâ Deus olim quoque Levitas ſecluſit, erit *Dominus pars poſſeſſionis tuæ, & funiculus hereditatis tuæ.* *Eccleſia honori eſſe debent.* Affectus *reverentiæ.*

III. PUNCTUM.

Conſidera denique Sacerdotum, ſive Presbyterorum (qui ſic dicti quòd ex ſenioribus olim delecti ſint) ordinationem, ſanctis ritibus ad mores illorum exprimendos inſtitutam. Vocantur & hi cum teſtificatione Archidiaconi, populóque ad cenſuram proponuntur. Monentur deinde ab Epiſcopo officii ſuſcipiendi, quod eſt benedicere, offerre, baptizare, prædicare verbum Dei, & præeſſe in Eccleſia Diaconis, aliiſque miniſtris, ac populo, non exemplo minus, quàm verbo, tam ad arcendos lupos ab ovili Chriſti, quàm oves cuſtodiendas. Ut illis, quod Jeremiæ, dictum ſit: *Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Quandoquidem & regna, & Re- *Sacerdotum munus & ſanctitas requiſita.* Ier. 1. 10.

ges ipſi, his jure in negotio ſalutis ſubjecti ſunt. Debent igitur hi tales ante formari ad
Heb. 7. 26. exemplar Paſtoris ſummi, *qui eſt ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Epiſcopus igitur poſt Litanias, bona eis à Deo precatus, ſtolam ante pectus in crucis modum diſponit, cum verbis: *Accipe jugum Domini, Jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve.* Imponenſque caſulam ſuper humeros complicatam,
Charitas. & à parte anteriori dependentem, ait: *Accipe veſtem ſacerdotalem, per quam charitas intelligitur. Potens eſt enim Deus, ut augeat tibi charitatem, & opus perfectum.* Sub hæc invocato per hymnum (*Veni creator*) Spiritu S. inungit Epiſcopus ſacro oleo ambas manus à pollice ad indicem uſque in formam crucis, oratque his
Benedicendi & offerendi poteſtas. verbis: *conſecrare, & ſanctificare digneris, Domine, manus iſtas, per iſtam unctionem & noſtram benedictionem: ut quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque conſecraverint, conſecrentur, & ſanctificentur. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Deinde Epiſcopus conſecratas manus jungit, quas miniſtrorum aliquis lineo vinculo ligat. Tum exhibitum cum vino calicem, & cum patena hoſtiam ordinandus tangit, dicente Epiſcopo: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificia Deo miſſaſque celebrare, tam pro vivis, quàm pro defunctis.* Poſt hæc Miſſa ad offertorium uſque ab Epiſcopo peragitur, intereaque frictis medullâ panis, lotiſque aquâ manibus, creati presbyteri accenſam Epiſcopo candelam, manibus exoſculatis, offerunt; moxque offertorium, & verba conſecrationis cum eodem

dem legunt. ac ſubinde data pace, ex manibus Epiſcopi, oſculo prælibatis, communicant. Interim canitur: *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos meos, quia omnia cognoviſtis, quæ operatus ſum in medio veſtri. Accipite Spiritum S. in vobis paracletum, ille eſt, quem Pater mittet vobis. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Gloria Patri, &c.* Poſtea ſtantes omnes recitant ſymbolum Apoſt. *Credo, &c.* profitentes fidem, quam prædicaturi ſunt. Inde Epiſcopus utramque manum ſuper caput genuflectentium ponit ſingulis dicens: *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt*, & mox explicat complicatam caſulam, addens; *ſtolâ jucunditatis induat te Dominus.* Denique genuflexi junctis manibus inter manus Epiſcopi interrogantur ſinguli: *Promittis Epiſcopo ordinario tuo, reverentiam & obedientiam?* & quiſque reſpondet: *promitto.* Cui oſculo dato, Epiſcopus dicit: *pax* Domini ſit ſemper tecum. Poſtremò monitos, ut ritus celebrandi diſcant, ſolenni hac benedictione: *Benedictio Dei, omnipotentis Patris & Filii & Spiritus S. deſcendat ſuper vos, ut ſitis benedicti in ordine ſacerdotali, & offeratis hoſtias placabiles, pro peccatis & offenſionibus populi omnipotenti Deo, cui eſt honor, &c.* dimittit. Vide, quantam in ſuis Sacerdotibus ſanctitatem, quamque perfectam charitatem, tanquam in amicis, quibus Chriſtus corporis & ſanguinis ſui depoſitum & pretium credidit, Eccleſia requirat. Quot piis deprecationibus, quot ſacris ritibus, quot admonitionibus, quot ſignis,

Conjunctio cum Deo.

Poteſtas abſolvendi.

Obedientia Epiſcopo debita.

quanto ſtudio & contentione, ſuadet, inculca
repetit miniſtris ſuis diſciplinæ cuſtodiam, pu-
Veneratio ſacris rebus debita. ritatem vitæ, & morum ſanctimoniam! Moy-
ſes ad montem Dei acceſſurus, jubetur calcea-
menta de pedibus deponere, quod locus ſan-
ctus eſſet: at vos, ô Miniſtri Dei, *non acce-*
Hebr. 12. *ſſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem*
& turbinem, & caliginem, & procellam, & tub
ſonum, & vocem verborum, ad quæ Moyſes ha-
ſit *exterritus & tremebundus*; *ſed acceſſiſtis a*
Sion montem, & civitatem Dei viventis, &c. a
teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguin
aſperſionem melius loquentem, quam Abel. Quo
ſi igitur, tantâ religione ſibi Deus ſerviri volui
Deut. 28. in figuris, ut dixerit: *ſi audire nolueris vocem Do-*
mini tui, ut cuſtodias & facias omnia mandata &
caremonias, venient ſuper te omnes maledictione
quantâ obſervatione digna erunt, quæ in leg
gratiæ, ubi ipſe Deus homo factus ſacerdos &
Seſſ. 22. c. de obſerv. in Miſſa. hoſtia eſt, præſcribuntur. *Quanta*, ait Triden-
„ tina Synodus, cura adhibenda ſit, ut ſacro
„ ſanctum Miſſæ ſacrificium omni religioni
„ cultu ac veneratione celebretur, quivis faci-
„ lè exiſtimare poterit; qui cogitarit, maledi-
„ ctum in S. literis vocari eum, qui facit opu
„ Dei negligenter. Quod ſi neceſſariò fatemur
„ nullum aliud opus adeò ſanctum ac divinum
„ à Chriſti fidelibus tractari poſſe, quàm ho
„ ipſum tremendum myſterium, quo vivific
„ illa hoſtia, quâ Deo Patri reconciliati ſumus
„ in altari per Sacerdotes quotidie immolatur
„ ſatis etiam apparet, omnem operam & dili-
„ gentiam in eo ponendam eſſe; ut quan
„ max

„ maximâ fieri poteſt cordis munditiâ & puri„ tate, atque exteriori devotione ac pietatis „ ſpecie *peragatur.* Arcam olim ligneam tot Philiſtæi curiosè intuentur ac pereunt, Oza irreverenter tangit, & concidit. *In eis diſcamus quanti piaculi, ſimul & periculi ſit, indignè tractare, aut ſumere ſacroſanctum Christi corpus, in hoſtia ſalutari, cujus typum ſic Deus magnificavit, ſic ſublimavit, ſic vindicavit. Væ ſacrilegis manibus, væ immundis pectoribus immundorum ſacerdotum, à quibus tam inſolenter quotidie tangitur, & ſuſcipitur. ſi talis ultio in umbra, qualis fiet in veritate!* Simus igitur illud quod Eccleſia tot ritibus à nobis exigit ſancti & innocentes, niſi ex ipsâ conſecratione noſtra coram ſupremo damnari judice velimus.

B. Thom. de Villan. Conc. 3. de Euch.

Affectus puritatis & obedientiæ.

DISTICHON MEMORIALE

Sanctorum nos vita decet. (2) quam ritibus ordo
Quilibet appoſitis exprimit. (3) ara petit.

MEDITATIO V.

De doctrina & virtute Miniſtrorum Eccleſiæ.

VERITAS. Miniſter Eccleſiæ cum doctrina ſtudium rerum divinarum conjungere tenetur, tam ad debitam officii ſui adminiſtrationem, quàm diverſorum malorum cautelam. (2) Deinde, ut mores ad exemplum Chriſti formet, mortificatione eidem ſedulâ opus eſt. (3) Inprimis verò, ut exemplo & ædificationi ſit omnibus, modeſtia illum & humilitas ornet.

ORA-

ORATIO PRÆPARATORIA communis.

PRÆLUDIUM 1. *Chriſtum tibi propone Agnum paſchalem cum Diſcipulis manducantem, ac deinde etiam pedes Diſcipulorum abluentem. Illic rituum obſervantia, hic humilitas exemplo ſit.* 2. *Gratiam pete imitandi.*

I. PUNCTUM.

COnſidera ante omnia in Eccleſiaſticis, atque inprimis Sacerdotibus, & populi Paſtoribus, requiri doctrinam & veritatem. Quod jam olim Deus in figura expreſſit, quando Sacerdotem in Rationali ſuo, quod erat ex auro, hyacintho, purpura, coccoque, ante pectus duos lapides pretioſos ferre voluit, quibus inſcriptum eſſet, *Urim* & *Thumim*: hoc eſt, *doctrina* & *veritas*. Quia ſacerdotale pectus ſcientiæ veritatiſque aliis communicandæ voluit eſſe reconditorium. *Labia* enim *Sacerdotis* ait, *cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum eſt.* Nam *Sacerdos* Angelus dicitur, id eſt, nuntius, quia Dei & hominum ſequeſter eſt, ejuſque ad populum nuntiat *voluntatem*. Indigniſſimum profectò eſt tanti muneris in ſe executionem ſuſcipere, ex quo Dei gloria, ſalus propria totque aliorum mortalium dependet; & quid ſibi, quid aliis præſtandum ſit, ignorare. Quæ enim hinc confuſio in tota Dei Eccleſia, quæ morum in ſe aliiſque everſio! Hinc illæ olim in populum Iſraëliticum calamitates incubuêre. *Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt univerſi, canes muti non valentes latrare, dormientes, & amantes ſomnia, ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam, omnes*

Doctrina & veritas in Sacerdotibus requiſita.

Malach. 2.

D. Hier. in hunc locum.

Ignorantia peſſundat Eccleſiam Dei.

Iſa. 56.

res in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam, à ſummo uſque ad noviſſimum. Venite ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, ſic & cras. Hæc videlicet conſequentia eſt, ut ubi Eccleſiaſtici lectionem ſacram, ſtudiumque proficiendi in divinarum rerū cognitione deſerunt, ibi ad curam corporum, aut ventris delabantur: ſalutem ſuam proximorúmque & totam Dei Eccleſiam, magno multorum ſcandalo, ingenti detrimento, & irreparabili animarum clade, deſtituant. Unde „*ignorantia* mater cunctorum errorum, maxi- „mè in Sacerdotibus Dei, vitanda eſt, qui do- „cendi officium in populo ſuſceperunt. Sa- „cerdotes enim, legere S. Scripturas, frequen- „ter admonet Paulus, dicens ad Timotheum: „*Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Et ſanè ignorantia neſcio, *quomodo excuſari poſſit in eo, qui ſe magiſtrum infantium, & Doctorem inſipientium profitetur! Ignorans utique ignorabitur, imò & multos ignorare faciet & ignorari.* Quare ſalutaris Hieronymi ad Nepotianum & quemvis clericum monitio eſt. *Divinas ſcripturas ſæpius lege, imò de manibus tuis nunquam ſacra lectio deponatur. Diſce quod doceas, obtine eum, qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem; ut poſſis exhortari in doctrina ſana, & contradicentes revincere. Sermo Presbyteri ſcripturarum lectione conditus ſit.* Et quamvis tibi munus docendi alios non incumbat: ſunt ſacræ leges & canones, illis utique, qui ab earum obſervatione Canonici dicuntur, ſcitu neceſſariæ; ſunt leges rituſque, quibus Sacramenta

Qui curam librorum deponunt, ventris gerunt.

Concil. Tolet. 4. c. 24.

Bern. ſuper Ecce nos rel. c. 24.

De vita Cleric.

Tit. 1. 9.

Latiſſimus campus ſtudii Eccleſiaſtici.

menta adminiſtrantur, ſunt aliæ juxta quas vivendum Eccleſiaſtico inſtitutiones, eſt tota ſcriptura, ejuſque commentationes à doctis traditæ, ſunt Concilia & ſancti Patres, ſunt fidei religioniſque noſtræ placita, nec in paucis controverſi, & à variis hæreticis impugnati articuli, & omnis Theologica, quæ latè patet, ſcientia, quibus tum capeſcendis, tum tradendis Eccleſiaſticum voluit Deus occupari; ne aut ad curam rerum mundanarum, aut ad commeſſationes ventríſque deforme ſervitium, aut turpiora etiam carnis deſideria animum adjiceret. Sed & officii quemque ratio ad varia horum neceſſariò ſcienda adſtringit. Ea enim aptitudine niſi ad ordines acceſſerint, Epiſcopus tenetur rejicere, non levem damnationem habiturus, ſi ineptos admittat. Et ſi corporum Medicus, niſi peritus, non accipitur, quomodo animorum medicus, cui æterna ſalus credenda eſt, admittetur? *Nonne, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt?* In ceteris nobis artibus providemus idoneos, & ad Dei ſervitium in Eccleſia, pro ſalute publica inſtitutum, imperitos recipiemus? Abſit tanta ab illis Numinis irreverentia, quorum eſt huic rei advigilare.

Rejiciendi ignorantes ab hoc ſtatu.

Matt. 15.

Expende igitur, an quæ tui officii ſunt, probè teneas? Si experiaris hæc tibi deeſſe, quæ requirit Eccleſia, cave in hunc te ſtatum ingeras, ne tuam aliorumque ſalutem peſſundes. Quod ſi tamen pedem intuleris: omni contentione & ſtudio ad cognitionem te dignam enitere. Non fruſtra ſupra Apoſtolos Spiri-

tus

us S. in linguis igneis apparuit. Nam oſten-it Deum in Eccleſia ſua miniſtros velle, qui ivina loquerentur, ad proximi ædificationem inſtructionem, in doctrina ac veritate. Quæ iſi feceris procul te abeſſe à ſpiritu illo divino emonſtrabis. Quod ſi ad Eccleſiam velut ad tioſorum hominum aream tranſiſti, ut rediti-us ſacris pingueſceres, & paucis quandóque domo Dei pſalmis raptim decantatis, aut re-itatis, ad otioſam vitam, inſtructam menſam, ocietates, diverticula recreationum, luxumve edires, brevia hujus vitæ gaudia æternus luctus ccupabit. Non ſervis Eccleſiæ; ſed illa tibi. *Ad quæ Eccleſia miniſter obligetur.*

Deteſtare tam manifeſtam hominū inſaniam, ui apertis oculis ruunt ad perditionem; & doneum te Deo præbe miniſtrum, ut *potens s exhortari in doctrina ſana, & poſſis eos qui con-radicunt arguere.* Moveat te mater Eccleſia, ui tanquam fidelis filius operam tuam addixi-ti: moveat inſtitutio intentióque Majorum, on niſi ad Dei gloriam hominúmque ſalutem as opes deſtinantium: moveat tanta multo-um neceſſitas & ſalus in periculo collocata, uæ tuis precibus, inſtructione, exemplóque ulcienda eſt: moveat denique animæ propriæ ors & gloria; nam *qui docti fuerint, fulgebunt uaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam rudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æterni-ates.* Contra, qui ignorantes & ignorati, *curam arnis in deſideriis ſuis perficient*, hi breve fluxæ itæ gaudium æterno luctu terminabunt. *Deteſtatio ignaviæ, & ignorantiæ.* Tit. 1. Dan. 12. 3.

II. PUNCT.

II. PUNCTUM.

Mores clericorum ad exemplum Chriſti formandi.

Conſidera, quòd homo Eccleſiaſticus quantùm ad mores & vivendi diſciplinam attinet, reliquis Chriſtianis probitatis exemplum eſſe debeat. Ita Timotheum ſuum Paulus inſtruit: *Exemplum eſto fidelium, in verbis, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* (1. Tim. 4. 12.) Nam, ut Tridentinum ait: (Seſſ. 22. c. 1.) *Nihil eſt quod alios magis ad pietatem & Dei cultum aſſiduè inſtruat quàm eorum vita & exemplum, qui ſe divino miniſterio dedicarunt. Cum enim à rebus ſeculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur.* In quos enim alios potius oculos animúmque convertant, quàm quos inſtituto & habitu perfectionem vident profiteri, duceſque ceteris hominibus ad virtutem inſtruendis præpoſitos? Quia verò tales non repentè cum profeſſione ſua inferiorem hominem cupiditatéſque illius deponunt, neceſſe eſt eoſdem in perpetua ſui cuſtodia, & pravorum affectuum mortificatione verſari: *Qui enim Jeſu Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifigunt cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis.* Nec meliores aut ſanctiores Apoſtolo ſunt, ad tertium cœlum rapto, & arcanorum Dei conſcio, qui tamen de ſe fatetur: (1. Cor. 9.) *ego ſic curro, non quaſi in incertum, ſic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne fortè cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.*

Mortificatio ad hoc neceſſaria eſt.

D. Paulus amans mortificationis.

Si irâ immoderatâ efferris, ſi arrogantiâ extolleris, diſce à Chriſto, *quia mitis eſt, & humilis corde,* (Matt. 11.) & coram hoc magiſtro ac judice tuo frequenti

quenti exercitatione manſueſce & humiliare; ſi luxuriâ tentaris, jejunio laſcivientem carnem frange: nam ſi *omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet; & illi ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam*; quantum dedecus noſtrum ſit, in hoc ſtudio, à vanis ejuſmodi hominibus ſuperari? *Confuſio certè & ignominia eſt, Jeſum Chriſtum crucifixum, pauperem, & eſurientem fartis prædicare corporibus, & ad jejuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre.* Si lubrica tibi lingua ſit, (ut ſeculares ad Eccleſiaſticorum ſermonem aures arrigunt) *alliga ſermonem tuũ, ne luxuriet, ne laſciviat, & multiloquio peccata ſua colligat. ſit reſtrictior, & ripis ſuis coërceatur; ſit ori tuo oſtium, ut claudatur ubi oportet, & obſeretur diligentius* Mirum eſt, quod *nugæ inter ſeculares nugæ ſint, in ore autem ſacerdotis blaſphemiæ.* Quare, *ſiquis putet ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam; ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio.* Facilis omnino in lingua lapſus eſt, inter homines ex ſeculi lege viventes loquentéſque: nam *in multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.* Dum aliorum facta recenſemus, aut facilè adjicimus adulatione, vel favore corrupti; aut detrahimus correpti æmulatione vel invidia, nonnunquam, quo nihil eſt pejus, & ipſa fovemus diſſimulatione vel approbatione vitia. Quantum in Dei miniſtro dedecus & malitia! *Longè enim pejus eſt collaudare delinquentes, quàm delinquere. Siquidem is, qui, dum peccat, condemnat interius peccatum ſuum, pote*rit

Neceſſaria omnibus eſt.

Cap. Eccleſiæ Principes diſt. 35.

Ambr. l. 1. offic. c. 3.

Lib. 2. de Conſid. c. 15.

Iac. 1.

Prov. 10. 19.

Chryſoſt. hom. 2. de David & Saul.

rit aliquando ad ſe redire: at qui laudat malitiam, is ſe privavit curatione, quam affert pœnitentia.

Expende, quanta hinc ſcandala & malorum illecebræ ab eo præſertim naſcantur, qui tanquam judex à Deo eſt conſtitutus, ad ſcelera in aliis condemnanda, & virtutem perſuadendam: & dic cum Siracide: *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, ut non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me?*

Eccli. 22. v. 33.

Cuſtodia ſenſuum neceſſaria.

Quod ſi enim *equis frena in ora mittimus, ad conſentiendum nobis*; quantò æquius, ut linguam noſtram frenemus, eâdemque cuſtodiâ aures, oculos, manus reliquoſque ſenſus & potentias muniamus? Qui alios ad obſequium flectunt, & ſibi *dictum eſſe noverint*: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Deponite iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro; nolite mentiri invicem, exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus, & induentes novum ſecundùm imaginem ejus, qui creavit illum.* Hoc enim eſt mortificare ſe, ſive mori mundo, & vivere Deo.

Coloſ. 3.

Deſiderium mortificationis.

S. Bern. ſer. 52. in Cant.

Utinam hac morte frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non ſentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut non obſtupeſcam ad ſenſum libidinis, ad æſtum avaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ ſtimulos, ad angores ſollicitudinum & moleſtias curarum. Moriatur anima mea morte juſtorum, ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, ſed transfert in melius Contra, mala vita, quæ mortem non aufert, ſed transfert in deteriorem.

riorem. anima enim, *quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*, quam poſt mortem temporalem, mors exſpectat ſempiterna. 1. Tim. 5.

III. PUNCTUM.

Conſidera neceſſarium eſſe Eccleſiaſticis audire ac ſequi Apoſtolum hortantem: *dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, &c. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Non enim illis ſatis erit: *declinare malum*, ſed oportet etiam *facere bonum.* De quibus dictum: *vos eſtis lux mundi, non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio. ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Inprimis verò modeſtia & humilitas ſunt, quæ clericum ornant, & honeſta in luce ceteris imitandum propugnunt. *Decet enim* ut loquitur Tridentinum, *omnino Clericos vitam moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu aliiſque omnibus rebus nihil niſi gravem, oderatum, & religione plenum præ ſe ferant.* Deinde convenit, *ut non ſolum modeſta ſupellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint, verùm etiam in quocunque vitæ genere, ac tota domo caveant, ne quid appareat; quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem Dei, zelum, & vanitatum contemptum præ ſe ferat.* In hoc tamen bonorum operum, & ipſius etiam modeſtiæ

Ad exemplum aliis propoſiti ſunt.
Eph. 4. v. 1. & 23.
Matt. 5.
Modeſtia, & temperantia decet.
Seſſ. 27. c. 1. de ref.
Seſſ. 24. c. 1. de ref.

S. Greg. hom. 11. in Evang. ſtudio, illud inprimis agendum, ut *ita fiat opus in publico, ut tamen intentio maneat in occulto: ut & de bono opere proximus præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua ſoli Deo placere quærimus, ſemper optemus ſecretam.* Planè anceps lucta eſt, quæ cum cœnodoxiæ ſtudio ſuſcipitur, quia hoc malum tam virtutibus, quam vitiis adæret. Quocirca in oculis Dei, omnia contemplantis & judicantis, conſtitutus, ſibi quiſque dicat: 1. Cor. 4. *Quis te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis.* Pone tibi ante oculos illum, de quo Chriſtus, parvulum, quem in medium Diſcipulorum produxit, & audi: Matt. 18. *niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum Quicunque ergo humiliaverit ſe, ſicut parvulus iſte, hic major eſt in regno cœlorum.* Pone ante te Chriſtum 2. Cor. 8. ipſum, qui *cum dives eſſet, propter nos egenus factus eſt*; cùm in illo omnes eſſent *theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*; cùm eſſet Dominus Dominantium & potens ſuper omnes Reges terræ, propter nos *opprobrium hominum factus eſt, & abjectio plebis*, & tanquam in ſola humilitate omnis eſſet perfectionis vis: *diſcite*, inquit, Matt. 11. *à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et Luc. 22. *quicunque voluerit eſſe major inter vos, ſit veſter miniſter, & qui prædeceſſor eſt, veluti miniſtrator. Ecce, ego in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat.* ut iccirco & ſummus in Eccleſia Pontifex hunc titulum non erubeſcat: *ſervus ſervorum Dei.*

Humilitas neceſſaria eſt.

Ambitio exitialis eſt.

Procul igitur abſit honoris ambitio. &, ſi præla-

prælaturæ digniores in Eccleſia adminiſtrandæ ſint, offerantur, non quærantur. Et noveris, ubi major eſt honos, illic onus majus, & ratio difficilior ſupremo Judici aliquando reddenda. Sapientis monitum eſt. *Noli quærere à Domino ducatum, neque à Rege cathadram honoris.* Eccli. 7. 4. *Duriſſimum ſiquidem judicium his qui præſunt, fiet: exiguo enim facilè conceditur miſericordia:* Sap. 6. 6. *potentes autem potenter tormenta patientur.* Age, ergo, *quoniam judicium grave his qui præſunt, feſtina multiplicare Præbendas, inde ad Archidiaconatus evola, demum aſpira ad Epiſcopatus, ne ibi quidem requiem habiturus, quoniam ſic itur ad aſtra. Quo progrederis miſer? an ut ab altiori gradu caſus ſit gravior? neque enim ſic paulatim decides; ſed tanquam fulgur in impetu vehementi, quaſi alter ſatanas, ſubito dejicieris.* S. Bern. in Decl. ſuper, Ecce nos. Muta animum atque illum imitare, *qui cum in forma Dei eſſet, exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens.* Timor ruinæ. Phil. 2. Hunc intuere, & *erubeſce cinis. Deus ſe hominibus ſubdit, & tu Dominari geſtiens hominibus tuo te proponis autori?* D. Bern. ſer. 1. ſup. Miſſus. Præes igitur? ſic aliis exemplo Chriſti præſis, ſicut qui miniſtrat.

DISTICHON MEMORIALE

Virtuti doctrina comes ſit, (2) formaque Chriſti
Afflicti (3) & placeat cura modeſta gregis.

(†)

MEDITATIO VI.

De Miniſtrorum Eccleſiæ obedientia, caſtitate, & paupertate.

VERITAS. Non Deo tantùm ſingulari obſervantia Miniſter Eccleſiæ, verùm & ſacris legibus ac Prælatis ſubjectus eſſe tenetur: (2) tum verò devitato otio, & prava cõverſatione, perpetuæ caſtitati ſeſe adſtringere, (3) ac denique bonis Eccleſiæ non ad ſe, aut amicos ditandos, verùm ad honeſtam ſuſtentationem, & pauperum ſubſidium uti.

ORATIO PRÆPARATORIA conſueta.

PRÆLUDIUM I. *Propone tibi Chriſtum, inter vincula Judæorum, obſequi trahentibus, ad flagra denudari, & denique nudum crucifigi.* 2. *Pete gratiam illius virtutes ſequendi.*

I. PUNCTUM.

Chriſtũ ad mortem uſque obedientem Eccleſiæ miniſter imitetur.

COnſidera viris Eccleſiaſticis inprimis dictum eſſe, *qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur.* Hoc omnes diſcipulos Chriſti feciſſe conſtat, & Paulum inter Apoſtolos, poſtremum quidem ordine, non tamen fervore, qui de ſe profitetur: *mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundu crucifixu*

Gal. 6.

crucifixus eſt, & ego mundo: quique omnes poſt ſe invitat; *imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Phil. 3.
In hac imitatione primum facilè locum habet obedientia quâ Chriſtus ad mortem acerbiſſimam ſuſtinendam æterno ſeſe Patri ſubmiſit, *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Phil. 2.
Graviſſima ſibi ille in agone tormenta imminere videns, & horrente natura ſubterfugiens: *Veruntamen*, ait, *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Hanc promptitudinem Paulus ipſo converſionis principio expreſſit, cum diceret: *Domine, quid me vis facere?* hanc æquum eſt miniſtrum Dei ubique imitari. Nam ſi *juſtum eſt, mortalem hominem eſſe ſubditum Deo*, quidni conſecratum Deo ſervum? 2. Mach 9.
Hic igitur ante omnia Dei legibus, quibus quiſque Chriſtianorum obligatus eſt, venerationem & obſequium debet, quòd perfectiorem ſupra vulgus ſtatum conſectetur. Deinde ſingularibus ſui ſtatus legibus tenetur, ſive illæ vetent, ſive imperent. ita Negotiatorem, Medicum, ſive Chirurgum, Aucupem aut Venatorem, Hiſtrionem vel Mimum agere, non eſt Clerici, ſacriſque decretis damnatur. nam *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.* Et æquum eſt, *ut ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, luſibuſque abſtineant, atque morum integritate polleant; ut meritò Eccleſiæ ſenatus dici poſſit.*

A ſecularibus negotiis abſtineat.

2. Tim. 2.

Trid. ſeſſ. 24. de Ref.

Ad illa quoque quæ in ſacro miniſterio ſui ſunt officii ſtrictè obligantur; quòd & muneris ſuſcepti ratio, & Eccleſiæ ſuos miniſtros alentis compenſatio hoc exigat. Et ſi tanta olim fuit arcæ reverentia: ut David *conſtituerit coram ar-* 1. Par. 16.

Eccleſiaſticum munus ſedulò obeat.

ca Domini de Levitis, qui miniſtrarent, & recordarentur operum ejus, & glorificarent atque laudarent Dominum : quomodo non in umbra, ſed in ſacrorum noſtrorum veritate Chriſtum præſentem non magis veneramur? Siquid hic laboris, aut moleſtiæ ſeſe offert, cur ultro nos ingerimus? an qui commoda percipit, onera recuſabit?

Prælatis ſuis obtemperet. Jam quos Chriſtus ſuo nomine in Eccleſia moderanda Prælatos conſtituit, his quoque honorem, obedientiámque deberi, quis dubitabit? Nam ſi *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt, ita, ut qui reſiſtit poteſtati Dei ordinationi reſiſtat, & ſibi damnationem acquirat*; & ſi etiam ſeculari obſequendum Principi ſit, in rebus ad politicam diſciplinam ſpectantibus: *non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*; quantò illud obſervandum religioſius erit, in rebus ad Eccleſiaſticam diſciplinam ipſumque Dei cultum pertinentibus, cui ipſa etiam diſciplina politica ſubordinata eſt? Non fruſtra Apoſtolus præcipit: *obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Certè Clemens Papa hujus obedientiæ rigidus exactor, omnes Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos, reliquoſque de Clero ſuis Epiſcopis refractarios, *non ſolum infames, ſed & extorres à regno Dei, & conſortio fidelium, & à liminibus S. Dei Eccleſiæ alienos declarat.*

Rom. 13.

Hebr. 13.

Epiſt. 3.

Confuſio inobedientis Erubeſcamus igitur in hac Chriſti militia detrectare imperium, quando ipſum ducem noſtrum,

noſtrum, non Deo patri ſolùm, verùm & mortalibus parentibus ſubditum fuiſſe legimus, atque in ſecularis militiæ diſciplina ſumma plecti ſeveritate delicta inobedientiæ cernimus, & magna obſervatione mandata etiam graviſſima, cum vitæ fortunarúmque omnium diſcrimine videmus acceptari: & illic quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, quæ ſæpe fallit: hic autem incorruptam, quæ ſine dubitatione legitimè certantibus confertur. An refractarios non percellunt Chriſti, ad Apoſtolos eorumque ſucceſſores monita: *qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit?* Neque pii, ſuique judicii homines ſibi hic adulentur: *melior eſt enim obedientia, quàm victima, & quaſi ſcelus idololatriæ eſt nolle acquieſcere.* Quare *quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non ſicut hominibus.*

Miniſtri Dei juſtiſſima.

Luc. 10.

1. Reg. 15.

Coloſ. 3.

II. PUNCTUM.

CONſidera quod ſingularis amor caſtitatis ſtudiumque incontaminati corporis Eccleſiæ miniſtrum deceat, ob ſacrorum reverentiam, & quod Chriſtus voluerit ſuos diſcipulos carni prorſus renuntiare: *Siquis* ait, *veniat ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam* (ſenſitivam) *non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et Apoſtolis dicendum fuit: *ecce nos reliquimus omnia*: priuſquam illis Chriſtus hìc centuplum, & deinde vitam æternam promitteret. Unde Concil. 2. Carth. „*Placuit* & condecet, ait, Sacros Antiſtites, & Dei Sacer„dotes, nec non & Levitas, continentes eſſe „in

Caſtus ſit Eccleſiaſticus

Luc. 14.

„ in omnibus, quò poſſint ſimpliciter quod à „ Deo poſtulant impetrare. ut quod Apoſtoli „ docuerunt, nos quoque *cuſtodiamus.* Jn fine Apolog. Quare & S. Hieronymus ex mente Eccleſiæ contra Jovinianum ſtatuit: *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eligantur; aut vidui; aut certè poſt Sacerdotium pudici.* Et Chryſoſtomus de Patientia Job: *Dixit,* inquit, *S. Paulus* (De Epiſcopo) *unius uxoris virum, non ea ratione, ut id nunc in Eccleſia obſervetur. oportet enim omni prorſus caſtitate Sacerdotem ornatum eſſe.* Et S. Leo Pontifex ad Anaſtaſium, *Ad exhibendam perfectam continentia puritatem, nec Subdiaconis quidem carnale connubium conceditur.* Et S. Gregorius: *Nullum facere Subdiaconorum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe victurum caſtè promiſerit.* Hinc Nepotianum ſic ad caſti-„ tatem Hieronymus inſtruit. *Hoſpitiolum* tu-„ um, aut raro, aut nunquam mulierum pedes „ terant. Omnes puellas & virgines Chriſti, aut „ æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub „ eodem tecto manſites, aut in præterita caſti-„ tate confidas. Nec ſanctior Davide, nec „ Sampſone fortior, nec Salomone potes eſſe „ ſapientior. Memento ſemper, quod paradiſi „ colonum de poſſeſſione ſua mulier ejecit, &c. „ Cave omnes ſuſpiciones; & quidquid proba-„ biliter fingi poteſt, ne fingatur, ante divita. „ Crebra munuſcula, & ſudoriola, & faſciolas, „ & veſtes ori applicitas, & oblatos ac deguſta-„ tos cibos, blandaſque ac dulces litterulas ſanctus *amor non habet.* Et Virgini apud Clericum „ commoranti: *Quid tibi* neceſſe eſt, in ea ver-„ ſari

Epiſt. 48. c. omnium d. 32.

Ep. 42. c. nullum d. 28.

Epiſt. 2. c. 5.

Mulierum vitet conſortia.

Epiſt. 47.

ſari domo, in qua neceſſe habes quotidie aut perire, aut vincere? Quis unquam mortalium juxta viperam ſecuros ſomnos capit? *Fugiat pericula.*
„ quæ etſi non percutiat, certè ſollicitat. Secu-„ rius eſt perire non poſſe, quam juxta pericu-„ lum non *periſſe*. Nimirum, *contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam: nec tibi verecundum ſit, fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere.* Ita Joſephus relicto etiam in manibus mulieris pallio fugiendo vicit. Auguſt. ſer. 2. Dom. 25. poſt Trinit.

Si dignam te ſocietatem & converſationem quæris: *cum viro ſancto aſſiduus eſto, quemcunque cognoveris obſervantem timorem Dei, cujus anima eſt ſecundum animam tuam, & qui, cum titubaveris in tenebris, condolebit tibi.* Aut *adjungaris* Eccli. 27. D. Ambr. l. 1. off. c. 41.
„ probatiſſimis quibuſque ſenioribus. Nam, „ ut æqualium uſus dulcior, ita ſenum tutior „ eſt, qui magiſterio quodam & ductu vitæ co-„ lorat mores adoleſcentium, & velut murice „ pietatis inficit. Nam ſi hi, qui ſunt ignari lo-„ corum, cum ſolerti viarum iter adoriri geſti-„ unt, quantò magis adoleſcentes cum ſenibus „ debent novum ſibi vitæ iter ingredi, quo mi-„ nus errare poſſint, & à vero virtutis tramite „ *deflectere.* Contra, *fuge* perſonas in quibus po-„ teſt malæ converſationis eſſe ſuſpicio. Nec „ paratum illud habeas è trivio: ſufficit mihi „ conſcientia mea, non curo, quid de me lo-„ quantur homines. Certè Apoſtolus provide-„ bat bona non tantùm coram Deo, ſed etiam „ coram hominibus: ne per illum nomen Dei „ blaſphemaretur in *gentibus*. Et quis neget Davidem nobis rectè conſuluiſſe, *cum viro in-* *Proborum ſenum conſortio delectetur.* Hier. Ep. ad Nep. Pſal. 17.

nocente

nocente innocens eris, cum perverſo perverteris?

S. Baſil. hom. Deus non eſt autor mali.

„ Nam *ſicut* in peſtilentibus locis ſenſim attra-
„ ctus aër latentem corporibus morbum inji-
„ cit, ſic in prava conſuetudine ac converſatio-
„ ne maxima mala hauriuntur, etiamſi ſtatim
„ incommodum non *ſentiatur.* Cum otioſis ſociis ad luſus facilè, & vanas levéſque confabulationes, ad convivia etiam ac pocula divertitur. Quæ cuncta integritatem mentis corporíſque peſſundant, nec diu continentem eſſe patiuntur. Siquidem *eſus carnium, & potus vini ventriſque ſaturitas, ſeminarium libidinis* eſt. Un-

Compotationes convivia declinet.

Hier. l. 1. in Iovin.

Concil. Aquilei Can. de vita Cler.

„ de *Convivia*, & nimiam Laicorum familiari-
„ tatem, multarum offenſarum & ſcandalorum
„ originem, Clerici, in quocunque gradu con-
„ ſtituti, declinare, ac fugere *debent.*

Hæc ſeriâ mente revolve, & tanquam ſcopulos caſtitatis devita. Qui inter mulierum conſortia, inter leviculorum, & otioſorum hominum ſocietatem, inter vina epulaſq; frequentes diu illibatum pudorem tuetur, hic ex Eccleſiaſticis corvo rarior albo cenſebitur. Noverat id, qui nos admonet Paulus: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè*: quia *corrumpunt bonos mores colloquia prava. Non in commeſſationibus & ebrietatibus, ſed induimini Dominum noſtrum J. C.* O quam conſultè ſapiens. *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Luxurioſa res vinum & tumultuoſa ebrietas.* Verùm, *ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi det Deus: adii Dominum, & deprecatus ſum:*

Eph. 5. 18. 2. Theſſ. 3. 1. Cor. 15. Rom. 13. Prov. 1. & c. 20. Sap. 8.

Sequar,

Sequar, ô Domine & ampleĉtar tam ſalubre conſilium, iis me ſociabo, qui ædificationi ſerviant; non ſeducant, ſed deducant exemplo & moribus. Sed quia *ſentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, ne me inducas in tentationem, ſed libera ab omni malo.

Deſiderium caſtæ converſationis.

III. PUNCTUM.

COnſidera, quod Miniſtri Eccleſiæ Dei, exemplo Chriſti & Apoſtolorum, pauperes, hoc eſt, ſine poſſeſſione propriorum bonorum ad nutum vendibilium, eſſe teneantur. Hoc jam olim in figura conſtitutum: *Non habebunt Sacerdotes & Levitæ partem & hereditatem cum reliquo Iſraël: Dominus enim ipſe eſt hereditas eorum* Jn lege nova, qui diſcipulorum Chriſti veſtigia ſequi volunt; niſi dicant: *Ecce nos reliquimus omnia*; non habent promiſſionem centupli, & vitæ æternæ. *Qui in terra præſumunt habere facultatẽ; quomodo non erubeſcunt dicere: Dominus pars hereditatis meæ. Ubi eſt illud Apoſtolicum: quæ conventio Chriſti ad Belial? qui terrenas poſſeſſiones relinquere nolunt, cur peccata populi comedunt?* Sed non eſt ſatis reliquiſſe propria; etiam illa, quæ ab Eccleſia conferuntur in uſum tantùm neceſſarium, non in luxum luxuriamque ſunt impendenda. *De altari cui ſervit, vivat Clericus: vivat, non luxurietur, non ſuperbiat, non ditetur, non ſibi de bonis Eccleſiæ ampla palatia fabricet, nec in loculos congreget, nec in vanitate, vel ſuperfluitate diſpergat, nec extollat de facultatibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos.* Jam olim in Carthaginienſi conſilio ſtatu-

Eccleſiaſtica paupertas clerum decet.

Deut. 18.

Auguſt. de contemptu ſeculi t. 9.

Bern. in Decl. Ecce nos

Neceſſaria tantum conceduntur.

Seſſ. 25. c. 1. de Refor.

„ tum ac Tridentino repetitum eſt: ut *Epiſco-*
„ *pi* non ſolum modeſta ſuppellectili & menſa,
„ ac frugali victu contenti ſint, verùm etiam in
„ reliquo vitæ genere, ac tota domo caveant,
„ ne quicquam appareat, quod à ſancto hoc
„ inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplici-
„ tatem, Dei zelum ac vanitatum contemptum
„ præ*ſeferat.* Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, ea ad univerſos, quæcunque beneficia, tam ſecularia, quàm regularia obtiennntes, ipſoſque etiam Rom. Eccleſiæ Cardinales ſpectare decernit.

Superflua pauperum ſint.

Porrò quæ ex bonis Eccleſiaſticis in frugalem uſum impenſis ſuperſunt, ea pauperibus ex veteri Eccleſiæ inſtituto debentur: non amicis, niſi & inter pauperes cenſeri poſſint. *Patrimonia, ſiquidem pauperum ſunt facultates Eccleſiarum, & ſacrilega illis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri, & diſpenſatores, non utique Domini & poſſeſſores, ultra victum accipient, aut veſtitum.* Quare & Tridentina Synodus *interdicit*

D. Bern. loc. cit.

Seſſ. 24. de Ref.

Conſanguinei hinc nequeunt ditari.

„ omnino, ne ex redditibus Eccleſiæ conſan-
„ guineos, familiareſque ſuos augere ſtudeant.
„ Cum & Apoſtolorum canones prohibeant,
„ ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſan-
„ guineis donent; ſed ſi pauperes ſint, iis ut
„ pauperibus diſtribuant: eas autem non di-
„ ſtrahant, nec diſſipent ejus cauſa. Imò quam
„ maximè poteſt eos ſancta ſynodus monet, ut
„ omnem humanum hunc, erga fratres, nepo-
„ tes, propinquoſque affectum, unde multo-
„ rum malorum in Eccleſia ſeminarium extat,
„ penitus *deponant.*

Si

Si tamen ſors obtigit in Eccleſia tenuior, audi Pauli ad Timotheum inſtructionem. *Habentes alimenta, & quibus tegamur contenti ſimus: nã qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva mergunt homines in interitum. Radix enim omnium malorum cupiditas.* Quod expendendum illis eſt, qui, ubicunque in Eccleſia lautioris ſeſe, aut novi etiam beneficii cum priore conjungendi offert occaſio, nec ſtudio, nec quandoque etiam muneribus per ſe alioſve oblatis parcunt, & ſibi perditionem conciliant. Nam cui bono hæc abundantia beneficiorum eſt? Tibi enim, cùm ſupra conditionem, honeſtamque, non lautam vitam, impendere familiæ nihil liceat, onuſque ſolum, diſpenſandi in pauperes cetera, tuis humeris imponas, cur alterius miniſterio privas Eccleſiam? Periculoſum negotium! quod paucos in ſeculo ditat, plurimos in æternum præcipitat. Sed diſpenſatio, ais, impetrata eſt. At quibus cauſis, quàm ſolidâ veritate fundatis? Hæ enim ſi fallant, tota diſpenſatio corruit, tu iniquus bonorum detentor, te tuoſque fautores mergis in interitum. Deus non fallitur, hic de ultimo etiam obolo rationem poſcet, & rapinam Sacrorum bonorum inultam eſſe non patietur. Aliquando audies: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam, & quæ paraſti cujus erunt?* Quam diſſimilis illis es, qui naſcens non reperit hoſpitium, & moriturus in cruce *non habuit, ubi caput reclinaret?*

1. Tim. 6. Lucrum omne vetitum.

Non neceſſaria beneficia perditioni ſunt.

„ *Obſecro* itaque te, & repetens iterum, ite-
„ rumque monebo, ne officium Clericatus ge-
„ nus

S. Hier. Ep. 2. ad Nepot. c. 5.

„ nus antiquæ militiæ putes, id eſt, ne lucra ſe„ culi in Chriſti quæras militiâ: ne plus habeas „ quàm quando clericus eſſe cœpiſti, & dica„ tur tibi: *Cleri eorum non proderunt eis.* Non„ nulli enim ſunt ditiores Monachi, quàm fue„ rant ſeculares, & Clerici, qui poſſideant opes „ ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & „ fallace Diabolo non habuerant: ut ſuſpiret „ eos Eccleſia divites, quos mundus tenuit an„ te mendicos. Menſulam tuam pauperes & „ peregrini & cum illis Chriſtus conviva no„ verit. Negotiatorem clericum, ex inope di„ vitem, ex ignobili glorioſum quaſi quandam „ peſtem *fuge.* Ita Domine, ſic cupio. fac ut te tuumque Apoſtolum monentem audiam & ſequar. *Paſcite eum, qui in vobis eſt gregem Domini, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia ſed voluntariè neque ut dominantes in Clerum, ſed forma facti gregis ex animo: ut cùm apparuerit Princeps Paſtorum percipiatis immarceſſibilem gloriæ coronam.*

Ier. 12. *Propoſitum vitæ frugalis in Apoſtolica.*

1. Pet 5.

DISTICHON MEMORIALE

Parendi ſit cura tibi (2) ne femina tangat:
Quære ſenes. (3) inopes, ſiquid abundat opum

(†)

MEDIT. VII

MEDITATIO VII.

De charitate, Zelo, & patientia Miniſtrorum Dei.

VERITAS. Raram vitæ perfectionem Miniſtri Dei ex officio à ſe ſuſcepto profitentur, quæ eximia charitate Dei, proximique nititur (2) tum verò Zelo gloriæ Dei, & ſalutis proximorum, diſcreto & conſtanti. (3) Poſtremo inſigni patientia, tam in laboribus, quàm perſecutionibus ex amore Dei ſuſtinendis.

ORATIO PRÆPARATORIA communis.

PRÆLUDIUM I. *Propone tibi Chriſtum à reſurrectione inter diſcipulos de perfectione & charitate differentem, ac denique Petro oves ſuas commendantem.* 2. *Pete gratiam ipſius inſtitutionem ſequendi.*

I. PUNCTUM.

COnſidera majorem vitæ ſanctitatem perfectionemq; à Dei Miniſtris ad vitæ ſublimioris profeſſionem aſſumptis, quàm ceteris hominum requiri, & quidem multò maximam à Sacerdotibus ad ſacra Eccleſiæ myſteria, ipſumque Chriſti in Euchariſtia tractandum corpus, aſſumptis: ne ſanctum canibus detur. *Sacerdos enim cœleſte tenet officium, Angelus Domini exercituum factus eſt: tanquam Angelus, aut*

Summa vita perfectio à miniſtris Dei exigitur.

Bern. in Decl. Ecce nos.

eligitur, aut reprobatur. Inventa quippe in Angelis pravitas, & diſtrictius judicetur neceſſe eſt, & inexorabilius, quàm humana. Eccleſiaſticus mundo ad Deum converſus dicet cum Auguſtino: *Dominus pars hereditatis mea & calicis mei.* In pſal. 15. *Eligant ſibi alii partes, quibus fruantur, terrenas & temporales: portio mea Dominus eſt: bibant alii mortiferas voluptates, pars calicis mei Dominus eſt.* Pſal. 72. Et cum Davide: *mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Deo ſpem meam.* Ante omnia igitur, tanquam ſervus fidelis ſe tenetur devovere, non ſolis externis conſecrationis ritibus, ſed intimis animi affectibus Deo: ut cujus ſe miniſtrum profitetur; infidelis ſervus futurus, ſi cuiquam alteri magis adhæreſcat. *Nemo enim magno, & Deo, & ſacrificio, & Pontifice dignus eſt; niſi qui prius ſeipſum Deo hoſtiam viventem, & ſanctam exhibuerit, rationalemque cultum, gratum, atque acceptum oſtenderit.* Talem ſeſe hoſtiam Deo exhibet, qui per charitatem perfectam, tanquam holocauſti ignem, cor ſuum Deo immolaverit. *Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et hac Apoſtoli olim flagrabant, cum dicerent: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Sine hac, neque ſcientia, neque eloquentia & prædicandi facultas, neque cetera, ſeu naturæ, ſeu gratiæ dona quicquam profutura ſunt: *Si* enim *linguis hominum loquar & Angelorum: charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, & cymbalum tinniens. Etſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuere*

Miniſter Dei totus Dei eſt.

Gregor. Theol. Apol. 1.

Charitate Dei eminet.

1. Ioan. 4.

Rom. 5.

1. Cor. 13.

ro omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Quæ cauſa, quòd in ſacris officiis, tam multi Eccleſiaſtici langueant? ſæpe à choro abſint; aut ſi adſint, ſine pietatis ſenſu perfunctoriè & raptim canant aut orent? cur alii clamoſi in cathedra Stentores, tam parum animos audientium percellunt? alii Sacramenta cunctanter & deſidiosè adminiſtrant? an non iccirco, quia hæc ſola deeſt actionum omnium anima, quæ eſt charitas? Ex hac verò charitate Dei pendet & dilectio proximi. Nam, *mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Et quidem, *ut perfecta juſtitia ſit diligere proximum, Deum in cauſa habere neceſſe. Alioquin proximum purè diligere quomodo poteſt, qui in Deo non diligit? porrò, in Deo diligere non poteſt, qui Deum non diligit.*

Charitate proximo obligatur.

1. Ioan. 4.

Bern. de dilig. Deo.

Hìc expendant animarum Paſtores exemplum Chriſti Paſtoris boni, qui ita dilexit proximum, ut *animam ſuam poſuerit pro ovibus ſuis.* Per quam difficiles vias, per quot adverſa ille errantem ovem ſecutus eſt? quot labores, itinera, calumnias, opprobria, & perſecutiones ſuſtinuit, quot bonis in corpore & anima, ſæpe etiam ingratos cumulavit? Tales & Chriſtus diſcipulos, & in ſuo munere ſucceſſores deſiderat. *In hoc* enim ait, *cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Ad quid in Eccleſiam Dei veniſti? cujus geris miniſterium? cujus munus ſuſcepiſti? quot hominum ſalus, ex te tuaque ſedulitate dependet? quàm jucundum eſt illius amicum

Hæc propriè ſignum eſt miniſtrorum Dei.

Ioan. 13.

Dolor neglecti officii & deſiderium implendi.

eſſe, qui *poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam*? quàm glorioſum eſt il-
1. Cor. 9. lum imitari, qui *omnibus omnia factus eſt, ut omnes lucri faceret.*

II. PUNCTUM.

Zelus pro honore Dei & ſalute animarum Dei miniſtrum decet.

CONſidera, Zelare quemlibet Eccleſiaſticum debere pro honore Dei, pro ſalute Eccleſiæ, & proximorum; quia miniſter Dei & Eccleſiæ eſt. Hic porrò Zelus ex eodem charitatis igne in cordibus noſtris accendendus eſt. *Ignem*, ait, *Chriſtus veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur*? Hoc vehementer inflammatus erat ille Chriſti miniſter, qui dicebat, proximorum ſaluti intentus: ſe verſatum,
2. Cor. 11. *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum.* Et, *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? Ego autem libentiſſimè impendam*
2. Cor. 12. *& ſuper impendar ipſe pro animabus veſtris: licet plus vos diligens, minus diligar*: imitatus illum
Act. 10. qui cum *pertranſiiſſet benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo*, denique & ſemetipſum moriens ſuperimpendit in ligno crucis ſaluti noſtræ. Tali Zelo David accenſus dicebat:
Pſ. 18. *Tabeſcere me fecit Zelus meus, quia obliti*
Rom. 15. *ſunt verba tua inimici mei.* Nam *Dei miniſter eſt vindex in iram ei, qui malè agit.*

Zelus tamen 1. ſit diſcretus

Debet tamen 1. ejuſmodi Zelus cum prudentia & diſcretione eſſe conjunctus. ne ſimus ex illis: *qui æmulationem Dei habent; ſed*
Rom. 10, 2. *non ſecundum ſcientiam. Ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere*, offendunt.
Ber. ſer. 49. *Semper quidem Zelus abſque ſcientia minus eſt*

ax, minuſque utilis invenitur, plerumque autem & pernicioſius valde ſentitur. Quò igitur Zelus ervidior ac vehementior ſpiritus, profuſiorque haritas, eò vigilantiori opus ſcientia eſt, quæ Zeum ſupprimat, ſpiritum temperet, ordinet chariatem. 2. Videndum ne ex livore, ſuperbia, aut ndignatione procedat, ſed ex puro amore Dei. Nam *æmulationem Dei ſuo ſpiritu inſpirat fidelius Deus; amoris enim non livoris eſt.* Hac æmulatione *Phinees Pater noſter,* ait Mathathias moiens, *Zelando zelum Dei, accepit teſtamentum Sacerdotii æterni.* 3. Cum dolore animi compatientis alienæ calamitati ſociandus eſt. Ita Paulus *Triſtitia,* inquit, *mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis. Multi enim ambulant quos ſæpe dicebam vobis, (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum.* Ita & Chriſtus, *videns civitatem Jeruſalem, flevit ſuper illam.* 4. Cum animi fortitudine junctus Zelus eſt, qui omnia adverſa ſuſtinet, aut perrumpit. *Fortis enim, ut mors delectio; dura ut infernus æmulatio. Nam qui igne Chriſti tactus fuerit, nihil curæ illi eſt gloria & ignominia, tentationes verò ſic contemnit, & flagella & carceres, quaſi in alieno corpore pateretur, aut velut adamantinum corpus poſſideret. Quæ autem ſuavia ſunt in hac vita ridet, atque ad ea ſic afficitur, quaſi corpore mortuus eſſet.* 5 Sine reſpectu perſonarum monet & exequitur, quæ ex divina gloria eſſe judicat, memor Chriſti monentis, *qui me erubuerit & ſermones meos hunc filius ho*

[Margin: 2. *Sine livore aut alio vitio.* — Aug. in Pſ. 118. — 1. Mach. 2, 54. — 3. *Sit compatientis.* — Rom. 9. 2. — Philip. 3. 18. — Luc. 19. — 4. *Fortis in adverſis.* — Chryſoſt. hom. 52. in Act. — 5. *Sine reſpectu humano.* — Luc. 9.]

minis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & patris, & Sanctorum Angelorum. Sine quo reſpectu uſque adeò D. Paulus fuit, ut diceret; Gal. 1. *ſi adhuc hominibus placerem Chriſti ſervus non eſſem.* Et hic quidem in miniſtro Dei, Zelus ſæpe eſt neceſſarius, ut quorundam potentiorum audacia comprimatur; diſcretione tamen condiendus, ne plus deſtruat, quàm ædificet.

Quibus mediis hic Zelus accendendus. Expende, quem in te affectum experiare, an *perfecta charitas* in te ſit, quæ *foras mittit timorem,* & animum Zelo Dei flagrantem, pro illius gloria, & proximorum ſalute, aut propugnanda, aut propaganda, ad quævis audenda patiendáve inflammet? Quod ſi defuerit; ille tibi ignis charitatis magis magíſque eſt accendendus, unde hæc zeli flamma prorumpit. Nondum ſatis pretium animæ, vitæque ac mortis æternæ, nondum mortem Chriſti, & ardentiſſimum illius amorem, ut par eſt, æſtimare noſti.

Deſiderium boni Zeli. O quis mihi dabit, ut illo Zelo accendar, quo flagrarunt tot ſancti miniſtri Dei, atque inprimis ille, qui Epheſiis valedicens ſcribit; Act. 20. 31. *per triennium nocte & die non ceſſavi cum lacrymis monens unumquemque veſtrûm:* ita cum his, ita cum aliis verſatus, nec laboribus obrutus, nec doloribus opprobriíſque deterritus, tanquam Angelus Dei, illorum zelum eſt æmulatus, qui Heb. 1. 14. *ſunt adminiſtratorii ſpiritus, miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis.* An non fas eſt, tales tantóſque, & in cœlis, & in terris, pro Dei honore & proximorum ſalute zelatores imitari?

III. PUNCT.

III. PUNCTUM.

Conſidera, fieri non poſſe, ut abſque tribulatione ac perſecutione vivas, ſi munus ſuum in Eccleſia rectè ſedulóque exequaris: nam & illud ſuas habet moleſtias, & improborum adverſum te conatus non rarò inſurgent. Habet enim princeps hujus mundi ſuos ubique miniſtros, qui Dei miniſtris Zelo impio adverſantur. Præmonuit Chriſtus: *Non eſt ſervus major Domino ſuo, ſi me perſecuti fuerint, & vos perſequentur.* Et Paulus ſuâ doctus experientiâ, tradit quod *omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patiantur.* Et Petrus: *in hoc, enim, vocati eſtis; quia & Chriſtus paſſus eſt pro vobis, relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti ſe injuſtè.*

Perſecutiones & adverſa ſuperanda ſunt.

Ioan. 15.

2. Tim. 3.

1. Pet. 2.

Fidelis Dei & Eccleſiæ miniſter propoſito ſibi Chriſti ſummi Sacerdotis exemplo, ad hoc ſolum intentum gerit animnm, ut ſibi impoſitum à Deo munus juxta voluntatem ipſius exequatur; ſicut Legatus Regis ſuo officio exequendo intentus viarum pericula & occurentes difficultates perrumpit, memor cujus perſonæ munerisque dignitatem ſuſtineat. Ita *per bonam famam & malam, à dextris & à ſiniſtris Chriſti miles graditur; nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate, & læta contemnit, & triſtia: per diem ſol non urit illum, neque luna per noctem.* Talis erat Elias Theſbites olim, qui cum periculo capitis impium Regem Achab ſæpe coarguit

Difficultates in illuſtri munere ſuperandæ.

D. Hier. ad Nepot.

Exemplo Eliæ.

idololatriæ aliorumque ſcelerum, improbiſſimæque Reginæ Jezabeli prædixit, fore ut canes nefariam in agro dilacerarent. Talis & Joannes Baptiſta, qui Herodi inceſto coram exprobrare auſus: *non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Et quamvis jam incluſus carceribus non deſtitit tamen illius aliorumque ſcelerum indignitatem Herodi exponere, pœnitentiamque ſuadere, memor officii ſibi à Deo commiſſi, memor divinæ gloriæ, ſalutiſque alienæ. Tales denique tam ſeduli, tam ferventes, tam contemnentes periculorum erant Apoſtoli omnes, in miniſterio ſibi à Deo imperato: quos non perſecutio, non gladius, non fames, non nuditas, non anguſtia, non tribulatio, non mors ipſa poterat illos ſeparare à charitate Dei, & proximorum. quin etiam *ibant gaudentes à conſpectu concilii: quoniam digni fuiſſent pro nomine Jeſu contumeliam pati.*

3. Reg. 21.

Matt. 11. Et Ioan. Baptiſta.

Deſiderium patiendi pro Deo.

Quis nobis hoc tribuat, ut ſimili ardore ſuccendamur hodie in Eccleſia Dei? quanto illius eſſet facies illuſtrior, fides ferventior, major pietas & religio! Expende quantum nunc iſtorum decus ſit, qui aliquando hoc officio præclarè functi ac defuncti ſunt, quàm celebris illorum in terris recordatio, quàm immenſa in cœlis gloria! quàm dulci atque inexplicabili nunc flagrent ac fruantur amore Dei in æternitate, qui eodem hic accenſi fuerunt in tempore. Quin imus, quin conſequimur, tam illuſtria in terris Sanctorum veſtigia, quando *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

DISTI-

DISTICHON MEMORIALE

Te geminus ſuſtollat amor (2) Zeluſque ſalutis
Diſcretus, (3) patiens ſpecta operando Deum.

MEDITATIO VIII.

De perfectione & conjunctione cum Deo Sacerdotibus neceſſaria.

VERITAS. Magna Sacerdotis in terris ſanctitas requiſita eſt, quòd Chriſti Salvatoris noſtri vices, in ſanctiſſimo Sacrificio obeat; (2) ideóque ad ſingularem cum Deo familiaritatem: (3) deinde ad quotidianum in perfectione progreſſum, ſine quo perſeverare difficile eſt, conniti tenebitur.

ORATIO PRÆPARATORIA communis.

PRÆLUDIUM 1. *Proponat ſibi Chriſtum, in via & hoſpitio Emauntis cum ſuis diſcipulis converſantem, & conveſcentem.* 2. *Petat gratiam ex ipſius conſortio proficiendi.*

I. PUNCTUM.

COnſidera, quòd, uti Chriſtus non tantùm ſupremus Sacerdos eſt, ſed & Mediator, Heb. 7. 25. intercedens inter Deum & hominem deprecator, & *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*; ita *Sacerdos ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, & orationibus Heb. 5.

 ſuis

Sacerdotis magna ſanctitas ad Chriſti vices dignè obeundas requiritur.

ſuis interpellet pro nobis. Quod ultimum illi munus cum reliquis Eccleſiæ miniſtris commune eſt; primum ſingulare, & prorſus divinum; quia in Chriſti perſona Sacrificium illud offertur. Quis igitur ſatis, aut mente concipiet, aut verbis explicabit, quàm diligens ad illud dignè peragendum animi corporiſque præparatio, quàm ardens deſiderium Deo rectè ſerviendi, & quàm ſedula ac devota ſacrificii executio requiratur. Quanta, quam ſtupenda res! Chriſtus homini mortali ſuas in terra vices demandat, idque in ſupremo myſterio, quo majus ipſe nullum in terra peregit: offerens ſemetipſum hoſtiam pro peccatis noſtris æterno Patri. Qualem hic requirit jure Chriſtus in Sacerdote puritatem ſpiritus, devotionem mentis, reverentiam offerentis. Ipſe *Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur, ideóque per id tempus, & Angeli Sacerdoti aſſident, & cæleſtium poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus plenus eſt Angelorum choris, in honorem illius qui immolatur.* Hæc ſi non humanis intuemur oculis, (quibus certè ad ſummam venerationem cum ſancto tremore excitaremur) attamen indubitatâ, longéque minus fallenti, fide contemplamur. ut iccirco mirum ſit, quemadmodum homo ſanæ præſentiſque mentis hoc in loco officioque torpere poſſit, aut cum levi etiam imperfectione & macula non vereatur ad tremendum hoc myſterium accedere. Bethſamitæ olim videntes quàm admiranda Deus per arcam operaretur: *Quis* inquiunt, *poterit ſtare in conſpectu Domini Dei Sancti hujus?* Tanta erat erga

D. Chryſoſtomus.

Sacrificii ſumma dignitas eodem poſtulat.

1. Reg. 6.

erga figuram myſterii hujus reverentia: ut intelligas, quid in ipſa veritate præſtandum ſit. Sive enim expendamus ſupremam offerentis Chriſti dignitatem, ſive ipſius myſterii magnitudinem, hoſtiæque oblatæ excellentiam, ſive illam cui offertur Dei majeſtatem, ſive illius, quâ offertur, actionis inæſtimabile pretium, ſive illorum pro quibus offertur neceſſitatem, ac fructum incredibilem, omnia planè in hoc myſterio ſumma, excelſiſſima, diviniſſima ſunt, ut angelicam magis, quàm humanam puritatem ſanctitatemque exigere videantur.

O felix & ſublimis homo, qui ad tantam tamque excellentem dignitatem officii à Deo admitteris; infelix, atque infra homines deſpiciende, quiſquis abuteris. O adoranda majeſtas, quanta tua bonitas & demiſſio eſt, quòd ad verba & manus hominis peccatoris de ſummo tete cœlo inclines! ô deteſtanda hominis malitia & arrogantia, qui ad tanti myſterii tractationem cum ſcelerum conſcientia indignus advolat! ô bone Jeſu, qui in hoc myſterio & offerens & hoſtia es, da, ut ex infinita illa ſcaturigine gratiarum, quæ hìc exundat, aridum cor meum irrigetur, ne quicquam te tuoque miniſterio indignum admittam; ſed puro corde, ardenti deſiderio, perfectáque charitate te Deum meum amplectar, & in hoſtiam mihi totíque Eccleſiæ ſalutarem offeram!

Admiratio divini myſterii.

Et gratiæ imploratio.

II. PUNCTUM.

CONſidera, à Miniſtro Dei non minus, quàm aulæ ſecularis miniſtris exigi, ut Regi ac Domino ſuo frequentes adſint, atque ad

Dei Miniſter in Eccleſia Deo familiaris ſit.

ad omne miniſterium domus, hoc eſt, Eccleſiæ, parati, promptique ſint, & tanquam familiares cum eo converſentur, ipſum in oculis animoque circumferant, atque ipſius crebro alloquio, mandatis, conſuetudine delectentur. Certè ſolius Euchariſtiæ aliorumq; Sacramentorum prudens ac pia uſurpatio, *infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Atque ad hujus amicitiæ uſum ſuos potiſſimùm diſcipulos Chriſtus eorumque ſucceſſores delegit. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Et quibus magis, quàm Eccleſiæ ſuæ miniſtris cæleſtia myſteria communicavit? qui etiam arctiori amicitiæ & familiaritatis lege quàm hi Chriſti domeſtici, eidem devincti tenentur? Quàm glorioſum Abrahamo fuit amicum Dei appellari! Unicum illi Deus præceptum dederat: *ambula coram me, & eſto perfectus.* quo ille tanquam fidelis miniſter, non parum in Dei familiaritate profecerat. quod & ſibi datum eſſe, jure omnes Eccleſiæ Deique miniſtri exiſtimare poſſunt. Quo enim fine hos vocavit? an non ut ſibi velut domeſtici miniſtrarent? nemo negabit. At quale hoc miniſterium, quod exigit? *conſtituitur pro hominibus in iis quæ ſunt ad Deum.* Quænam hæc? ſacrificia, orationes, pſalmodiæ, ſacramentorum adminiſtratio, aliorumque ad religionem ac pietatem inſtitutio, quod eſt ubique de rebus agere divinis, & cum Deo converſari. Nunquid in cœlo Sancti Angelique Dei, cùm ſumma voluptate ſine intermiſſione, occupantur

Sap. 7.14.

Ioan. 15.

Heb. 5.

Vt muneris Deo eſſe familiares tenentur, cum hoc in omnibus Deum ſpectet.

tur & gaudent, concinentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*! Ipſe Chriſtus Servator noſter, quam in oratione frequens! in qua etiam pernoctare ſolebat, non tantùm pro ſe, verùm & Eccleſiâ ſuâ ſollicitus deprecator. Vnde Petro ait: *oravi pro te, ut non deficiat fides tua.* Quando igitur Eccleſiaſticus atque inprimis Sacerdos, hoc munus, Chriſtum ſanctoſque imitandi, orandique pro Eccleſiæ neceſſitatibus, impoſitum ſuſcepit, detrectare omnino non poterit; & gravi ſeſe noxâ obſtringet, niſi, ut par eſt piè devotéque expleverit. Jam quid memorem proprias illius neceſſitates inter tot mundi diſcrimina, & labendi occaſiones, niſi orationis præſidio, vix ſuperandas. Quod ſi enim Auguſtino teſte; *ille novit rectè vivere, qui novit rectè orare*: exiſtimandum non eſt, Eccleſiaſticum virum, ſine recto pioque oratonis uſu, diu rectè victurum. Ut manifeſtum ſit quod magna illius, quà publicè in Eccleſia certis horis peragendæ, quà privatim etiã perſolvendæ, incumbat ipſi neceſſitas. Cetera, ad miniſterium prædicationis & ſacramentorum pertinentia, nihil attinet percenſere; cùm nihil eorum ſit, quòd, ut divinum, ut Eccleſiæ neceſſarium, ut ad honorem Dei proximique ſalutem inſtitutum, præcipuam diligentiam attentionemque, juxta præſcriptas Eccleſiæ leges, non requirat.

Neceſſitas propria cogit.

Hom. 4. ex 50.

Expendat hic quiſque, quam perſonam, quodque in ſe munus ſuſceperit, aut decernat admittere. & nequid illo indignum fiat tantâ in re, quanta eſt Dei gloria, ſaluſque non ſolùm

Æſtimatio periculi in muneris neglectu.

propria,

propria, verùm & totius Eccleſiæ, impensè providcat. Etenim tam excelſa munia non poſſunt, niſi cum magnâ pietate rectè adminiſtrari: nec, niſi cum magnâ impietate deſidiosè negligi. Vnde Epiſcopo illi dictum, *quia tepidus es, incipiam te evomere.* Quale ergo judicium his imminet, qui pinguiora Eccleſiæ beneficia occupant, & plerumque per Vicarios officium perſolvunt, adeóque ventri magis ſerviunt, quam Deo! Cave imiteris.

Apoc. 3.

Gratiæ ad exequendũ poſtulatio.

Agnoſco, ô Deus meus, obligationem meam in tam ſancti muneris adminiſtratione. Et quis mihi tribuet, utque tanquam fidelis ſervus conſtituar ſuper familiam tuam, & ſanctiſſimam in omnibus impleam voluntatem?

III. PUNCTUM.

Profectus ad perſeverandum neceſſarius eſt,

Conſidera, non eſſe ſatis bene cœpiſſe, ſed qui perſeveravit ad finem, hunc ſalvum fore: neminem autem facilè in tali ſtatu, tot occaſionibus labendi expoſito, perſeverare, niſi indies ſtudeat proficere. *Nunquam juſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit ſatis eſt; ſed ſemper eſurit ſititque juſtitiam. Ita, ut ſi ſemper viveret, ſemper quantum in ſe eſt juſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus, inſtar mercenarii; ſed æternum divino ſe mancipat famulatui.* Quocirca *quantumcunque hic profecerimus. Nemo dicat, ſufficit mihi, juſtus ſum. ubi dixerit ſufficit, ibi haſit.* Vis coronari? *Eſto fidelis uſque ad mortem. Juſtorum* enim *ſemita quaſi lux ſplendens creſcit uſque ad perfectum diem.*

D. Bern. Ep. 23.

Aug. in pſ. 69.

Apoc. 2.

Prov. 4.

Quid

Quid igitur ad torporem excutiendum facies? Imitare Paulum: *Ego*, ait, *non arbitror me comprehendiſſe: unum autem quæ retrò ſunt obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto Jeſu. Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus*, priorum quæ fecimus bonorum obliti (& quem diem, ut par eſt, impendiſſe ſe quiſquam poterit gloriari?) ad futurum tempus perfectè Deo impendendum nos vertamus. Et quis ſibi diem unicum certò poteſt polliceri? Hunc ergo ſic ſaltem impendamus, ut ſi primus eſſet, ac ultimus: dicamuſque cum Apoſtolo: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum; ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros*: ne cogamur aliquando cum Jmperatore Tito dicere: *amici, Diem perdidi.* Hac ratione S. Carolus Borromæus, Eccleſiaſticorum exemplar optimum, ſeſe in dies ſingulos excitare ſolitus, ad ſummam perfectionem contendit. Eidem familiare erat, ſuadere omnibus, ut præſentem haberent in animo ubique Deum. Quid enim verius, quàm quod *in eo vivimus, movemur, ac ſumus*? hoc indubitata fide tenendum eſt. illud ſolum requiritur, ut nos ipſos Deo præſentes animo ſiſtamus, memores, ex occulto eum omnia intueri, adeóque in quemque noſtrûm intentos habere oculos animumque, ut ſi aliud omnino nihil toto orbe curaret. Hæc cogitatio, fide viva ſæpius innovata, dormire non ſinet miniſtrum Dei,

Phil. 3.

Proficere cupienti, 1. incipiendum indies.

2. Cor. 6.

2. In Dei præſentia ambulandum.

Act. 17.

Pſ. 76. Dei, etiam excitabit gaudentem cum Davide, fatentémque: *memor fui Dei, & delectatus ſum*: labor mihi dulcis, *jugum Domini ſuave* eſt. Denique ejuſdem Borromæi conſilium erat, hoc agendum, ut omne opus noſtrum dirigeretur ad honorem Dei, juxta Pauli monitum: *omnia in gloriam Dei facite.* Quod difficile non erit in conſpectu Dei ambulanti, qui utique nulli magis, quàm Deo placere cupiet. Hoc ergo fac, & vives. En brevis methodus & proficiendi indies, & perſeverandi. Quam ſi quique miniſtrorum Eccleſiæ, ut facilis eſt, ita non graventur accipere, his *benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem.*

3. Omne opus ad Deum dirigendum eſt.

1. Cor. 10.

Pſal. 83.

Verùm, quia dum in carne & mundo hoc verſamur, *neceſſe eſt, de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere: magna divinæ pietatis dignatione proviſum eſt, ut, ad reparandam mentium puritatem, aliquot dierum nobis exercitatio mederetur.* Erit igitur ſeceſſus ille dierum aliquot, quo mundi curis planè ſepoſitis, animæ ſalutiſque meæ ſupremum tantùm negotium tractem, retractémque, quotannis omnino ſalutaris, nec facilè omittendus ad profectum felicémque ex hac vita tranſitum adſpirantibus.

S. Leo ſer. 4. quadr.

4. Annua ſpiritus recollectio non facilè negligenda.

Expende, quis adhæc præſtanda tibi ſit animus, atque ex hac reſolutione tua præcipuum æternæ felicitatis tuæ momentum atque incrementum pendere noveris. Semel ſaltem in anno *diſpone domui*, & dic: ô bone Jeſu, trahe me poſt te, & *inclina cor meum, ad faciendas juſtificationes tuas in æternum.* Nam *beatus vir cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, ibit de virtute in virtutem donec videbitur Deus Deorum in Sion.*

Pſal. 118.

Pſal. 83.

DISTICHON MEMORIALE

Hoſtia perfectum ſibi vendicat alma miniſtrum.
(2) *Nijungare Deo* (3) *proficiasq́, cades,*


Si Compatimur et conglorificabimur.
Rom.
S. Helena
S. Catharina
Pietate Spe
Fide Amore
Finem reſpice
Media elige
Execuc̃onem matura
Mortalitatis terminus
Immortalitatis exordium
Sic tranſit gloria mundi

STA VIATOR

Et hunc vitæ mortalis contemplare Terminum
Ab Electore Carolo Casparo à Petra
Publico fixum loco.

Ut conſtet omnibus moriendum eſſe,
Et ad hunc Terminum ſummos cum imis ſiſti,
Cum Cræſo Codrum, cum Mopſo Adonidem.
Hoc uno felicem te puta, qui Metam hanc vitæ adſpicis,
Quod adhuc in ſtadio liceat ordinare vitam.
Qui bene vult mori, ante ſepulchrum de ſepulchro cogitet,
Utque poſt mortem poſſit æternum vivere,
Prius in vita temporali meminerit ſe mori,
Æternitate felici *elector* dignus eſt,
Quiſquis hoc *fine* digna *elegerit media.*
Illorum imitator, qui Monumentum hoc circumſtant *Sancti.*
Ut quos in vita Patronos delegit, habeat in morte.
Quam durum eſt ſanctè vivere, tam glorioſum eſt vixiſſe.
Cave differas. Hæc hora tuæ ſalutis eſt,
Cum ſemel tranſierit, æternum non reditura.
Quantum periit de vita annorum, quod nunc retro eſt!
Quantulum fortè quod reſtat!
Certum illud, hoc incertum.
Forte *cras repetent animam tuam, & quæ paraſti cujus erunt?*
O vita brevis, ô certa mors, ô longa æternitas!
Quis, ut par eſt hominum vos dignè æſtimat!
Utinam ſaperent & intelligerent, & noviſſima providerent!
Sape, elige, provide.

Ut felix moriaris homo, bene vivere diſce.
Ut felix poſſis vivere, diſce mori.

TRACTA-

TRACTATUS

De prudenti Electione, cùm Status, tum Mediorum vitæ, ad finem ſalutis conſequendum.

CAPUT I.

De quibus rebus inſtituenda electio: à quibus perſonis tam eligentibus, quàm dirigentibus; quo modo ac tempore. Cum brevi inſtructione de diſcretione Spirituum.

CUm in vita hac tanquam in via conſtituti, variis erroribus vivamus obnoxii, hinc ratione & cupiditate, inde Deo aut Dæmone inſtigante, circumſpectione nobis ſedulâ, ac maturâ deliberatione ſæpe opus eſt; ac tum præcipuè, cùm de rebus gravioribus, ut electione certi ſtatus, aut etiam mediis ad quemque vitæ ſtatum conducentibus, eſt conſtituendum. *Deliberatio ſedula homini ad rectè agendum neceſſaria eſt.*

Dedit ad hanc rem Deus cuilibet homini Rationem ducem, cui ſubeſſe cupiditatem, ſive appetitum irrationalem, voluit, *ſub te erit*, ait, *appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* offert & ſeipſum ductorem: quia tanquam creator ſuæ creaturæ providere de mediis ad finem conſequendum neceſſariis non deſinit: modò illa cum ſubmiſſione petamus. Et hic ſolus eſt, qui adverſarium noſtrum Diabolum potenti virtute poteſt continere. Ex quo manifeſtum eſt, Gen. 4.

Deum ac Rationem nobis in quavis electionē ſequendum eſſe; & quotcunque Cupiditatem Ducem ſequuntur, aberrare.

Hebd. 2. *in fine.*

Quia tamen nonnunquam ambiguum eſt; à Ratione, an à Cupiditate? & Deóne an Dæmone inſtigante feramur? D. Jgnatius non pauca nobis hac in re obſervatu digna reliquit, juxta quæ hanc diſſertationem placuit inſtituere.

Obſervandum 1. *De re eligenda.*

De quibus rebus inſtituenda ſit deliberatio.

Res omnes de quibus deliberatio inſtituitur, quæque ſub electionem cadunt, ſive de negotio aliquo ſingulari deliberetur, ſive de vitæ totius ſtatu, debent eſſe bonæ. Nam malum ab omnibus fugiendum eſſe conſtat, non eligendum. Et harum rerum electio, vel mutabilis eſt, ut in officio aut beneficio aſſumendo; vel immutabilis, ut ſtatu conjugii aut religionis eligendo.

Matt. 19.

Status vitæ cum ſeria deliberatione eligendus.

Jn electione ſtatus quæritur: an conſultum ſit, præter Dei præcepta, ejus quoque conſilia amplecti? cum Chriſtus ſuadens cælibatum, propter regnum cælorum, adjecerit: *qui poteſt, capere capiat.* Quod ſiquis conſilia admittenda eſſe ſtatuat, propriæ ſalutis & divinæ gloriæ intuitu; quærendum ſupereſt: an in ſeculo cælebs, Clericus, aut Sacerdos eſſe malit; an religioſum ſectari ordinem? & ſi hunc, quem ex diverſis totâ Eccleſiâ diſtributis? In his verò omnibus prudenti electione diſcutiendis, tam ſuas quiſque vires & ingenium, quàm ſtatus cujuſque inſtitutum diligenter explorare tenetur. Et ſi Dei cognoverit voluntatem, in rebus præſertim arduis, non diu reſpuere, & cunctari:

ri: Cùm plures ſeductione, & licentiâ vitæ, gratiam divinæ vocationis, unà cum ſalute, prodigant & amittant. In electione mediorum, ad ſtatum quemlibet pro ratione muneris adminiſtrandum, quæritur, inter diverſa media licita, & utilia ad finem talem: quodnam ſit convenientius ad ſerviendum ſtatui, quem pro ſalute mea & gloria Dei ſuſcepi? Et quæ media, ad hunc finem ſint parum idonea, atque iccirco repudianda? e. g. Homo doctus in matrimonio honeſtam ſui & liberorum ſuſtentationem ſpectans, deliberat, an Procuratoris cauſarum officium ſuſcipere, an potius negotiari vino, aut frumento aliisve mercibus expediat? Ponderatiſque hinc commodis, & incommodis temporalibus: inde etiam ſpiritualibus (quæ planè negligendæ non ſunt; cum in deliberatione, ubi de ſalute agitur, potiſſimam obtineant partem) denique concludit, hoc eligendum, quod cum minori periculo ſalutis conjunctum, plus temporalis & ſpiritualis utilitatis continet, aut, ſi utrumque conjungi bonum nequeat, plus ſaltem ſpiritualis emolumenti complectitur. Ut enim anima corpori, & æterna perituris immenſo intervallo præferenda ſunt; ita ubique hoc commodum eſt præponendum. Sic Eccleſiaſticus in beneficio aliquo admittendo, aut rejiciendo, expendet, pluſne hinc Eccleſiæ, cui ſerviet, utilitatis, ac deinde ſibi emolumenti ad ſalutem acceſſurum ſit? An non honeſtè ſe alere unico, quod poſſidet, beneficio queat? an ſine neceſſitate Eccleſiam privet aliâ perſonâ Deo per hoc beneficium

De mediis cujusque ſtatus deliberandum, tam ſecularí, quàm Eccleſiaſtico, & Religioſo.

ſerviturâ? an, quàm ſuſcipit Eccleſiæ, aut animarum curam pro dignitate adminiſtrare poſſit; vel, an alius ſe dignior excludatur? an fructus ſuperfluos bene ſit impenſurus ad Dei honorem? &c. Alio enim fine collatæ fundationes ejuſmodi Eccleſiæ non ſunt, quàm ut Deo per illas ſerviatur. Religioſus in converſatione proximorum, aut etiam uſu rerum quarundam videbit; num his, aut illis juratæ Deo continentiæ, paupertati, vel obedientiæ contraveniat? Hoc ſi adverterit; repentè ſe animumque corriget, atque ad fidem Deo præſtitam ſanctè obſervandam, media deliget magis opportuna. Quod illi difficile non erit, cùm ubi hæſitaverit ipſe, ſpirituales habeat Patres, ſuperioreſque, ad ſuam etiam ſalutem intentos, & conſilia opemque ſuppeditandam paratos.

Obſervandum 2. De perſona eligente.

Ante electionem debet quiſque, omni inordinato affectu ſepoſito, indifferens eſſe.

Perſona, quæ ad electionem accedit, debet eſſe prorſus indifferens; ita ut inordinatis nullis affectionibus in hanc potius, quàm illam partem propendeat: aut ſi inclinatione cupiditatum ſuarum prematur, has ita ſub rationis piæque voluntatis imperio premat, ut illas in electione non ſequatur: niſi quantùm per Dei leges, ſine ullo etiam veniali delicto, fas eſt. Hinc D. Jgnatius hominem ad electionem præparaturus, tres gradus conſiderandos præfigit (quos humilitatis vocat; quòd homo in his ſe Deo vocanti ſubjiciat.) Primus eſt ita ſubdere ſe legi, ut mori malis, quàm deliberato hanc animo graviter, ſeu cum lethali noxâ tranſgredi; alter ita perfectè ſubjici, ut nec veniali

Electurus ſingulari humilitate Deo ſubjiciatur.

niali noxâ hanc violare conſtituas; noliſque in tali periculo divitias præ inopia, honores præ infamiâ appetere: Tertius, ut malis pauperem & abjectum Chriſtum ſequi, quam opes, honores, & delitias ſectari, licet ſine omni noxâ, etiam cum pari Dei gloriâ, poſſis dives & honoratus eſſe: tantùm iccirco, ut Chriſto, perfectiſſimo vivendi exemplari, magis aſſimileris. Et ex his gradibus primus & alter eſt rectè eligenti neceſſarius, tertius perfectus, primus imperfectus. Quare ſi quis alterum hunc aſſecutus nondum eſſet, Meditatione infra ponenda exerceri (præter illas quæ de vexillis & vita Chriſti ſunt) poterit. Si hunc aſſequi gradum non poſſet, omnino ad electionem à Directore, ſiquem patiatur, non eſſet admittendus. Quod ſiquis, ſine hoc affectu elegiſſet, illi de correctione erroris, quantùm fas eſſet, providendum erit. De quo infra videbimus. Porrò omni ſtudio eligenti adlaborandum eſt, ut quemadmodum ipſe à Deo ad ſolam illius gloriam conditus eſt; ita in genere vitæ deligendo, alio nullo principali motivo ducatur. Alioqui manifeſtè aberraret ab intentione conditoris Dei, adeóque & fine ſuo. Poteſt quidem alius etiam finis; ſed ut ſecundarius ſubordinatuſq; priori, accedere. Videlicet, ut ſanitatis, & quietis ſuæ magis in hoc, quàm alio ſtatu rationẽ habeat. Verùm hic finis alteri tanquã ultimo ſubordinandus eſt. Niſi enim ad ſalutem noſtram Deique gloriam ſanitas & quies noſtra ſit, infirmitas & jactatio potius ſunt toleranda; ut plurimos Sanctorum hominum elegiſſe vide-

 mus.

mus. Et quidem in aſperiora hæc media, ut propenſo magis feramur in electione animo, providendum erit. Quia hæc ſecurius ad ultimum nos finem deducere, exploratum eſt: minus enim paupertas, abjectio, & infirmitas periculi habet, quàm opes, honor, & integra valetudo: cùm per hæc media plurimi, per illa multò pauciores in diſcrimen ſalutis abducantur. Et ſi par utrorumque eſſet ratio: tamen illa nos Chriſto Duci noſtro, quàm hæc ſimiliora efficerent.

Obſervandum. 3. De perſona dirigente.

Et perſona electurum dirigens tenetur eſſe indifferens.

Perſona quæ electurum dirigit prorſus debet eſſe in conſiliis & inſtructione danda indifferens. Etſi enim natura ſua bonum ac licitum ſit, ſuadere illa, quæ majoris ſunt perfectionis: tamen cùm præcipua in electione motio eſſe debeat à Deo vocante (qui ut diverſos hujus vitæ ſtatus inſtituit, ita non quemque ad perfectiorem, ſed ad convenientem iis, quæ tribuit naturæ & gratiæ donis ſtatum vocavit) Director qui ad indifferentiam electurum diſponit, attendere tenetur, quid in eo loquatur Dominus, ut impleatur voluntas Dei. Ne alter perſuaſione humanâ magis, quàm Dei motione nixus, deinde omnem in electo ſtatu difficultatem imputet Directori; etiamſi rectè ceſſiſſet electio, quantò magis ſit inconſultè. Aliud eſt, ſi Director animadverteret, eligentem ſuis magis cupiditatibus, carníque ac ſanguini, plus quàm par eſſet, indulgere: tum enim oppoſitis argumentis ad indifferentiam reducendus eſſet. ut ſic comparatus animus capax eſſet motionis

tionis divinæ. Illud verò Directori etiam agendum eſt; ut maligni Dæmonis artes fraudeſque, hìc potiſſimùm, ubi de præcipuo ſalutis negotio agitur, uſurpari ſolitas, detegat. Quare Regulas de Spiritum diſcretione ex S. Jgnatii Exerc. hic breviter annoto, ut tam Eligenti, quam Dirigenti ſerviant. *Hebd. 4. in fine Exerc.*

Obſervandum 4. De diſcretione Spirituum.

Duplices regulæ per quas Spiritus Dei à maligno diſcerni queat proponuntur, aliæ pro via purgativa, aliæ pro illuminativa. *Diſcernĕdus Spiritus Dei à maligno eſt, ex certis regulis in via purgativa.*

Regula I. Viæ Purg. eſt. Peccatores Spiritus malignus per objectas ſenſuum illecebras in peccato detinere ſtudet; bonus per conſcientiæ ſtimulos à peccato revocat.

II. Reſipiſcentes à vitiis, ſpiritus nequam ſcrupulis, triſtitiis, aliiſque perturbationibus vexat; bonus illuſtrat, exhilarat & conſolatur.

III. Conſolatio eſt, quando illuſtrata anima ex dolore peccatorum, aut amore patientis Chriſti vel ſummi boni exardeſcit, creaturaſq; deſpicit, vel amat ſolum propter Deum.

IV. Deſolatio, quando obſcurata & turbata anima, vel terrenis rebus adhæreſcit, vel de clementia Dei, aut ſalute ſuâ diffidit, ac prope deſperat, ſine guſtu divinarum rerum.

V. Tempore deſolationis nihil deliberandum, aut innovandum in propoſitis jam factis; quia malignus tunc Spiritus dominatur.

VI. Oportet tamen opponere deſolationi orationem aut meditationem piam, cum diſcuſſione ſui, & aliquid pœnitentiæ aſſumere.

VII. Cogitandum, quòd hæc probatio no-

ſtri ſit: in qua Deus experiri velit, quantùm in adverſitate, cum ordinaria ipſius gratia facturi ſimus.

VIII. Reſignatæ patientiæ inhærendum; & ſpe, de adfutura brevi conſolatione, (ſi remediis 6. regulæ utamur) erigendus animus.

IX. Sciendum tres eſſe præcipuas deſolationis cauſas. 1. tepiditatem noſtram in rebus ſpiritualibus. 2. ut magis probemur, & ſine ſtipendio conſolationis Deo ſervire diſcamus. 3. ut intelligamus ardorem guſtúmque pietatis eſſe gratuitum donum Dei.

X. Tempore conſolationis animus ad deſolationem, per præconceptum ex certis motivis robur, eſt obfirmandus.

XI. Conſolatione affluente ſeipſum humiliet, memor quàm ignavus ſit in deſolatione, & omnino nil queat ſine divina gratia. Contra in deſolatione cogitet ſe, quantumvis abjectum, tamen in Deo poſſe omnia.

XII. Dæmon ut fœmina, virum primò metuentem invadit, audentem reformidat. Igitur primi Dæmonis impetus generosè ſunt retundendi, & facilè vinces.

XIII. Idem turpis amatoris inſtar (qui puellam, aut conjugem, quam prenſat, vult occultare conſilia) nihil ægrius ſuſtinet, quàm ſi Confeſſatio, aut ſpirituali viro ejus tentationes aperiantur: cùm ſic intelligat ſe depelli. Huc igitur recurrendum.

XIV. Belli Ducem imitatur, qui in urbis expugnatione debiliorem explorat, & aggreditur partem: ita enim is, ubi nos minus virtute firmos

firmos cuſtoditoſque eſſe intelligit, illic primùm invadit. Illic ergo maximè advigilandum.

Pro via illuminativa Regulæ ſequentes facient.

Regula I. Proprium Dei & Angeli boni eſt, infusâ ſpirituali lætitiâ perturbatum tranquillare animum: contraque Dæmonis, ſophiſticis, ſub veri ſpecie, argumentis lætitiam ſpiritualem mœrore opprimere. *Et aliis item regulis in via illuminativa.*

II. Solius Dei proprium eſt, nullâ præcedente causâ quæ ex ſenſuum, aut rationis uſu ſit, animam in ſe ſuumque amorem converſam ſolari. Quia creatoris eſt, ſuam ita ingredi creaturam, quod Diabolus nequit.

III. Si cauſa præcedat, tam Angelus malus, quàm bonus conſolationis autor eſſe poteſt. Ex fine igitur, quo vergit, autor erit obſervandus.

IV. Solet autem malignus in Angelum lucis transformatus, denique reſumptâ perſonâ, ad prava deſideria inflectere, qui primùm bona dolosè fovit.

V. Cogitationum itaque principium, medium, & finem expende. Quæ ſi rectè ſe habeant, Deum ubique ſpectantia, Angeli boni ſunt argumentum; cum ſecus, mali. Hic enim vel à bono demum abducit, vel ſaltem minus bonum ſuadet, vel etiam, ſublatâ tranquillitate, animam perturbat & angit.

VI. Ubi deprehenſus ex cauda ſua ſerpentina hoſtis fuerit. Convenit totum progreſſum retexere; ut quâ viâ inſinuarit venenum, intelligas, & in futurum evadas cautior.

VII. Pro-

VII. Proficientes in virtute ſpiritus bonus, illapſu placido ſuavique, ut aqua ſpongiæ influit, & excitat; malignus, duro violentoque, tanquam imber petram, impetit. Contra deficientes hic Spiritus placido, ille duriore impulſu percellit: prout quivis ſibi convenientem, vel oppoſitam animæ depoſitionem reperit. nam contraria pugnant cum contrariis, cum ſimilibus conveniunt.

VIII. Quanquam conſolatio, quæ ſine prævia eſt cauſa, à Deo primùm emanet; tamen fieri poteſt, ut accedente deinde ratione & cauſa ex hac pendere incipiat, adeóque deceptioni etiam Dæmonis obnoxia fiat. Unde talis ſolerti quoque diſcuſſione indiget: ne malè ſecuros hoſtis invadat.

Obſervandum 4. de tempore & modo eligendi.

Tempus, modusque conveniens electioni obſervandus.

Tempora modique electionis tres potiſſimum ſunt. Primò cum extraordinaria vocatione ita cœlitùs voluntas impellitur, ut omnis dubitatio ſublata ſit, qualis Matthæi, D. Pauli, Auguſtini, & Antonii fuit. Sed hic modus, cùm divini favoris, extra ordinem impenſi, ſit, petendus, & exſpectandus à Deo non eſt.

Secundò, Deus etiam per inſpirationes & motiones ita efficaces voluntatem quandoque trahere, tam conſolationis, quàm deſolationis tempore, ſolet; ut illa abſque ſingulari rationum pondere ad Dei cultum & perfectionem feratur. Et hi duo modi ſunt, quibus ſuos aliquando Deus vocat.

Tertiò communi modo Deus hominem ad ſtatum aut munus eligendum diſponit, per

varias

varias intellectus rationes, quibus propoſitis, voluntas deniq; inflectitur,& munus, aut ſtatū ſibi ad ſalutem magis convenientem eligit. In quo modo intellectus voluntatem ducit; cùm in prioribus voluntas inflexa à Deo potius rapiat intellectum. Quare hic modus, ut magis ordinarius, ita & ſecurior eſt, quàm ſecundus, qui Dæmonis fraudibus magis obnoxius per conſolationes regitur, ideóque conſultum erit per tertium hunc modum eundem ponderare; & ſi adhibitis regulis diſcernendi ſpiritus, ac deinde etiam juſtis rationibus probetur, eidem tutum erit inſiſtere. ut viciſſim, ſi tertius hic electionis modus per ſecundum firmetur, multò erit probatior.

CAPUT II.

Certæ quædam veritates ad electionem rectius faciendam præcognoſcendæ.

SUpponendum 1. pro certa veritate eſt, quod Deus, poſt diverſos hujus vitæ ſtatus inſtitutos, ad eorum conſervationem diverſos quoque deſtinaverit homines, quibus de certis ſalutis conſequendæ mediis ita providit, ut ſi temere ab illo, ad quem quiſque ordinatus eſt, ſtatu, non deflexerit, finem illum ad quem creatus eſt, cum divina gratia, Chriſtianus, homo ſit aſſecuturus. Quem, ſi à vocatione ſua, per errorem malitiámve diſceſſerit, non facilè aſſequetur. Quocirca illi, qui ad plures ſe ſtatus idoneum videt, neque de ſua vocatione ſat certus eſt, diligenter videndum, ne aberret. Cum error talis correctionem vix admittat.

Deus cuilibet homini certum vitæ ſtatum deſignavit, in quo ſalvari poſſet.

Suppo-

Providit etiam hoc in ſtatu de mediis ſalutis, ad ſuam gloriam.

Supponendum 2. Deum non ſolum homini certum, in quo viveret, ad finem ſuum conſequendum, ſtatum ordinaſſe; verum etiam media ſaluti convenientia. quæ ſi prudenti electione ceteris præferat, fine ſuo non excidet. Quare dum plura afferuntur, quæ cum diverſa vitæ ratione conjuncta ſunt, ut hujus aut illius beneficii, vel officii ſuſceptio, aut rejectio; cavendum quoque erit, ne in electione error committatur, & ſalutis noſtræ ratio periclitetur, aut evertatur.

Vitioſa igitur electio eſt, quæ alio, quàm ſalutis, & gloria divinæ fine, eſt inſtituta.

Supponendum 3. Vitioſam ſemper electionem eſſe, ſi alio fine, quàm ſalutis facilius conſequendæ, divinæque gloriæ promovendæ cauſa inſtituatur: ita aberrabit, ſi iccirco quis eligat, ut hac ratione de quieta vel commoda ſibi, aut lauta vita proſpiciat, amicorum honori & opibus conſulat, familiam ſuam illuſtret. Talis enim electio, ex carnali affectu & ſpiritu profecta, ſpiritum Dei autorem habere non poterit. Unde quotquot hic cœcè ex parentum aut amicorum conſilio, aut proprio etiam ad opes honoréſque affectu, ad aulica vel eccleſiaſtica beneficia & dignitates provolant, quamvis intelligant parum moderatè, aut caſtè ſe ſe in iis verſaturos; hi manifeſto æternæ damnationis periculo ſe ſe, per inconſultam electionem, objiciunt. Hinc rectè & ſapienter electuro antè carnalis hic affectus exuendus eſt, ſolumque intuendum, num res propoſita ad illum finem, ad quem creatus eſt, præ aliis ſtatibus, aut mediis conducat? Nec, niſi id reperit, erit concludendum. His principiis, ex ratione & fide ſuppo-

ſuppoſitis, ſuper eſt, ut primò certis regulis conſulamus omnibus, qui vel de ſtatu vitæ, vel alia quacunque re gravi deliberant: deinde & illis, qui in electione jam facta errorem ſuum agnoſcunt.

CAPUT III.

Regulæ in electione bona ſervandæ.

Regula 1. cum electio, præſertim de rebus arduis inſtituenda eſt, ante omnia tempus opportunum, quo animus imperturbatus & quietus eſt, occupandum erit. Nam animus perturbatus non eſt aptus ad exequendum munus ſuum. Hoc igitur vel à ſomno matutino, vel veſperi, vel à confeſſione, aut communione, aut in ſolitudine ab aliis curis vacuâ maximè conveniens futurum eſt. *Electio fieri debet ab animo imperturbato.*

Regula 2. firmiter ſtatuendum, quod mori malis, quam aliquid tuæ ſaluti & divinæ gloriæ contrarium eligere; cum æterna bona temporalibus longè præponi debeant. Quare omnis affectus carnalis rejiciendus, aut ſeponendus ita tibi eſt: ut invenias te tuumque animum indifferentem ad amplectendum, aut omittendum quod proponitur; paratus illud ſolum admittere, quod ad ſalutem tuam Deique gloriam pertinere intellexeris: etiamſi carnalis appetitus obluctetur. nam, ut hunc prorſus deponas, ſæpe non erit exſpectandum. *Nec ex carnali, ſed ſpirituali præcipuè affectu.*

Regula 3. ad Deum te converte, illius opem implora. Quia *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis*: & incautos ſæpe fallit concupiſcentia carnis non obſervata. *Eſt enim via,* *Ad hanc Dei gratia & auxiliũ implorandum.* Prov. 16.

quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem. Ejuſmodi verò imploratio divinæ opis recte à ſacra ſynaxi coram Chriſto fiet. Sanctorum quoque, & imprimis ſancti Angeli Cuſtodis, patrocinia erunt imploranda.

Res quæque ſuis commodis & incommodis eſt expendenda.

Regula 4. Denique rem de qua deliberatur, ut ſtatum, beneficium, aut officium, eum ſuis commodis & incommodis, neceſſitate, honeſtate, facilitate, eorumque contrariis, aut ipſe tibi, ſi perſpecta abundè ſint, propones: aut ab aliis expertis, & ſpiritualibus, atque ad utrumque indifferentibus viris proponi facies: ne temere, & ex ignorantia quippiam eligas, ac denique infelix illud epiphonema concinas: *non putabam.* His verò rite expenſis, quæ certius ad tuum te finem deducere ſalutique convenire, ad majorem etiam Dei gloriam ſpectare intelliges, hæc erunt eligenda. Quod ſi etiamnum ambigas, ac hæſites: expende, quid alteri te amicè conſulenti ſuaſurus eſſes; aut quid in hora mortis, & coram Deo Judice te feciſſe velles. Certè in re tanta, in qua eſt ſalus animæ verſatur æterna, tutius erit minus tuto præponendum: in Dei verò gloria, major minori (niſi quid obſtet) præferenda. Ita ſi quis præter ſalutem propriam, proximorum quoque ſalutem procurare poſſit, exemplo Chriſti hoc rectius eliget; ne defoſſo talento ſibi credito, majorem Dei gloriam negligat.

Denique eſt Deo offerenda, ut quieto in ea animo confirmeris.

Regula 5. hoc ſi feceris, Deo rurſum propoſitum tuum erit offerendũ, orandúmque, ut ſi probet, animum tuum confirmet; ſi minus, aliud ſuggerat. Ac denique attendendum; num

quietus

quietus in propoſito animus conſiſtat, &, ſi quæ deinde rationes dubitandi occurrant; num ex carnali affectu; an verò ſpirituali, erga Deum & res ſacras, proficiſcantur? Nam illæ ſubitò repellendæ; hæ ad ſuperiores regulas rurſum erunt examinandæ, & præferendæ ad finem magis conducibiles. Quod ſi minus hac via te reſolvere atque expedire poſſis, ad propoſitam infrà meditationem te convertes.

Nota, in electione rerum illarum, quæ immutabiles ſunt, ut eſt religioſus ſtatus, & matrimonium, nihil præcipitanter aut repentè eligendum; quia deliberandum eſt diù, cùm ſtatuendum eſt ſemel. Neque juvenibus, multarum rerum inexpertis, hic facilè, ſine duce atque inſtructore tali, cui conſcientiam ſuam crediderunt, eſt progrediendum, & illi imprimis credendum, cùm ex officio teneatur, & maximè præ ceteris poſſit conſultantibus recta ſuadere: aliorum plures ex privato affectu conſilium ſuggerant. Hac igitur conſultatione neglecta plerumque impingent. Sed & in aliis mutabilium rerum electionibus prudentis eſt, plus aliorum, quàm ſuis tribuere conſiliis. Sapiens rectè electuro duo ſuadet: *habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, &, ne innitaris prudentiæ tuæ.* Nemo magis deſipit, quàm qui plurimùm ſibi ſapere videtur. Et tales plerumque in ſecunda regula deficiunt. Ad hujus igitur difficultatem ſuperandam jure Meditatio aliqua inſtituetur.

Electio rerum immutabilium minimè præceps eſſe debet.

Prov. 3. v. 5.

Nota etiam, hac eadem via hominē, qui in errore fidei verſatur expedire ſe poſſe, ut mutato ſtatu errorem corrigat.

CAPUT IV.

Conſideratio impulſiva, per modum Meditationis ad regulas bonæ electionis ſervandas.

ORATIO PRÆPARATORIA, *more conſueto.*

PRæludium 1. Imaginare te in bivio vel trivio conſiſtere incertúmque viæ, quâ ad patriam contendas, ducem quærere.

Præludium 2. ora Deum: *vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* Vel, ſtatue te cum Saulo proſtratum orare. *Domine, quid me vis facere?*

PUNCTUM I.

Gravior nulla deliberatio ſuſcipi poteſt, quàm de mediis æternæ ſalutis.

COnſidera, nullam unquam rem graviorem in deliberationem venire poſſe, quàm quæ de mediis opportunis ſalutis æternæ cõſequendæ ſuſcipitur. Quod ſi enim Deus quæcunque ipſe creavit ſingulari cura quotidie conſervat, providet, ac gubernat, tuæ ſalutis ſuæque gloriæ cauſa; ſi iccirco ipſe hominem induit, paſſus eſt, ac reſurrexit; tu hâc in re, & causâ prorſus tuâ deſes eſſe poteris? Si Princeps aliquis, ubi ſe in periculo regni amittendi poſitum videt, omni non modo ingenio, & induſtria propria; verùm etiam conſilio, & ope aliorum diſcutere incumbens malum nititur, ac regnum in tuto collocare, quanto majori contentione opus erit, ubi de cœleſti æternóque regno, non contemnendis ſanè periculis expoſito, diſceptatur? Fac te in diſcrimen venire fortunarum tuarum, honoris aut vitæ præſentis; nunquid omni

omni arte, viribúſque, excuſſo omni torpore; pro iſtis contendes? Vide igitur, quo pudore coram Deo, Angelis, & conſcientia tua ſuffundi debeas, quòd in periculo ſalutis vitæque æternæ ſegnius, quàm illic labores. Profectò, aut in te fidem vix ullam de bonis ſempiternis, & abyſſo æternitatis ſuper eſſe oportet; aut ſtolidiſſimum futurarum rerum eſſe proviſorem, ſi hanc rem negligenter tractes.

Affectus. *O Domine, ſi expendam, quàm ego deſidem ſalutis meæ tuæque gloriæ curam geram; & quantâ tu contra Deus meus providentiâ rebus meis advigiles, omnia mihi ſalutis media tam amanter conſtanterque ſuppeditando, erubeſco, & confundor totus, confundunt me etiam* viri hujus ſeculi, *qui* prudentiores ſunt filiis lucis, *adeò in viis ſuis ad opes honoreſque acquirendos vigiles ſunt & ſolertes. Gratiæ tibi immortales. O Deus meus, pro tanta bonitate & ſolicitudine tua erga me, quæ hæc mihi ſalutis media providenter ſuppeditas; ſentio me in his ipſis per te compellari.* Audi fili, accipe conſilium intellectus, & ne abjicias conſilium meum. Inveſtiga ſapientiam & manifeſtabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam: in noviſſimis enim invenies requiem in ea, & convertetur tibi in oblectationem. *Verum ô Deus, quia* cor hominis diſponit viam ſuam: ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus, *tu qui es* via veritas & vita dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus Salvator meus Deus meus, in te confido, non erubeſcam: *Imple miſericordem promiſſionem tuam qui per regium prophetam promiſiſti*, intellectum tibi

Deteſtatio negligentiæ in cura ſalutis.

Eccli. 6. v. 24.

Deſiderium emendationis.

Prov. 16. v. 9. Ioh. 14.

Pſal. 31.

bi dabo, & inſtruam te in via hac, quâ gradieris. *nihil aliud deſidero eligere, niſi quod gloriæ tuæ maximè congruit, & propriæ meæ ſaluti, pro qua tu non ſolum omnia condidiſti, verùm etiam ſanguinem effudiſti.*

PUNCTUM II.

Quod alteri amico prudenter ſuaderes, ipſe praſta.

COnſidera illam tibi præ ceteris viam in electione abſolvenda tenendam eſſe, quã alteri amico tuum conſilium expetenti tenendam, extra omnem affectum in plena indifferentia poſitus, ſuaderes. Expende igitur, quid tali ita diſpoſitus, tanquam maximè ſalutare ſuaſurus eſſes, & hoc ipſe amplectere. Iterum expende, quid te in hora mortis (forte propinquiori, quàm exiſtimas) velis elegiſſe; quid deinde coram ſupremo Judice, tuæ electionis rationes & momenta diligentiſſimè excuſſuro, te cupias ſtatuiſſe, quando jam in ipſo æternitatis nunquam finiendæ aditu conſtitutus, tuæ ſalutis, ſi rectè elegeris, & damnationis, ſi malè, ſententiam excepturus es. Nam ex unius ſæpe medii (ne dicam vitæ ſtatus) electione neglectâ, cùm error facilè errorem trahat, tota pendet æternitatis felicitas. Nec leve quidquam, quantumvis leve, cenſeri poteſt, ex quo tantæ rei momentum libratur. Age igitur, & hoc elige, cujus æternùm non poſſit pœnitere, etiamſi durius aliquantò ſit, quod eſt ſecurius: non tamen iccirco, aut deſperandum erit, aut reſiliendum. Ille ſuo te exemplo invitat, qui, *cum in forma Dei eſſet, exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, factus obediens uſque ad mortem:* qui *elegit magis abjectus eſſe in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

Elige quod in hora mortis & coram Deo Judice, electum velles.

Etiam duriora exemplo Chriſti, non aſpernare.

Phil. 2.

Pſal. 83.

Pſal. 56.

AFFEC-

Affectus. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; ut faciam omnes voluntates tuas. *Nolo vel cum minimo ſalutis meæ, tuæque gloriæ neglectu, totius æternitatis beatæ periculum adire. Si tu ipſe, cum eſſes Dominus univerſorum, in gloria cœleſti ſuper omnia conſtitutus, ita humiliaſti, & abjeciſti temetipſum,* tentatus per omnia, & attritus propter ſcelera noſtra, *idque intuitu ſalutis meæ; quid me ſuſtinere pro eadem æquum erit, ne & hæc amittam univerſa & propria, tantúmque abs te æſtimatæ ſalutis contemptor exiſtam?* ô Domine, deduc me in via tua, & ingrediar in veritate tua. *Ecce* ego ſicut lutum in manu figuli *fac mecum ſicut vis; veruntamen fac me* vas in honorem & non in contumeliam, *ut ſequar, laudem, ac glorificem te cum ſanctis tuis in æternum.*

Reſignatio ad voluntatem Dei perfectè ſequendam.

Pſal. 85.

Eccli. 33.

PUNCTUM III.

Conſidera, quantum damnorum, temeraria in ſtatu vitæ, aut etiam in beneficiis, officiiſque admittendis, electio multis, tam in hac, quàm altera vita adferat. Quantas in matrimonio calamitates ſuſtineant, qui ex præcipiti magis libidine, quàm ob honeſtam familiæ propagationem curamque ſalutis ſuæ, in hoc ſtatu certius aſſequendæ, illud aggreſſi ſunt, quam turpi defectione à religioſo ſæpe ſtatu abeant, qui commodæ potius ſecuræque vitæ victuſque gratiâ, aut etiam ex deſperatione ſortis ſuæ, vel ſubito aliquo motu, aut ſuaſu aliorum repentè abrepti ad clauſtrum abiêre quanto vitæ dedecore nonnulli ex amicorum parentúmque conſilio potius, aut certè vitæ

Et temeraria electione ingentia hujus & futuræ vitæ damna fluunt.

commoditate ducti, ad ſtatum Eccleſiaſticum recepti ſint. Quibus major ſæpe ventris, quam Dei & Eccleſiæ cura: ideóque cum aliorum ſcandalo, & interitu proprio, brevem hanc vitam, ad infelicem æternitatem decurrunt. Quã inter hos nonnulli in beneficiis cumulandis & Simoniacè quandoque occupandis & traducendis ſeduli ſint, aliiſque dignis cultoribus privent Eccleſiam, ut ipſi ſoli ſaturentur, & affluant, quibus tamen plerumque temporalis non minus benedictio, quàm æterna ſubtrahitur. Quam periculosè multi in magnis aulæ ac judiciorum officiis verſentur, ad quæ temerè acceptanda, ſine boni publici & privatæ ſalutis cura, provolarunt. Te ipſum quoque examina & vide; an non quandoque, in his illiſve ad ſalutem conducentibus mediis, ſecus quam par eſt, elegeris, & quanto virtutis, & præmii cœleſtis detrimento, quod æternum atque irreparabile tibi futurum eſt, tantumque poterit majori nunc perfectionis ſtudio utcunque inſtaurari. Expende, quo ex fonte hic error proveniat. Nempe ex inordinato ad has illaſve res affectu, ideóque neceſſariam eſſe electuro ad res omnes, hoc eſt, tam ad paupertatem & ignominiam, quàm ad opes & honores affectum, modò intelligas magis in illis Deum, quam his ſalutem tuam, te velle operari; cùm & ipſe Deus hoc, quod aſperius eſt, elegerit. Propone igitur tibi ex parte altera ſanctorum hominum exempla, qualis Moyſes olim fuit, de quo Paulus; *Moyſes* inquit, *grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo*

Multi de malè factâ ſerò dolent: contra Sancti rectè facta æternùm gaudent.

Heb. 11. 24.

pulo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem: Quot millia Sanctorum Moyſis exemplum ſecuti, ſpretis opibus, honoribúſque, elegerunt quod contemptibilius eſt, ſalutis amore; & nunc brevi hoc agone defuncti æternâ gaudent remuneratione in cœlis? quàm dulce & jucundum eis es, his perfunctos laboribus, æternis nunc gloriæ auctioris præmiis in cœlo potiri. Intuere agonem illorum breviſſimum, & æternæ felicitatis poſſeſſionem nullis terminis circumſcriptam; nullo ævo finiendam & vide, an non judices felices illos ſic præeuntes, & te ſi, electione illorum exemplo inſtituta, ſubſequaris.

Affectus. *Gratias tibi, ô Deus meus, quod hanc mihi eligendi optima quaque facultatem, immenſa charitate & benevolentia etiamnum offeras. Ah quot modò in æternitate ſunt, qui hoc ſibi beneficium, vel mille dierum tormentis comparatum vellent, ut electione melius inſtitutâ, tanto bono non exciderent. At mihi, quamvis cum aliis infernum promerito, adhuc ſuper eſſe, & frui divinâ bonitate tanto munere licet. O quàm ingratus Deo, quam inimicus animæ meæ ac ſaluti propriæ, niſi hoc diligentiſſimè utar, futurus ſum! Quid igitur cunctor, quid differo in omnibus eligere quod optimum eſt.* Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. *Venient dies, quando aliud nullum electioni noſtræ tempus ſuperfuturum eſt. Quare* dum dies eſt operemur Bonum, veniet nox, quando nemo poterit operari.

Gratiarum actio de concesso etiamnum tempore rectè eligendi.

Ioan. 9.

COLLOQUIUM CUM RECTÆ ELECTIONIS PROPOSITO.

Fac Chriſtum hæc tibi rurſum verba in cruce poſitum ingerere : *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Fac Angelum cuſtodem adſtare monentem : *hodie, ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*

Matt. 11. Pſal. 94. Reg. 1. 3.

Deſiderium ac propoſitum cum divina ope, rectè eligendi.

℟. *Loquere ô Domine, quia audit ſervus tuus,* Da mihi intellectum, ut cognoſcam beneplacitum tuum: *cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*, quo ab omni amore creaturarum inordinato avulſus, hoc ſolum ſtatuam, quod divinæ gloriæ tuæ meæque ſaluti congruit. Agnoſco enim æquiſſimum eſſe, ut qui mei perpetuam curam in mundi totius adminiſtratione ſuſcipis, quique humanæ conditionis imbecillitatem mei gratiâ ſuſcepiſti, nec tantum cruentâ ſemel morte, verùm incruentâ quoque indies oblatione te Deo patri, pro ſalute mea offers, tui quoque non vivam immemor, nec ſalutis meæ, pro qua immolaris. Ah, ſi illo affectu media id devotè præſtandi eligerem, quo in profanis negotiis, & ego, & alii verſantur! Quid in hora mortis, quid coram te judice dicturus ſum, ſi hæc nunc adeò clarè agnita detrectarim? quomodo excuſabilis futurus ſum, qui aliis recta ſæpe conſilia dedi, ipſe non ſecutus? qui & tuum, & tam præclara Sanctorum exempla, ante oculos poſita aſpernatus ſum? O vos ſancti Angeli Dei, qui Tobiam tam feliciter per adverſa omnia deduxiſtis, Jacobum docuiſtis

vincere

vincere, tuque imprimis, qui in miniſterium meum miſſus es, ut hereditatem caperem ſalutis, ita me in via mandatorum, per ſapientem mediorum electionem dirige, ut non excidam deſideratâ ſalute.

CAPUT V.

De Statuum diverſorum natura & diſtinctione, cum eorum commodis & incommodis, ad uſum deliberantium breviter expenſa.

QUi in electionis deliberatione verſatur, præter naturam ſuam, diverſorum quoque Statuum rationes, eorumque commoda juxta atque incommoda ad ſalutem finemque ſuum aſſequendum, debet habere explorata. Multos hominum ipſa penè natura atque ingenium rude determinat, & ſine longa deliberatione ad certum ſtatum, & per certa media, tanquam ad hoc ſolum natos, deducit; ut ſunt ruſtici, opifices, aliiſque, qui vix alias cogitationes nobilioris cujuſpiam ſtatus, quàm matrimonialis admittunt. Hi ſolum inſtruendi, ut labores ſuos ad ſalutem norint dirigere, neque multis ad electionem præceptis indigent. Illuſtrioribus igitur animis hæc ſcribimus.

§. 1. *De ſtatu Matrimoniali.*

Ad Matrimonium quod attinet. Hoc *Sacramentum eſt, quo vir & mulier, ad ſobolem ſuſcipiendam piè Chriſtianèque educandam, individuâ vita ſocietate conjunguntur.* De hoc ita Au- *Status matrimonii à Deo ſuſcipiendæ & educandæ prolis gra-*
„ guſtinus contra Pelagium ex S. literis diſſe-
„ rit.

tia eſt inſtitutus. „rit. *Bonum* ergo, ait, ſunt nuptiæ in omnibus, quæ ſunt propria nuptiarum. Hæc autem ſunt tria. Generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubii Sacramentum. Propter

1. Tim. 5. 14. „generandi ordinationem ſcriptum eſt: *volo* „*juniores nubere, filios procreare, matresfamilias*
1. Cor. 7. 4. „*eſſe*. Propter fidem pudicitiæ; *uxor non habet* „*poteſtatem ſui corporis, ſed vir.* Propter con-
Matt. 19. 6. „nubii Sacramentum. *Quod Deus conjunxit,*
Heb. 13. 4. „*homo non ſeparet.* Propter hæc omnia *honorabiles nuptiæ in omnibus, & thorus immaculatus.*

Status hic laudabilis & neceſſarius eſt.

Status igitur hic non tantùm laudabilis, ſed & neceſſarius humano generi ad poſteritatem propagandam, & ad hunc finem Deus generandi appetitum homini indidit, ſuaſitque Apoſtolus, ut *qui ſe non continerent, nuberent.* Sed hìc diligenter cavendum, ne libidinis tantùm explendæ cauſa, non prolis, aut evitandæ incontinentiæ gratiâ, conjugium adeatur; illud enim damnabile & graviſſimis à Deo exemplis in ſeptem maritis Saræ, quos Dæmon interfecit, punitum. ut iccirco Tobias, ad cavendam hanc multorum labem, trinoctio poſt nuptias integro ſe continuerit. Pro quâ moderatione affectus libidinoſi impetranda diligenter conjugibus Angeli cuſtodis, adverſus inſtigatorem Dæmonem auxilium implorandũ eſt. Cavendum quoque, ne ex impetu inconſulti amoris proles ſine parentum conſilio matrimonium ineat: æquum enim eſt, ut parentibus in re tanti momenti obſequatur: niſi fortè præpoſtero noxioque aliquo, præſertim ad ſalutem, affectu: ut cum hæretica, aut malè morata

rata vellent ſociari, aut ex prudentum piorumque hominum arbitrio tale connubium improbetur. Irrita verò, quocunque modo ſine conſenſu parentum facta matrimonia non ſunt: nec poſſunt eo nomine exheredari. Dei tamen benedictio à malè contractis ſolet auferri; ut verè ad jugum & vincula ſe ſentiant tranſiiſſe. Ut igitur bonum ſit conjugium, bene erit inchoandum.

Primum itaque conjugii bonum proles eſt. Quæ non tantùm ut ſuſcipiatur, ac nutriatur (quod & beſtiæ faciunt) ſed etiam, ut Chriſtianè & piè ad obſequium Dei educetur, agendum eſt: Quò aliquando Eccleſiæ & reip. prodeſſe poſſit. Quod bonum negligunt, qui negligunt educationem. *Matrimonii commoda ſunt 1. proles benè educata.*

2. Fides conjugum, & continentiæ omnis illicitæ devitatio, quia alter alterius corporis accipit poteſtatem; ut tantò facilius omnem lapſum caveat. Sed & ſanctè cavendum, ne hæc fides violetur; quantò enim plus ab illa præſidii adverſus incontinentiã, tantò omnis lapſus eſt gravior. ut iccirco propter formicationem poſſit conjux à conjuge diſcedere. *2. Fides, & continentia conjugalis.*

3. Eſt Sacramentum, ſive individua vitæ ſocietas. Unde Deus ait: *Non eſt bonum homini ſolum eſſe, faciamus ei adjutorium ſimile.* Hæc igitur vitæ ſocietas mutuo amore auxilioque in familiæ adminiſtratione fovenda eſt. Adeò autem firma, hujus vinculi obligatio eſt, ut nec mutua quidem diſceſſione, etiam ob crimen facta, diſſolvatur, *iis*, ait Paulus, *qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus,* Gen. 2. *3. Individua vitæ ſocietas.* 1. Cor. 7.

uxorem

uxorem à viro non diſcedere : quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam. Nam *qui dimiſſam duxerit, mœchatur.*

Matt. 19.

Matrimonii incommoda. Cum his igitur conjugii bonis & commodis, etiam mala atque incommoda quædam expendenda ſunt. Veteres Patriarchæ in conjugio quidem ſanctè vixêre, & Chriſtus nuptias ſuâ ornavit præſentiâ, primóque etiam miraculo in Cana Galilææ honoravit. Sed tamen dicentibus diſcipulis : *ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore* (quod non liceat dimittere, aut dimiſſam ducere) *non expedit nubere* : ita Chriſtus aſſenſus eſt, ut illorum ſententiam probaret, diceretque, *non omnes capiunt verbum hoc.* Unde plus in libero ſtatu, quàm conjugali bonorum; & in hoc plus Chriſtus incommodorum obſervavit. Ad hæc ergo bene electuro etiam oculi animique vertendi ſunt.

1. eſt vinculi hujus indiſſolubitas. Et 1. quidem hoc ipſum indiſſolubile vinculum, quantum onus, niſi pacificè amantérque conjux convivat conjugi. Et quam hoc rarum beneficium ! Si diſſolvi ab his vinculis fas eſſet, aureo ſolùm nummo in ærarium publicum depoſito, quot conjugia laxarentur, quàm brevi dives ærarium fieret ! Si, cum non licet, tot videmus ſeparari vel domo, vel thoro; quid futurum, ſi liceret ?

2. Eſt onus alendæ familiæ. 2. Quantum laboris, curarúmque in educandis, alendis, dotandiſque liberis ſuſcipiendum eſt : aut ſi non dentur, quàm injucundum ſterile conjugium ! Quo animo convivitur, quando ſpes prolis excidit ? Et quantum onus alterius cupiditatibus perpetuo obnoxium

corpus

corpus circumferre, & nec arbitrio quidem regentis animæ poſſe illud ad lubitum moderari? alterius fœtores nolentem volentémque perpeti; nec vigilias ſomnúmque quidem ex naturæ exigentis ingenio diſtribuere? Quod ſi curta ſit domi ſupellex, ſi numeroſa paſcentium poſcentiumque in egeſtate proles, quis explicabit parentum anguſtias?

3. Jam quantùm hæc vita diſtrahat animum à cura ſalutis, pietate, & amore in Deum, quis neſcit? *Qui cum uxore eſt ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.* D. Baſilius *de Virginit.* illarum, quæ nuptæ ſunt, jugum dignis coloribus depingit. quomodo de ſe, de viro, de liberis & quot, quamque variis caſibus ſolicitæ animum ægrum circumferant: quamque exilis Deo locus relinquatur. *3. Sunt curæ terrena.* *1. Cor. 7.*

4. Manet intra ipſas nuptias incontinentiæ nō leve periculum, ut David & Salomon ſuo exemplo, tanti licet viri, probarunt. Nam quo ſæpius voluptati obſequuntur, tantò illius deſiderium ex uſu magis accenditur: ut, cùm non rarò inter conjuges vel abſente altero, vel ægro, vel invito, vel indiſpoſito, aut parturiente, ſit abſtinendum alteri: non levis difficultas vincenda ſit, idque inter occaſiones plurimas peccandi, ut proinde, qui extra conjugium proni ſunt ad lapſum, intra illud ſine diſcrimine futuri non ſint. *4. Lapſus incontinentiæ gravior.*

5. Quæſita hìc voluptas, præſertim immoderata, ſuis pœnis non caret, niſi fallit Apoſtolus, *5. Dolor cùm voluptate.*

1, Cor. 7. lus, cum dicit: *Si acceperis uxorem non peccaſti, tribulationem tamen carnis habebunt ejuſmodi.* Quam ab experientia veritatem multi poterunt teſtes quotidiani confirmare, qui non parvo valetudinis damno cupiditatem expiant. Quod ſi vel alter, vel uterque conjugum moribus ſit parum probatis; ut eis ferè accidit, qui cupiditate magis, quàm ratione hanc vitam capeſſunt: quam miſera inter rixas offenſionéſque quotidianas conviventium ſors!

Eccli. 25. 23. *Commorari,* ait ſapiens, *Draconi placebit magis, quàm habitare cum muliere nequam, & qui tenet eam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem.* Ita

Eccli. 4. 35. vir improbus eſt *ſicut leo in domo evertens domeſticos ſuos, & opprimens ſubjectos ſibi.* His igitur incommodis, quiſquis hunc Statum elegerit, omni erit diligentia occurrendum. Quod niſi Deum ante omnia revereatur & timeat, non facilè futurum eſt. Qui cum Tobia dicere poterit: *Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione*; cum Sara verò: *virum cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi accipere*: hic benedictionem ſperare à Domino poterit, ut & in pace vivat, & in patientia ſuſcipiat educetque liberos, quos eidem cum Annâ non invitus offerat, à quo accepit.

Quod felix conjugium ſit.

Tob. 8.

Tob. 3.

§. 2. *De Statu cœlibi, & viduali.*

Cœlibes & vidui ad omnem continentiam tenentur.

Expendamus & jam paucis vitæ cœlibis bona atque incommoda. Hanc talem appello, quâ quis extra conjugium corpus ſuum ab omni voluntaria caſtitatis labe intactum ſervat: & ſi virgo adhuc ſit, talis eſſe perſeverat, ſi hunc

florem

florem in conjugio, vel extra amiſit, inviolatum deinceps corpus Deo ſervat: eo fine, ut ſaluti ſuæ Deoque ſine impedimento graviori ſerviat. Quod bene notandum. Nam ſi eo ſolum conſilio à conjugio temperet, ut moleſtiam illius ſtatus declinet; non æternam, ſed temporalem mercedem accipiet; cùm non ex amore Dei, ſed proprio continens ſit.

Hunc Statum Apoſtolus matrimonio præfert. *Dico autem*, inquit, *non nuptis & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego, &c. Porrò hoc ad utilitatem veſtram dico: non ut laqueum vobis injiciam; ſed ad hoc quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Hoc igitur fine quiſquis hunc ſtatum elegerit, gratiſſimum Deo præſtat ſacrificium; quia ut mente Deo facilius ſerviat, corpus quoque ſuum, cupiditatibus repreſſis, aut oppreſſis, Deo immolat: ut Apoſtolum monentem ſequatur: *induimini Dominum J. C. & carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Præterea illis, quos matrimonium adfert, moleſtiis liberatur. Ceterùm, an quis ad cælibatum à Deo vocetur, ex eo agnoſcet. Si videlicet experientia didicerit, quod ſe poſſit continere: tum verò ad ſtatũ Eccleſiaſticũ, aut Religioſum ſe parum idoneũ judicet (aliàs enim, quod perfectius, cognitis illius vocationis indiciis, eſſet eligendum,) ſtimulos tamen experiatur Deo ſanctius expeditiuſque, quàm in connubio fieri poſſit, ſerviendi. Aliàs cælibatus, qui vel amicorum ditandorum gratia, vel libertatis propriæ amore inſtituitur, parum habet commendationis.

Cælibatus commoda. 1. Cor. 7. v. 8. & 35. Rom. 13. 14.

Viduitatis commoda. Vidualis ſtatus pluribus quoque exemplis in S. Scriptura, eſt commendatus. De vidua Paulus, ait, *ſoluta eſt à lege viri, cui vult, nubat: beatior autem erit, ſi ſic permaneat, ſecundum meum conſilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam*: Et ad Timotheum. *Viduas* inquit *honora, quæ verè viduæ ſunt*, &c. *Inſtent obſecrationibus die ac nocte. Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.* Talis Anna fuit apud Evangeliſtam, *quæ non deſcendebat de templo jejuniis & obſecrationibus ſerviens Deo.* Talis & Juditha, quæ *jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter ſabbatha & feſta domus Iſraël, & cilicio induebatur.* Ejuſmodi ergo vidualis ſtatus meritam habet in ſcriptura commendationem.

1. Cor. 7. — 1. Tim. 5. — Luc. 2. — Iudith. 1.

Incommoda utriuſque ſtatus. Habet tamen & hic ſtatus ſua incommoda. Quia ut medius eſt inter matrimonialem & religioſum, ita pluribus utriuſque commodis deſtituitur. Nam & fide, & conſilio, & ope mutua conjugis fructúque illius ſocietatis deſtituitur, qui tam ex matrimonio, quàm religione habetur; ſed & ſuis expoſitus periculis eſt, quando illâ libertate ſecularis vitæ fruitur; quæ, niſi in peccandi occaſionibus firmatum jam virtute animum adferat, facilè expugnatur. Hæc igitur omnia ad calculos, bene rationes electionis ſubducturo, revocanda ſunt.

§. 3. *De Statu Eccleſiaſtico.*

Status Eccleſiaſtici obligatio. Eccleſiaſticus huic ſtatus affinis eſt, in quo homo relictis ſeculi occupationibus & vanitatibus, Deo in Eccleſia conſecratus deſervit. De cujus ratione vivendi octo Meditationibus ſigillatim diſſerui. Hos breviter Paulus in Timotheo

motheo inſtruit. *Exemplum* inquit, *eſto fidelium* 1. Tim. 4.
in verbo, in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate. Converſatio ad proximum, caritas & fides ad Deum, caſtitas ad corpus ſpectat proprium. His enim niſi excellat, nec proximo, nec Deo, nec ſibi, ut par eſt, ſerviet.

Ad hunc Statum quiſquis accedit, tam ab idonea doctrina, quàm à neceſſariis virtutibus inſtructus, vocatuſque à Deo, cujus gloriam quærat, non cupiditate propria, quam explere geſtiat; hic non pauca reperit vitæ commoda, ſuis tamen incommodis ſociata.

1. Itaque videndum, ut perſona idonea ſit, nullo impedimento præpedita; ut eſt lunaticus, energumenus, epilepticus; vel aliquo membro mutilus, aut inſigniter deformis; vel natalibus illegitimus, aut parentibus hæreticis; vel hiſtrionica, aut alia arte infamis; vel qui alium mutilaverit, aut occiderit, aut ut Judex, accuſator, vel teſtis illi facto cooperatus ſit: vel ſi bigamus fuerit, aut viduam duxerit, vel poſt votum caſtitatis conjugatus ſit. *1. Perſonam requirit idoneam.*

2. Bene examinanda vocatio, utrum ex Deo, ejuſque gloriæ ac propriæ ſalutis deſiderio; an potius ex cupiditate propria, vel aliena bonis Eccleſiaſticis potiundi profecta ſit? an petens ſatis exploratæ doctrinæ, virtutis, & inprimis continentiæ ſit? Hæc enim cauſa, cur ante 22. annum inchoatum nemo ad Subdiaconatum, ante 23. ad Diaconatum, & 25 ad Presbyterium, ſine diſpenſatione, admittatur. Audi quæ Paulus à Diaconis requirat: *oportet* ait *Diaconos eſſe pudicos, non bilin-* 1. Tim. 3. *2. Vocatio à Deo neceſſaria.*

 gues,

gues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Audi & de Epiſcopis: *oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem: ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.* Ex his intelliges, quid ad hunc ſtatum requiratur. ut indigni ſint, quibus pro gradu cuique ſuo, hæc defuerint; ideóque malè comparati ad ſuam damnationem hunc occupent.

3. Multarum virtutum ſit.
Tit. 1.

Commoda hujus ſtatus ſatis explorata ſunt. Habent enim promiſſionem hujus vitæ & æternæ. Hic tanquam Chriſtum ſecuti plerique centuplum, ſine magna cura & labore ſuo, obtinent. Moleſtiis deinde conjugalibus ſupra memoratis liberantur. Obedientiæ & paupertatis, quæ in religioſis ordinibus eſt, graviora onera non ſuſtinent. Multum ferè temporis illis, ad honeſta ſtudia & pietatis officia dignè obeunda, ſuppetit. Egregium campum nacti ſunt de proximorum ſalute bene merendi. Cùm inter ſeculares exemplo bonæ vitæ, converſatione & cohortatione zeloſa multis ſaluti eſſe poſſint: aliorum etiam neceſſitatibus atque indigentiæ, ſive amici illi fuerint, ſive peregrini, hoſpitalitate ac liberalitate ſua conſulere, & tam in miſericordiæ temporalis, quàm ſpiritualis operibus, quibus cœlum à Judice Chriſto tribuitur, inſigni virtute, excellere. Habent præ-

Commoda multa complectitur opum, & virtutum.

præterea maximè illuſtrem in Eccleſia locum, & ſpirituale Chriſti in terris regnum illi creditum eſt. Sed & ſua in hoc ſtatu incommoda ſunt, eaque non levia.

Et plura habet incommoda.

1. Enim, in ipſo vocationis aditu, non alio fine primario (nam ſubordinatus illi finis etiam commodum temporale eſſe poterit) ad hunc ſtatum induci, quam ſuæ ſalutis facilius in illo conſequendæ, hoc opus, hic labor eſt. Et tamen, ſi alius fuerit, perverſa & damnabilis electio eſt.

1. Periculum perverſæ electionis.

2. Non rapi in tranſverſum, & à continentiæ legibus, inter tot occaſiones & pericula delinquendi quæ hanc comitantur, deflectere, hoc robuſtæ virtutis, & perquam obfirmati eſt ad puritatem animi. Lautæ ſæpe menſæ, liberales hauſtus, & libera ſocietas, & feminarum præſentia, & paratæ opes, & mundus alliciens, & caro inflammans, & Dæmon incitans, & ſperata impunitas, & prompta non rarò occaſio, quid non poſſint? In his neque ſanctitas Davidem, neque ſapientia Salomonem, neque fortitudo Sampſonem conſervavit. Tantò illis etiam fortius pugnandum eſt, quod ab omni uſu feminarum Eccleſiaſticis ſit interdictum.

2 Continentiæ legem difficilem.

3. Officium ad quod quiſque tenetur; ita ut majorum fundatio, & tot fructuum ex patrimonio Chriſti impenſæ, & leges Eccleſiaſticæ, & mea proximorúmque neceſſitas, & obſervantia reverentiaque Deo debita exigit, perſolvere; neque tot Eccleſiaſticam diſciplinam laxantium exempla ſequi, hoc iterum non contemnendæ pietatis conſtantiæque; & tamen ad

3. Officium grave.

ſalutem neceſſariæ, opus eſt. Prætendantur hic uſitatæ pro abſentia neglectúque cauſæ. Homines iis falli poſſunt, aut etiam agnitas admittere; quas neſcis, an Deus, cujus res & honor agitur, juſtâ trutinâ libratas, ſit admiſſurus. Per ſe multi carpunt præcipuos beneficiorum fructus, & abliguriunt, qui per Vicarios in templis officia explent. Quæ hæc æquitas? Qua fronte coram ſupremo Judice, pro alienis obſequiis ipſi præmia exſpectabunt? En charybdim periculoſam.

4 Beneficiorum & opum uſum iniquum.

4. Jam & plurium beneficiorum appetitus, cùm ſolo poſſis vivere; bonorum ab Eccleſiâ perceptorum æqua diſpenſatio; ne quid in luxum ſuperfluum, aut nimiam vitæ lautitiam, aut amicorum (niſi pauperes ſint) uſum convertatur; quam rara & ſæpe ardua res! Quem hic ſiniſter affectus, aut laxior diſceptantium ſententia in præceps devolvere non poterit? Quòd bona Eccleſiæ ſint, quòd hæc ad ſuos miniſtros honeſtè ſuſtentandos converti velit, & ſuperflua in pauperes diſtribui, hæc jam antiquitus tradita tenemus: alia exempla in via ſalutis incerta ſunt, ideoque plena diſcriminum.

5. Lapſus multorum graves.

5. Lapſus Eccleſiaſticorum graviſſimi: cum ex loco eminenti plurium incurrant oculos, & ſcandala excitent abominanda: nec paucos ex imbecilli grege ad imitationem & ruinam abſtrahant. Et quis miretur devio paſtore aberrare gregem? Nam *ruina populi Sacerdotes mali.*

Ezech. 44.

Hæc aliaque ad cautelam pericula, non perfunctoriè ſunt expendenda.

§. 4.

§. 4. *De Statu Religioſo ejuſque diverſitate.*

Religioſus Status iccirco in Eccleſia Dei inſtitutus eſt, ut hominem à præcipuis impedimentis ſalutis, quæ in mundo ſunt, *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*, liberatum, certius ad finem æternæ felicitatis deduceret. idque per voluntariam caſtitatem, quâ concupiſcentiam carnis refrenaret: paupertatem, quâ concupiſcentiæ oculorum, & mundi opibus propter Chriſtum renuntiaret; obedientiam, quâ per ſpontaneam ſubmiſſionem voluntatis ſuæ ad arbitrium alienum, ſuperbiæ & vitæ liberati ſe opponeret. Itaque hic ſtatus holocauſtum perfectiſſimum eſt, quo homo ſe ſuaque omnia Deo conditori ſuo in obſequium perpetuum plenè offert, nihil ſibi proprium retinendo. Nam promiſſa Deo paupertate, externas opes poſſeſſioneſque relinquit, caſtitate ſuum Deo corpus conſecrat, obedientiâ animam alieno propter Deum arbitrio ſubjicit, adeóque illi creatori, qui dedit omnia, rurſum univerſa gratus immolat; illique redemptori, qui ſemetipſum pro nobis obtulit, ſeipſum mutuo amore reddit. Ex quibus manifeſtum eſt, hujus vitæ ſtatum perfectiſſimum eſſe, quo homo, à mundo & ſeipſo averſus, conjunctúſque Deo, ad æternæ ſpem poſſeſſionémque vitæ ſecuriſſimè tranſeat.

Religioſus ſtatus perfectiſſimus eſt; quia homines opes corpus & animam Deo conſecrant.

Hic tamen ſtatus in varios Religioſorum ordines, inſigni varietate & Eccleſiæ ornamento, diviſus eſt. Ex quibus ad caſtitatem ea lege tenentur

Diverſi Religioſorum ordines ſunt, in quibus

perfectiores illi, qui perfectius animam Deo per obedientiam ſubjiciunt, & purè contemplativi activis, utriſque tamen qui ſunt vitæ mixtæ præferuntur.

nentur omnes, ne quid adverſus illam cogitatione aut facto, quiſquam audeat: alii tamen ab omni etiam alterius ſexus conſortio arcentur. In paupertate verò & obedientia alii aliis rigidiores cenſentur. Quidam etiam ſoli contemplativæ addicti vitæ ſunt, ut Baſilii & Brunonis: alii ſoli activæ, ut Equites S. Jacobi & Joannis: alii mixtæ, ut S. Dominici, & Ignatii. Quorum inſtitutum tanto quodlibet perfectius eſt, quantò nobiliori virtuti magis eſt addictum. Sic quod obedientiam rigidiorem colit, præfertur illi, (ceteris paribus) quod rigidiori paupértati addictum eſt; quia illa perfectius animam, hæc externas opes Deo ſubjicit: quorum illud longè, & gravius, & nobilius eſt. Ita quæ ſoli vitæ activæ addicta eſt, contemplativâ ignobilior eſt; quia illa ad charitatem proximi, hæc ad Dei inprimis eſt ordinata. Quæ verò utramque vitam jungit, vincit ceteras; quòd utramque charitatem Dei & proximi jungere, & hunc quoque diligere propter Deũ, magis legi Evangelicæ, & exemplo vitæ Chriſti conforme ſit. *Sicut enim* inquit D. Thom. 2. 2. q. 27. art. 7. *majus eſt illuminare, quam lucere ſolùm; ita majus eſt contemplata aliis tradere, quàm ſolùm contemplari.*

Ex his breviter ſignatis, tam de commodis, quàm incommodis, etiam cujuſque religioſi ſtatus in particulari, facilè poterit deliberatio & electio inſtitui; ut habitâ ſuæ naturæ donorumque ſibi conceſſorum ratione (quæ ut talentum illud Evangelicum defodienda non erunt) quiſque eligat, quod ſibi ad perfectio-

nem

nem & ſalutem viderit eſſe convenientiſſimum.

Incommoda (ut cùm ſtatus cujuſque commodis non rarò creſcunt) ita levia non ſunt, naturæ præſertim fervidiori ſubeunda. Nam carendum inprimis eſt iis opibus, quibus mundus plurimum tribuit. ut cum Apoſtolis poſſint Religioſi dicere: *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te:* quod profectò non eſt facile illis, qui rebus antea omnibus pro arbitrio uſurpandis abundarunt. Nam licet divina providentia cuique Religioni de neceſſariis ad vitam providerit; hæc tamen, ut communia ſunt, ita non ad proprium, ſed alienum arbitrium diſpenſantur, idque in pleriſque religionibus ſat parcè, ut pauperi eleemoſyna, non hereditas filio impendi videatur. Unde ſitiendum quandoque algendumque, ac duriter veſcendum cubandumque iis, qui affluere poterant. *Incommoda hujus ſtatus varia. 1 Carendum opibus ad libitum,*

2. Ut concupiſcentiæ ſtimuli infringantur, non leve, nec unius menſis, vel anni opus eſt. Hic cùm Paulo agendum dicendumque: *caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.* Quid ſi verò, quæ humana fragilitas eſt, non vincat, ſed vincatur; jamq; religionis vinculo innodatus hæreat, quanta calamitas! Duplici talis inferno damnatur: alterum in mundo ſuſtinet; alterum exſpectat à morte. Nihil enim in his vitæ anguſtiis jucunditatis ſolidæ habet; nihil in futura reponitur. ubique carcer, & pœnarum horror. *2. Concupiſcentia infringenda.* 1. Cor. 9.

3. Libertas captivanda. 3. Jam libertas captiva, animuſque, alieni quandoque à nobis, & imperfecti etiam hominis adſtrictus arbitrio, quantum jugum! Nec ipſa quidem pietatis exercitia, ex uſu fructuq; ſuo moderari poſſe, an non ſat ingens malum? Valetudinis, quâ Deo proximiſque inſervias rationem pro arbitratu habere non poſſe, nunquid grave incommodum eſt?

4. Cura pauperum reip. deſerenda. 4. Cura pauperum, & familiæ, aut etiam juſtitiæ, & rei publicæ rectè adminiſtrandæ, quàm præſtans Deoque & proximo acceptum bonum eſt! quod tamen Religioſus homini ſtatus eripere non rarò videtur. Hæc, ſivè vera, ſive apparentia tantùm, ſtatus religioſi incommoda cenſeri poſſunt.

His tamen adverſantur longè illuſtriora Religioſa vita commoda.

Varia religionis commoda, & maximè ſpiritualia. 1. Univerſale hoc Religionis bonum eſt, quod commoda illius penè omnia ſpiritualia ſint, & hominem ad vitam æternam finemque ſuum, hoc eſt videndum poſſidendumque Deum, atque in illo omne bonum, longè certius, quàm ſecularis ſtatus dirigant; adeóque in comparationem venire non poſſint cùm boni fluxi & temporalis commodo. Quòd mortalis ad immortale, & finiti ad bonum infinitum nulla ſit comparatio. Quod ſiquæ miſericordiæ corporalis opera Secularis obire queat, quæ Religioſus nequeat; nonne his præſtant miſericordiæ ſpiritualis opera? Et ſi Deo in pauperibus de ſuis largiri aliquid laudabile; quantum erit ſemel ſimulque tribuiſſe omnia? Quàm hoc difficile Evangelico juveni, quàm Apoſto-

Apoſtolis feciſſe glorioſum! Demus aliqua ex victu, veſtitu, & habitatione incommoda: at quantilla ſunt ſi cum multorum ſecularium incommodis, curis, laboribus, periculis, neceſſitatibus comparentur. Mille in ſeculo egeſtate oppreſſos, nullum in religione facilè reperias. Et hoc centuplum eſt à Deo promiſſum. *Nihil habent, & omnia poſſident.*

At concupiſcentia, inquis, indomabilis bellua eſt. Propterea virtutis eſt ſuperaſſe. Victoria in arduis glorioſa. Nunquid & in conjugio obſiſtendum? Audi Chryſoſtomum. *Pudicitiam*, ait, *is qui uxorem habet facilè ſervare poſſe videtur; quippe ſolatio non minimo ſuffultus, ceterùm in reliquis nulla comparatio eſt. Verùm ſic quoque longè plures videas lapſos ex Conjugatorum, quàm Monachorum ordine. Neque enim tam multi ex monaſteriis ad matrimonia accedunt, quam ex jugali thoro ſe ad ſcorta recipiunt. Regnum cœlorum*, in quocunque vivas ſtatu, *vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ne tamen in religione ceſpites, ante vires per continentiæ uſum probandæ ſunt. Nam *qui ſe non continent, nubant.* *Concupiſcentiam vincere illis glorioſum.* Lib. 3. contra Vituperatores Monaſt.

Jam de libertate amiſſa Dei ſervũ queri turpe ſit: quia *ſervire Deo, regnare eſt.* Nulla major libertas, quàm puræ conſcientiæ. Nulla major ſecuritas tranquillitaſque, quàm intelligere obſequentem alteri, Dei ſe voluntatem certò ſequi, nec errare poſſe, etiam cum aberrat. Dulcis captivitas eſt à divina voluntate totum pendere ac circumſcriptum teneri. Ipſa etiam pietas ac valetudo noſtra ingrata Deo eſt, ubi *Libertas in Dei ſervo maxima.*

ab hac regula deflectit. Tunc ſat piè ac bene valemus, cum juxta hanc vivimus.

Quid ſi nunc hoc loco diducerem, quantum malorum vitiorumque in orbem opum cura, concupiſcentiæ & libertati ſecularium laxata frena inferrent, integri libri conſcribendi eſſent, quia mundus plenus eſt. Satis hic quivis ab ipſa experientia malorum, quæ ſibi proponat, habiturus eſt. Ambitio, avaritia, ſuperbia, æmulatio, gula, odium, invidia, quam procul à religione abſunt, tam impotenter in mundo dominantur.

Serm. de Marg. Evang. *Commoda plurima à D. Bern. expoſita.*

2. Commoda religioſi ſtatus plura D. Bernardus paucis complexus eſt. In religione, ait, „ homo vivit purius, cadit rarius, ſurgit velo„ cius, incedit cautius, irroratur frequentius, „ quieſcit ſecurius, moritur confidentius, pur„ gatur citius, præmiatur copioſius. O religio „ glorioſa & mirabilis! quæ mens cogitare, quis „ intellectus plenè cognoſcere, quæ lingua hu„ mana te poterit ſapienter & dignè extollere! „ &c. O religio, vallo diſciplinæ munita, in „ qua eſt pretioſarum virtutum fecunda fer„ tilitas. Glorioſa res eſt homines *unius moris* „ *habitare in domo. Bonum eſt & jucundum ha*„ *bitare fratres in unum.* Vides illum peccata „ flentem, alium in laudibus Dei exultantem; „ hunc hominibus miniſtrantem, alium alios „ erudientem; hunc orantem, illum legen„ tem; hunc charitate flagrantem, alium hu„ militate pollentem; hunc in proſperis humi„ litate pollentem; hunc in proſperis humi„ lem, illum in adverſis ſublimem; hunc in

Pſalm, 132.

„ activa

„ activa laborantem, illum in contemplativa
„ quieſcentem. Et poteris dicere: *caſtra Dei* Gen. 28.
„ *ſunt hæc. Quam terribilis eſt locus iſte! Verè non*
„ *eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli!* O por-
„ ta præclariſſima, per quem in ſanctam civi-
„ tatem intratur, per quam regnum cœlorum
„ rapitur, & poſſidetur, &c. O homo fuge ho-
„ mines, religionem elige & ſalvaberis. Surge
„ qui dormis in ſeculo, exurge à mortuis, di-
„ mittéque mortuos ſepelire mortuos ſuos. O
„ vita mirabilis, ſpirituale habitaculum, quæ
„ de ſuperbis humiles facis, de guloſis ſobrios,
„ de crudelibus pios & ſanctos, de iracundis
„ mites, de luxurioſis pudicos, de inobedien-
„ tibus obedientes, de oſoribus pacis in frater-
„ na dilectione ferventes. Qui te fugiunt luce
„ Dei privati ſunt, qui diligunt te, guſtant
„ quàm ſuavis eſt Dominus & dulcis. Tu ducis
„ ad æterna gaudia, quæ *oculus non vidit, nec au-*
„ *ris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt.* Hæc
D. Bernardus. ubi paucis multa complectitur, quæ Platus, Leſſius aliique enucleatius expoſuêre, qui adiri poſſunt. Nos indicare, quàm exponere malumus, propoſitæ memores brevitatis. Quid brevius clariuſque, quàm illa Chriſti. *Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia* Luc. 18. *quæ habes, & veni ſequere me.* Et qui vult *venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur me. Qui perdiderit animam* Luc. 9. 24. *ſuam propter me, ſalvam faciet eam. Quid enim proficit homo, ſi lucretur univerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat?* præſertim, cùm *momentaneum & leve ſit tribu-* 2. Cor. 4.

lationis

lationis noſtræ, quod ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operetur in nobis.

Quibus & quando ſtatus religioſus non conveniat, licet reliquis præſtet.

Licet igitur dubium non ſit Religionis bona & commoda longè excedere illa, quæ ſunt ſtatuum reliquorum, atque inprimis ſecularis: & eligendum videatur, quod optimum tutiſſimumque, præſertim in ſupremo negotio ſalutis; tamen multis hic ſtatus eligendus non eſt. 1. Ob dotes corporis aut animi deficientes. 2. Ob moralem impotentiam ſervandæ continentiæ. 3. Ob gravem patriæ, vel parentum neceſſitatem: quibus præſtitâ ope ſubveniendũ ſit. 4. Juſtitiæ cauſa: ſi videlicet æs alienum diſſolvendum ſit: aut ſi alterius ſervituti ſis obnoxius, qui neget libertatem. 5. Si gravia reip. vel Eccleſiæ ſequerentur incommoda e.g. ob ditionis vel regiminis malè uſurpandam translationem. aut ſi in ſeculo plus boni, quam in religione facturus judicetur. Hæc aliaque etiam in deliberationem adhibenda ſunt. Non enim omnes poſſunt eligere, quod ex natura ſua optimum eſt; ſed hoc cuique eſt optimum, ad quod à Deo ſe intelliget vocatum. Chriſtus in Evangelio alia ſuis diſcipulis ad perfectionem vocatis, alia populo eſt concionatus. nec eadem omnibus talenta diſtribuit.

§. 2. *Quomodo corrigendus ſit error in ſtatus electione admiſſus?*

Qui in electione erravit ſi poteſt, retractet

Nunc supereſt, ut paucis conſulamus illi, qui deliberatione ſerius inſtituta, ſe cognoſcit in electione aberraſſe, & temere hunc vel illum ſtatum, ſive ſecularem, ſive religioſum ingreſſum eſſe, jamque illigatum non poſſe retrocede-

trocedere. Id enim ſi poſſit, omnis ceſſat deliberatio: nam error eſt corrigendus. Qua in re ſupponendum eſt, quod licet Deus cuique hominum ſtatum, in quo ſalutem idoneis mediis conſequi poſſet, ab æterno deſtinaverit: prævidit tamen etiam poſſe aberrare hominem, ideóque & remedium aliquod aberranti, quamvis ſæpe difficile, reliquit. Ut videmus in hæreſin prolapſis, reditum quidem difficilem, attamen ſuum patere. Ratio eſt, quia ut Deus ante mortem pœnitenti, ita quoque hunc errorem ſuum deteſtanti veniam non negabit. Unde licet non pertingat ad ſtatum ſibi magis idoneum, tamen facienti quod in ſe eſt, Deus tribuet ſalutem. Quod ergo præcipuum remediū?

Generale quod cuique prodeſſe queat remedium eſt oratio, & opera pœnitentiæ. Nam *oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & non diſcedet donec altiſſimus aſpiciat.* Publicanus in Evangelio peccator notorius Deum obnixè deprecatur, & *deſcendit juſtificatus in domum ſuam.* Ninivitæ in jejunio & afflictione ſententiam damnationis à ſe avertunt. David ſtatus ſui violator Deum iiſdem remediis conciliavit. Manaſſes Dei & veritatis deſertor, *poſtquam coangustatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valde, coram Deo patrum ſuorum, deprecatuſque eſt eum, & exoravit intentè, & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum in Jeruſalem in regnum ſuum.*

Si non poteſt, ad Deū exorandum confugiat.

Eccli 35.

2. Par. 33.

Jam ſi quis in matrimonio deprehendat, ſe ad religionem vocatum, præter illa quæ dixi, propoſitum concipere tenetur religionem ingredien-

Quid conjugi ad religionem vocato pra-

ſtandum. grediendi, ſi vel illud conſentiente conjuge, *Quid religioſo ad conjugium.* vel illa moriente poſſit impetrare: ut ſiquis in ſtatu Eccleſiaſtico illud intelligat, quam primum licet ab eo ſe eximere amplectique ſtatum ſuum tenetur. Interea dum non poteſt, in illius ſeſe religionis exercitiis, quantum fas eſt, pro ratione ſui ſtatus, exercere conabitur, ut e. g. in conjugio ab omni non neceſſario uſu conjugis abſtinere, pauperibus ſubvenire, domeſticos ad omnem pietatem inſtruere, &c. Quod ſiquis in ſtatu Eccleſiaſtico ex conſilio amicorum, aut aliâ quam ſalutis ſuæ gratiâ adito: vel etiam in religione ſe deprehendat temerè ingreſſum, ejus legibus ſervandis e. g. continentiæ, parem non eſſe. Is tenetur ad uſitata remedia orationis & abſtinentiæ omni ſe ſtudio conferre. Nam ſi Apoſtolus Paulus caſtigat corpus ſuum, ſi ob ſtimulum carnis infringendum ferventer orat, quis neget hæc tali præſtanda eſſe? Quin & perſuaſum habere debet, continentiam donum Dei eſſe, quod ſi non habeat, à largitore bonorum omnium queat impetrari. Ita Sapiens nos ex ore Dei docuit; *ut ſcivi,* inquit, *quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det: adii Dominum, & deprecatus ſum illum.* Hanc viam ſi tenueris, poſtulata aſſequeris. Nam & iis, qui vocati ſunt, non alia Deus ratione ſua dona largitur. At cavenda hìc fraus Dæmonis: qui alios tædio conjugis: alias religionis, non ad ſalutem, ſed ſolutam magis vitam traducere conatur. Non igitur ex faſtidio præſentis vitæ, ſed majori ſalutis & divinæ gloriæ ſtudio hæc agnitio veri erroris ſolet proficiſci. Hanc ſequere, & vives.

Sap. 8. 21.

§. 6.

§. 6. *Quomodo corrigendus ſit error in electione fidei admiſſus?*

Et hic inter tot hæreſes, Dei Eccleſiam æmulantes, aberrare pronum eſt. Tenetur enim quilibet, ut primum rectæ rationis uſum aſſecutus eſt, obſervatque tot diverſarum religionum ſtudia, & inquirere, & eligere illam, quam ſolam orthodoxam eſſe, atque ad ſalutem intelligit perducere. Ille præſertim, qui audit ſe ſuoſque nomen à particulari aliquo homine, aut ſecta ducere, adeóque non ab univerſali Eccleſia Catholicum, ſed Arianum, Lutheranum, Calviniſtam; aut ſingulari fidei articulo, Tritheiſtam, Anabaptiſtam, vel ſimili aliqua voce cõpellari. Quidquid enim novitatem, & ſingularitatem ſapit, merito in univerſali, & ac ipſis Apoſtolis deducta per omnem ætatem fide & Eccleſia ſuſpectum eſt.

Pro ejuſmodi ſectario ab errore ad veritatem reducendo, præclaram inſtructionem ex priſcis Patribus; præter Auguſtinum & Tertullianum, Vincentius Lirinenſis reliquit: & ego, quanquam in Auguſtino meo, & Concordia meditata dederim, tamen peculiarem huic propoſito Tractatum reſervo. Hic paucis tantum lineis Dei ſuæque ſalutis amatorem monebo.

1. Tali promptum fore ab errore exitum, ſi primo noſtrarum meditationum quatriduo eo conſilio tantum utatur; ut generoſo animo ſtatuere, Deoque ac hominibus polliceri auſit, ſe nullius neque hominis, neque honoris, neque opum intuitu commiſſurum, ut ſi intelligat, ſe in errore verſari, aut cognoſcat aliam

religionem ſuâ eſſe ad ſalutem certiorem, præſenti in ſtatu diutius velit morari.

2. Id ubi conſtitutum fuerit, jam ad Notas orthodoxæ Eccleſiæ expendendas, quas D. Auguſtinus, aut Vincentius dederunt, convertat animum, aut etiam S. Hieronymum cum Auguſtino, ubi contra hæreticos pugnant, vel Tertullianum de præſcriptionibus conſideratè, unà cum Meditatione de regulis bonæ electionis, volvat, & expedita illi res omnis futura eſt, cum Dei gratia ſedulò implorata.

Supra c. 4.

Ut paucis te dimittam, audi, ſi placet, ac ſequere Auguſtinum, & falli non poteris. Expende, quid illum retraxerit aberrantem, quid tenuerit in vera Eccleſia. Sic contra Epiſtol. Manich. ait. *Ut omittam, ſapientiam, quam in Eccleſia Catholica eſſe non creditis; multa ſunt alia, quæ in ejus me gremio juſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet autoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa ſede Petri Apoſt. cui paſcendas ſuas oves poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum, Sacerdotum ſucceſſio: tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa, inter tam multas hæreſes iſta Eccleſia ſola obtinuit, &c.* Hæc Auguſtini ſententia, diligenter juxta regulas bonæ electionis expenſa, prudenti æquoq; ſufficere arbitro poterit, ad Eccleſiam falſam à vera diſcernendam. Meditare quiſquis es, amice lector, atque ad tuam ſalutem Deique gloriam, brevem hanc inſtructionem converte. Finem reſpice, & qualis mori volueris, talis vive.

Auguſt. tom. 6. contra Epiſt. Man. cap. 4.

INDEX

INDEX
RERUM ET SENTENTIARUM.

ADami lapſus reparabilis. pag. 103.
Adverſa fortiter ſuſtinenda. p. 91. & 515. proſunt Dei amicis in hac vita. 393. voluntas Dei in his ſpectanda. 415. Acceptanda cum gratiarum actione. 416.
Æternitas conſideranda p, 176.
Affectus proſecutionis & fugæ p. 18. Quomodo affectus pii continuandi ſint. p 22.
Amor Dei ſuper omnia p. 406. Affectus amoris Dei. 20, Amor inimicorum. 327. Amor Dei opere exhibendus. 384. Ad hunc multa nos excitant. 386.
Amor Dei erga hominem qualis p. 402 erga peccatorem. 438.
Angeli ad hominis miniſterium deſtinati. p. 64. hos obſervari à nobis æquum eſt. 72. à Deo ſingulari perfectione ſunt conditi. 101. Lapſi, ſed non redempti. 100.

B.

BAptiſmi & Pœnitentiæ Sacramenta commendata. p. 253.
Bona mundi ſaluti noxia. p. 222. & 433.
Bona æterna facilius comparantur, quàm temporalia. p. 235. Illa ſatiant, hæc fallunt. 390. creata ſpernenda. 391.

C.

CAptivitas innocentis Chriſti p. 308. Mors & paſſio 331. Reſurrectio 338.
Chriſtus Rex & Dux noſter p. 196. 199 & 244. ſequi tenemur 202. & 204. Factus homo, ut nobis in carne exemplar vitæ eſſet 216. Docuit mundum ſpernere 225.
Chriſtianus ad leges Chriſti tenetur p. 79.
Cœlibatus commoda & incommoda p 555. & ſeq.
Cognitio legum ſui ſtatus cuilibet neceſſaria p. 82.
Colloquia quomodo utiliter inſtituenda p. 25. Spiritualia eſſe convenit 353.
Compotationes vitandæ p. 504.
Confeſſio generalis quomodo inſtituenda p. 42.
Confitendi propoſitum p. 432.
Conformitas cum voluntate Dei neceſſaria p. 408.

Conſcientiæ pax bonum ingens p. 360. ex gratia Chriſti præſentis 362. ratio Deo reddenda 430.
Contemplatio ex applicatione ſenſuum p. 28.
Contemptus honoris & opum p. 88.
Contritionis affectus p. 21.
Creationis beneficium ingens p. 53.
Creaturæ ducunt ad cognitionem creatoris p. 65. & ad ejuſdem obſequium 67. imperfectæ non ſatiant appetitum 69. & 390. ſed affligunt 71. tanquam media ad finem ſerviunt 70. & 74. Ad Deum amandum excitant. 389. 319 & 321.

D.

DEliberatio ad bonam electionem requiſita p. 522. de quibus rebus inſtituenda ſit p. 528.
Deſiderium Deo ſerviendi p. 108. & 168. amandi Deum 175. & 358.
Deteſtatio peccati venialis p. 133. 138 & 440. voluntatis propriæ 135. & 180. ſervitutis diabolicæ 244. ingratitudinis noſtræ erga Deum 380. cupiditatis omnis 414. negligentiæ in ſalute 543.
Devotio Chriſti 231.
Deus omni honore dignus p. 139. & amore 403.
Diabolus per mundi illecebras ſeducit p. 242. Reſiſtendum illi eſt 243. nemini parcit. 261. vincendus exemplo Chriſti eſt. 262.
Diligentiores in cura temporalium, quàm æternorum ſumus p 236.
Divitiæ affectu ab omnibus relinquendæ ſunt p. 266.
Dolor de ingratitudine hominis p. 65. 310. 388.
De neglecto Dei obſequio 68. neglecta ſalute. 95.
De peccato 104. ob Deum offenſum 117. ob damna ingentia. 122. ob pœnas. 126. & 322. ex amore Dei patientis. 128. & 333. ex compaſſione Chriſti. 304. 319. & 321.

E.

ECcleſiaſtici ſtatus dignitas p. 449. eminentia & poteſtas. 451. & 453. vita ſupra plebejam. 455. ſint immaculati. 458. & 470. proximi ſalutem quærant ſine ſcandalo. 459. Serviant Deo & Eccleſiæ. 461. habitu modeſto. 463. bene probentur. 463. grave judicium his imminet. 468. Timendum his jure 471. Difficilis ſtatus ob continentiam, & curam alienæ ſalutis. 473. & 475. doctrina & veritas requiritur. 488. exemplo Chriſti vivendum. 492. mulierum conſortia vitanda. 502. ſenum amanda 503. ſuperflua pauperibus largienda. 506. frugalis vita ſit 505. & 508. Charitate in Deum & proximum ferveant. 510. &

50. & ſeq. Deo familiares ſint 518 & ſeq. Conditiones aliæ à lege 557. commoda & incommoda hujus ſtatus 558. & ſeq.
Electio indifferenti animo inſtituenda. p. 86. qualis eſſe debeat perſona eligens. 530. & perſona dirigens, 532, tempus & modus requiſitus. 536. Dei & ſalutis cauſa fiat. 538. Regulæ bonæ electionis. 539. temerariæ electionis damna. 545 Eligentium in ſtatu error quomodo corrigi poſſit. 569. item in fide aberrantium. 571.
Epiſcopo obedientia ab Eccleſiaſticis debetur. p. 485.
Euchariſtiæ inſtitutio, & ad eam præparatio Chriſti. p. 291. Dei ſapientia, potentia, & bonitas ſeu charitas in hac elucet. 294. & 299. pretium ingens. 296. fructus multiplex. 297. uſus prodeſt. 355. divini in nos amoris ſignum. 357.
Examen conſcientiæ particulare, p. 38. & generale. 39.

F.

Familiaritas cum Deo jucunda. p. 233. ex Sacramento Euchariſtiæ fovenda. 518.
Fidei affectus. p. 18. fides ſalutis fundamentum 276. fidei vivæ deſiderium. 278. fides divina humanis rationibus non nititur. 350. ſed ſoli Deo 351. fidei veritas quomodo exploranda. 571.
Finis hominis eſt frui Deo p. 58. finis Eccleſiaſtici in hac vita p. 448.

G.

Gloria Dei in omnibus rebus ſpectanda. p. 400. & 401.
Gloriæ cœleſtis amor p. 283. & 428. deſiderium 285. 347. & 429. gaudium 347. patiendum ut glorificemur 339.
Glorioſi corporis dotes 241.
Gratiæ Dei omnia debemus p. 396.
Gratiarum actio Deo parcenti p. 118. & 439. SS. Trinitati pro Deo incarnato 212.
Gratitudinis affectus p. 106.
Gulæ comprimenta pag. 256. & 258.

H.

Homo ad imaginem Dei conditus p. 55. & 57. conditus ad Deum videndum 58. creaturis aliis à Deo propoſitus eſt 63. ingens ejus dignitas 64.
Humilitatis exemplum Chriſtus p. 219. amor humilitatis 219. humilitas Chriſti in lotione pedum. 290. ſacerdotes decet. 496.

I.

Illuſtrationes & motus pii diverſi p. 30.
Imbecillitatis humanæ agnitio p. 76. & 139.

Imitatio Chriſti neceſſaria. pag. 201.
Incarnationis beneficium ingens pag. 206. cauſæ incarnationis 209.
Inferni pœnæ p 170. pœna damni 175
Ingratitudo Judæorum erga Chriſtum. p. 317.
Interceſſionis Deiparæ,& Sanctorum imploratio. p. 141.
Intentio bona operum p. 271. & 400.
Judicii extremi rigor p. 159. & 431. publicè confundet p. 162. & 165. ſententia 166.
Jugum Diaboli gravius jugo Chriſti p. 87. & 246. Domini ſuave eſt 343.

L.

LApſus Petri p. 315.
Lectio S. quomodo piè inſtituenda p. 34.

M.

MAlitia humana ingens pag. 112.
Manſuetudo p. 270. Chriſti 325. & 326.
Mariæ Matris Dei excellentia p. 207. compaſſio cum Chriſto 332.
Matrimonium prolis gratia ſuſcipiendum pag. 549. & 554. ejus commoda 551. & incommoda. 552.
Meditatio quid ſit, quæque ejus partes p. 11. præparatio ad illam neceſſaria 12. materia pro via triplici diverſa 14. de diſcurſu per intellectum formando, 15. de affectu pie concitando 18. rariora lumina notanda. 26. repetitio utilis. 33.
Minimorum cura habenda pag. 425.
Miſericordia Dei erga peccatorem p. 105. 178. & 326 non negligenda in tempore 434.
Modeſtia & temperantia ſacerdotes decet p. 495.
Mors certa, tempus incertum pag. 149. & 150. præmeditanda 151. & 156. probis optanda 153.
Mortificatio cum oratione jungenda p. 256. & 259. Eccleſiaſticis neceſſaria 493. ſenſuum 494.

N.

NOviſſimorum memoria amara, ſed utilis p. 156.

O.

OBedientia p. 227. utilis ac neceſſaria 229. Chriſtus exemplar 230.
Opera fidei jungenda p. 185.
Orandi modus triplex p. 32.
Oratio Chriſti reſignata in horto p. 305.
Ordines minores quam perfectionem requirant p. 477 quam majores 479. quam ſacerdotum, & quis ritus conſecrandi, 483.

P. Paſſio

P.

PAſſio Chriſti virtutum ejus compendium eſt p. 288.
Pax ſecum, proximo & Deo optanda p. 360. uſque ad 366.
Peccator dilatus gravius luit pag. 189.
Peccati mortalis gravitas & pœna p. 104. ex parte boni amiſſi 110, ex vilitate offendentis 113. ex dignitate offenſi 115. ob damna 121. & pœnas 123. Remedia generalia 441.
Peccati venialis gravitas p. 132. ex damnis 134. & pœnis 136.
Perfectio vitæ Chriſtianæ à Chriſto in monte tradita p. 268.
Perſeverantia coronat. p. 329. 331. & 424.
Pœnitentia ne ſit ſera p. 187.
Præſentia Dei cogitanda p. 375.
Profectus in virtute cum Chriſto amandus p. 234. & 522.
Propoſitum emendationis p. 61. & 119. quomodo propoſita ad praxin redigenda 27.
Providentia Dei circa ſingulos p. 378. cuilibet hominum ſtatum certum & media ad ſalutem ordinavit 537.
Proximi dilectio Chriſtianum decet. p. 363. jucunda ejus ſocietas 364. proximorum ſalus curanda 420. illi obligamur. 421.
Purgatorius ignis gravis p. 137.

R.

REcidiva periculoſa p. 425. & 426.
Recollectio Meditationis quomodo inſtituenda p. 26.
Reconciliationis ſacramentum ingens bonum p. 365.
Religioſi ſtatus perfectio p. 561. & diverſitas 562. incommoda 563. commoda 565.
Reſignatio in manus Dei p. 92. & 417. Chriſti in horto. 506. in adverſis 395 & 411 neceſſitas & utilitas 412. felicitas eorum qui ſe in manus Dei reſignant. 414.
Reſurrectio Chriſti & SS. qualis ut p. 341.

S.

SAcramentorum amor & æſtimatio 255.
Salvandorum paucitas p. 182.
Salutis media triplici via exequenda ſunt p. 93.
Sequela Chriſti diverſa diverſorum p. 248. omnes ad eam tenentur. 267.
Societas mulierum vitanda p. 502. compotantium quoque 504. Senum tamen amanda 503.
Spei & fiduciæ affectus p. 19. ſpes in Deo fixa non fallit 279 & 281.
Spirituum diſcretio quomodo fieri poſſit p. 535.

T.

TImor ultimi judicii p. 161. & 164
Tolerantia injuriarum p. 313. & 325.

325. contemptus pœnarum 318.
Triſtitia Chriſti in horto ex variis cauſis p 302.
Tribulatione Deus ſuos probat, p. 328.

V.

VErbum Dei audiendum pag. 83.
Vilitatis humanæ agnitio p. 54. & 399.
Vocationis memorem eſſe decet p. 77. neglectæ magna pœna 183. amor. 190. Deſiderium ſequendi 191 vocatio ad fidem 351. vocatio ad ſtatum Eccleſiaſticum bene examinanda. 454.
Voluntas Dei electionis regula p. 90.

Z.

ZElus animarum p. 421. 422. & 512 qualis eſſe hic Zelus in paſtoribus animarum debeat 513.

FINIS.

Errata

Errata correctè ſic leges.

Pag. 1. *verſ.* 25. *l. cenſuerunt.* p. 8. v. 28. *fide eſt confirmanda.* p. 12. v. 32. *ſubiturus.* p. 15. v. 21. *præripiatur.* p. 26. v. 26. *quas rationes* p. 34. v. 12. *voces.* p. 39. v. 30. *immenſa.* p. 40. v. penult. *ſis* p. 44. v. 4. *eodem.* v. 31. *Mœchaberis.* v. 34. *contactu.* p. 47. v. 7. *noli.* p. 61. v. penult. *annuntiabo.* p. 63. v. 15. *præcepit.* p. 69. v. 1. *imperfectiones.* p. 74. v. 7. *ſuo.* p. 105. v. 27. *reprobatos.* p. 139. v. 8. *Tu tantùm.* p. 140. v. 14. *poſſum.* p. 142. v. 9. *quas.* p. 143. v. 16. *ſalvum.* p. 150. v. 25. *futilia.* p. 159. v. antep. *ad hoc.* p. 160. v. 25. *obliviſcimini.* p. 178. v. 1. *ingemiſceres.* p. 194. v. 4. *Exercitationibus.* p. 203. v. 9. *ortum.* p. 209. v. 14. *ex alto.* p. 218. *ipſa.* p. 224. v. 3. *ergo.* p. 225. v. 6. *ipſum Dei filium.* p. 229. v. 11. *Dei ordinationi.* p. 233. v. 29. *minus.* p. 336. v. 18. *dementare.* p. 242. *diabolicæ ſervitutis.* p. 244. v. 3. *proſcriptam.* p. 267. v. penult. *obſecutos.* p. 276. v. 18. *fidei.* p. 297. v. 15. *ſævientem.* p. 277. v. 25. *ſunt.* p. 308. v. 11. *feriens.* v. 24. *horrore.* p. 336. v. antep. *Davide.* p. 331. v. 26. *monumenta.* p. 340. v. 34. *miſereatur.* p. 352. v. 12. *diſcurratur.* p. 366. v. 17. *Theſſalonicenſibus.* p. 368. v. 2. *pœnitentiam.* p. 373. v. 18. *in hac.* p. 376. v. 6. *incidit*, non incedit p. 381. v. penult. *Chriſtus nudum.* p. 398. v. 28. *obvelata.* p. 402. v. 18. *conſecro.* p. 403. v. 3. *offert.* p. 409. v. 5. *nomen.* p. 411. v. 3. *figulus.* p. 427. v. 26. *conſummavi.* p. 432. v. 20. *tua.* p. 449. v. *ſitis.* p. 502. v. 3. In fine Apol. ponatur in margine. p. 506. v. 10. *obtinentes.* p. 516. v. 15. *illos* dele. p. 540. v. 22. *in qua ſalus.* p. 549. v. 20. *aliique* p. 551. v. 23. *fornicationem.* Cetera benevolus lector, præſertim in marginibus, ob excidentes vel tranſpoſitas literas, ex ipſo contextu emendabit.

582 pag